tenditur, habens ab aphrico Tyrrhenum mare, à borea Adriaticum ſinum: cuius ea pars qua continenti terræ cõmunis & contigua eſt, Alpiũ obijcibus obſtruitur: quæ à Gallico mari ſuper Liguſticum ſinum exurgẽtes, primum Narbonenſium fines, deinde Galliam Rhetiamq; ſecludunt, donec in ſinu Liburnico defigãtur. Gallia Belgica habet ab oriente limitẽ fluminis Rheni & Germaniam, ab euro Alpes Pœninas, à meridie prouinciam Narbonenſem, ab occaſu prouinciam Lugdunenſem, à circio oceanum Britannicum, à ſeptentrione Britanniam inſulam. Gallia Lugdunẽſis ducta per longum, & per anguſtum inflexa, Aquitanicam prouinciam ſemicingit. Hæc ab oriente habet Belgicam, à meridie partem prouinciæ Narbonenſis qua Arelas ciuitas ſita eſt, & mari Gallico Rhodani flumen accipitur. Narbonenſis prouincia, pars Galliarum, habet ab oriẽte Alpes Coctias, ab occidẽte Hiſpaniam, à circio Aquitaniam, à ſeptentrione Galliam Lugdunenſem, ab aquilone Belgicam Galliam, à meridie mare Gallicum, quod eſt inter Sardiniam & inſulas Baleares, habens in fronte

*Gallia Belgica.*

*Gallia Lugdunenſis.*

*Narbonẽſis prouincia.*



quà Rhodanus fluuius in mare exit, inſulas Stœchadas. Aquitanica prouincia obliquo curſu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius eſt, in orbem agitur. Hæc à circio oceanum qui Aquitanicus ſinus dicitur, ab occaſu Hiſpanias habet, à ſeptẽtrione & oriente Lugdunenſem, ab euro & meridie Narbonenſem prouinciam contingit. Hiſpania uniuerſa terrarum ſitu trigona eſt, & circunfuſione oceani Tyrrheniq; pelagi peninſula efficitur. Huius angulus prior ſpectans ad orientẽ, à dextris Aquitanica prouincia, à ſiniſtris Balearico mari coartatus, Narbonẽſium finibus inſeritur. Secundus angulus eius circiũ intendit: ubi Brigantia Gallecię ciuitas ſita, altiſſimam pharum, & inter pauca memorãdi operis, ad ſpeculam Britanniæ erigit. Tertius eius angulus eſt, quà Gades inſulæ intentæ in aphricum, Atlantem montem interiecto ſinu oceani proſpiciunt. Hiſpaniam citeriorem ab oriente incipientem, Pyrenæi ſaltus à parte ſeptentriõis uſq; ad Cantabros Aſtureſq; deducit, atque inde per Vacceos & Oretanos, quos ab occaſu habet, poſita in noſtri maris littore Carthago, determi-

*Aquitania*

*Hiſpania.*

Universidad de Deusto Biblioteca



nat.Hiſpania ulterior habet ab oriẽte Vac
ceos,Celtiberos,& Oretanos,à ſeptentriõe
oceanũ,ab occaſu oceanũ,à meridie Gadita
num oceani fretũ: unde mare noſtrũ quod
Tyrrhenum uocatur,immittitur.Et quoni
am oceanus habet inſulas, quas Britãniam
& Hyberniam uocant,quæ in aduerſa Gal
liarum parte ad proſpectum Hiſpaniæ ſi-
Britãnia. tæ ſunt,breuiter explicabuntur. Britan
nia oceani inſula,per longum in boream ex
tendit.A meridie Gallias habet, cuius pro
ximum littus tranſmeãtibus ciuitas aperit,
quæ dicitur Rhutubi portus:unde haud ꝑ
cul à Morinis in auſtro poſitos Menapos
Bataui. Batauoſq; proſpectat.Hæc inſula habet in
longum millia paſſuum octingenta,in latũ
millia ducenta:à tergo autem,unde oceano
Orcades. infinito patet,Orcades inſulas habet, qua-
rum uiginti deſertæ ſunt,tredecim incolũ-
Thule. tur.Deinde inſula Thule, quæ per infinitũ
à cæteris ſeparata, circium uerſus medio ſi
Hybernia ta oceano,uix paucis nota habetur. Hy-
bernia inſula inter Britanniam & Hiſpani
am ſita,lõgiore ab aphrico in boream ſpa
tio porrigitur.Huius partes priores inten
tæ Cantabrico oceano,Brigantiam Galle-



ciæ ciuitatem ab aphrico ſibi in circium oc
currentem,ſpatioſo interuallo procul ſpe-
ctant: ab eo præcipue ꝓmontorio,ubi Sce
næ fluminis oſtiũ eſt, & Velabri Luceniq;
conſiſtunt. Hæc propior Britanniæ,ſpatio
terrarum anguſtior, ſed cæli ſoliſq; tempe
rie magis utilis,à Scotorum gentibus coli-
tur. Huic etiã Meuania inſula proxima eſt, Meuania
& ipſa ſpatio non parua,* ſolo commoda, *ſolc.
æque à Scotorum gentibus habitatur. Hi
ſunt fines totius Europæ. Aphricam,ut Aphrica.
dixi, cũ tertiam orbis partem maiores no-
ſtri accipiendam deſcripſerint, non ſpatio
rum menſuras,ſed diuiſionum rationes ſe-
cuti ſunt.Mare hoc ſiquidem magnum,qđ
ab occaſu ex oceano oritur,in meridiẽ ma-
gis uergens,anguſtiorem inter ſe & oceanũ
coartatæ Aphricæ limitẽ facit. Vnde etiã
aliqui,quamuis eam lõgitudine parem,ta-
men multo anguſtiorem intelligentes, in-
uerecundum arbitrati tertiam uocare par-
tem, ſed potius in Europa Aphricã depu-
tantes,ſecũdæ portionis portionem appel-
lare maluerunt. Præterea cum multo am-
plius terræ in Aphrica ardore ſolis, quàm
in Europa rigore frigoris incultum atque

Universidad de Deusto Biblioteca



incognitum ſit, (quippe cum omnia penè
animantia uel germinantia, patiẽtius & to
lerabilius ad ſummum frigoris q̃ ad ſum-
mum caloris accedant) ea ſcilicet cauſa eſt,
Aphricam per omnia ſitu & populis mino
rem uideri: quia & natura ſui minus habe-
at ſpatij, & cæli inclementia plus deſerti:
cuius deſcriptio ꝑ prouincias & gẽtes hæc
eſt: Libya Cyrenaica & Pentapolis, poſt
Aegyptũ in parte Aphricæ prima eſt. Hæc
incipit à ciuitate Paratonio & mõtibus Ca
tabathmòn: inde ſecundo mari uſq; ad aras
Philenorum extenditur. Poſt ſe habet uſq;
ad oceanum meridianũ, gentes Libyæthio
pum & Garamantum. Huic eſt ab oriente
Aegyptus, à ſeptentrione mare Lybicum,
ab occaſu Syrtes maiores & Troglodytæ,
contra quos inſula Calypſo eſt: à meridie
Tripolita- Aethiopicus oceanus. Tripolitana pro-
na regio. uincia quæ & Subuẽtana, uel regio *Arzu
* Azotũ. gum dicitur, ubi Leptis magna ciuitas eſt,
quamuis Arzuges per longũ Aphricæ li-
mitem generaliter uocentur, habet ab ori
ente aras Philenorũ inter Syrtes maiores
& Troglodytas, à ſeptentrione mare Sicu-
lum, uel potius Adriaticum, & Syrtes mi-



nores, ab occaſu Byzantium uſq; ad lacum
Salinarũ, à meridie barbaros Getulos, *Na
thabres, & Garamantas, uſq; ad oceanum * Naza-
Aethiopicum ptingentes, Byzantium, Zeu bres.
gis, & Numidia. Zeugis autẽ prius nõ uni
us conuentus, ſed totius prouinciæ genera
le nomen fuiſſe inuenimus. Byzantiũ ergo,
ubi Hadrumetus ciuitas, Zeugis ubi Car-
thago magna, Numidia ubi Hippos regi-
us & Ruſiccada ciuitates ſunt; habẽt ab ori-
ente Syrtes minores & lacum Salinarum,
à ſeptentriõe mare noſtrum, quod ſpectat
ad Siciliam & Sardiniam inſulas, ab occa-
ſu Mauritaniã Sitiphenſem, à meridie *fon *montes
tes Vzaræ: & poſt eos Aethiopum gentes ſuſaræ.
peruagantes uſq; ad oceanum Aethiopicũ.

Sitiphenſis & Cæſarienſis Mauritania Maurita
habet ab oriente Numidiam, à ſeptentriõe nia
mare noſtrum, ab occaſu flumen Maluam,
à meridie montem Aſtrixim, q diuidit in-
ter uiuam terram & arenas iacentes uſq;
ad oceanum: in quibus oberrant Gangines
Aethiopes. Tingitana Mauritania ultima
eſt Aphricæ. Hæc habet ab oriente flumen Maurita
Maluam, à ſeptentrione mare noſtrum uſ- nia Tin-
que ad fretum Gaditanum, quod inter Ha gitana.

Universidad de Deusto Biblioteca



uennen & Calpen duo contraria ſibi pro-
montoria coartatur: ab occidente Atlantē
montem & oceanum Atlanticū, ſub aphri
co Heſperium montem, à meridie gentes
*Autololum *Aulolum, quas nunc Gaulales uocāt, uſq;
ad oceanum Heſperium contingentes. Hic
eſt terminus uniuerſæ Aphricæ. Nūc in
Tyrrheni maris inſulæ. ſularum quæ in noſtro mari ſunt, loca, no-
mina, & ſpatia dimetiar. Inſula Cypros
ab oriente mari Syrio, quem Iſſicum ſinum
uocant, ab occidēte mari Pamphylico, à ſe
ptentriōe Aulone Cilico, à meridie Syriæ
& Phœnices pelago cingitur: cuius ſpatiū
in longum tenet millia paſſuū centum * ſe
lxxxv ptuagintaquinq;, in latum millia paſſuū cē
tum uigintiquinq;. Inſula Creta finitur
ab oriente Carpathio mari, ab occaſu & ſe
ptentrione mari Cretico, à meridie mari
Libyco, quod & Adriaticum uocant: habet
in longum millia paſſuum centum ſeptua-
gintaduo, & in latum quinquaginta. In-
ſulæ Cyclades, quarum eſt ab oriēte prima
Rhodos, à ſeptentriōe Tenedos, à meridie
Carpathos, ab occaſu Cythera, ab oriente
finiuntur littoribus Aſiæ, ab occidente ma
ri Icario à ſeptentrione mari Aegæo, à me-



ridie mari Carpathio. Sunt autem omnes
Cyclades numero quinquagintatres. Hæ
tenent à ſeptentriōe in meridiem millia paſ
ſuum quinquaginta, ab oriente in occaſum
millia ducenta. Sicilia inſula tria habet p
montoria, unum quod dicitur Pelorum, &
aſpicit ad aquilonem, cui Meſſana ciuitas
proxima eſt. Secūdum quod dicitur Pachy
num, ſub quo ciuitas Syracuſana reſpicit
ad euronotum. Tertium quod appellatur
Lilybæum, ubi & ciuitas eiuſdem nominis
ſita eſt, dirigitur in occaſum. Hæc habet à
Peloro in Pachynum millia paſſuū cētum
*quinquagintanouē, à Pachyno in Lilybæ- *xlix
um centum ſeptuagintaſeptem. Hæc ab ori
ente cingit mari Adriatico, à meridie mari
Aphrico quod eſt contra Subuentanos &
Syrtes minores: ab occidente & ſeptentrio
ne habet mare Tyrrhenum: à borea uſque
ſubſolanum, fretum Adriaticum, quod diui
dit Taurominitanos Siciliæ & Brutios Ita
liæ. Sardinia & Corſica inſulæ paruo fre
to, hoc eſt, millium uiginti, diuidūtur: ex
quibus Sardinia habet à meridie cōtra Nu
midiam Caralitanos: contra Corſicam in-
ſulam, hoc eſt, ſeptentrionem uerſus, habet

Universidad de Deusto Biblioteca



Vbienſes: cuius in longum ſpatium tenet
millia paſſuum ducenta triginta, in latum
CC. millia cētum octoginta. Hæc habet ab ori
ente & à borea Tyrrhenicum mare, quod
ſpectat ad portum urbis Romæ: ab occaſu
mare Sardum, ab aphrico inſulas Baleares
longe poſitas, à meridie Numidicum ſinū,
à ſeptentrione (ut dixi) Corſicam. Cor
ſica inſula multis promontorijs anguloſa
eſt. Hæc habet ab oriente Tyrrhenicum ma
ra & portum urbis, à meridie Sardiniam,
ab occaſu inſulas Baleares, à circio & ſe-
ptentrione Liguſticū ſinū. Tenet autem in
longum millia paſſuum centum ſexaginta,
in latū millia uigintiſex. Inſulæ Baleares
duæ ſunt, maior & minor, quibus inſunt bi
*Tarraconem na oppida: maior *Tarraconam Hiſpaniæ
ciuitatem, minor *Barcilonam ſeptētrio-
*Barcinonem nem uerſus contra ſe habet. Maiori ſubia-
cet inſula Ebuſus. Deinde ab oriente Sardi
niam, ab aquilone mare Gallicū, à meridie
& aphrico Mauritanicū pelagus, ab occaſu
Ibericū ſpectat pelagus. Hæ ſunt inſulæ ab
Helleſpōto uſq; ad oceanum per totū ma-
gnum pelagus conſtitutæ: quæ & cultu &
memoria magis celebres habentur. Per-



cenſui breuiter (ut potui) prouincias & in
ſulas orbis uniuerſi: nunc locales gentium
ſingularū miſerias, ſicut ab initio inceſſabi-
liter extiterunt: & qualiter quibuſq; exor-
tæ ſint, inquantum ſuffecero, proferam.

*Quod deus humanum genus ob peccata diluuio deleuerit, paucis ad ſtirpem reſeruatis.*

*Caput .III.*

CVm poſt fabricam ornatumq; mundi *Gene.6.*
huius, homo, quem rectum atque im
maculatū fecerat deus, morti ſe ſubſtrauiſ
ſet, ac perinde humanū genus libidinibus
deprauatū, peccatis obſorduiſſet, continuo
iniuſtam licentiam punitio iuſta conſecuta
eſt. Sententiā creatoris dei & iudicis, peccā
ti homini ac terræ propter hominem deſti
natam, ſemperq; dum homines terram ha-
bitauerint duraturam, omnes inuiti licet
aut probamus negando, aut confitendo to-
leramus: obſtinatiſq; mentibus teſtis ſibi in
firmitas ſua inurit, quibus fidelis ſcriptura
non ſuaſerit. Deinde refuſo ſub Noë in *Gene.7.*
omnem terram mari, immiſſoq; diluuio, *Eccl.44.*
cum toto orbe contecto unum ſpatium cæ
li eſſet ac pelagi, deletum fuiſſe uniuerſum
humanum genus, paucis in arca fidei ſuæ

Universidad de Deusto Biblioteca



merito ad ſubſtituendam originem reſer-
uatis, euidentiſſime ueraciſſimi ſcriptores
doctoreſq; docent. Fuiſſe tamen etiam illi
conteſtati ſunt, qui præterita quidem tem-
pora, ipſumq; autorem temporum neſcien-
tes, tamẽ ex indicio & coniectura lapidum,
quos in remotis mõtibus conchis ac oſtre-
is ſcabros, etiam ſæpe cauatos aquis uiſere
ſolemus, conijciendo didicerunt. Et quam-
uis huiuſmodi adhuc & relatu digna, fi-
deq; certa proferri à nobis queant, tamen
hæc ueluti principalia duo de ꝑuaricatiõe
primi hominis, & condemnatione genera
tionis uitæq; eius, ac deinde perditione to-
tius generis humani dicta ſufficiant: tantũ,
ut ſi qua gentiles hiſtorici de noſtris aliquo
ordine contigerint, hæc plenius cũ cæteris
ipſo, quo incurrerint, ordine ꝓferantur.

*Ninus rex quos bello infeſtauerit ac ſubegerit, quomodo interierit. Deq; uxoris eius Semiramidis bellis ac flagitijs. Caput .IIII.*

*Ninus primus rex Aſſyriorum*

ANte annos urbis conditæ MCCC.
Ninus rex Aſſyriorum, primus (ut
ipſi uolunt) propagandæ dominationis li-
bidine arma foras extulit, cruẽtamq; uitam
quinquaginta annis per totam Aſiam bellis
egit: à meridie atq; à rubro mari ſurgens,



ſub ultimo ſeptentrione Euxinum pontũ
uaſtando perdomuit, Scythicamq; barbari
em, adhuc tunc & imbellem & innocentẽ
torpentemq;, excitare, ſæuitiæ uires ſuas
noſſe, & non lac iam pecudum, ſed ſangui-
nem hominum bibere, ad poſtremum uin
cere, dum uincit, edocuit. Nouiſſime Zoro
aſtrem Bactrianorum regẽ, eundemq; ma
gicæ artis (ut ferunt) repertorem, pugna
oppreſſum interfecit. Pòſt ipſe dum defici
entẽ à ſe oppugnat urbẽ, ſagittæ ictu inter-
ijt. Huic mortuo Semiramis uxor ſucceſ-
ſit, uirum animo, & habitu filium gerens:
auidoſq; iam uſu ſanguinis populos, ꝑ qua
dragintaduos annos cædibus gentium ex-
ercuit. Non cõtẽta terminis mulier, quos
à uiro ſuo tunc ſolo bellatore, quinquagin-
ta annis acquiſitos ſuſceperat, Aethiopiam
bello oppreſſam, ſanguine interlitam, im-
perio adiecit. Indis quoque bellum intulit,
quos præter illam & Alexãdrum Magnũ
nullus intrauit. Quod eo tẽpore ideo cru-
delius grauiuſq; erat quàm nunc eſt, per-
ſequi & trucidare populos in pace uiuẽtes:
quia tunc apud illos nec foris erant ulla in-
cendia bellorum, nec domi tanta exercitia

*Zoroaſtres magicæ repertor.*

*Semiramis mentita uirum*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Flagitioſi Semiramidis libido*

cupiditatum. Hæc libidine ardens, ſanguinem ſitiens, inter inceſſabilia ſtupra & homicidia, cum omnes quos regiæ arceſſitos meretriciæ habitos concubitu oblectaſſet, occideret, tandem filio flagitioſe concepto, impie expoſito, inceſtè cognito, priuatam ignominiam publico ſcelere obtexit: Præcepit enim, ut inter parentes ac filios nulla

*Lex ſceleſta*

delata reuerentia naturæ, de coniugijs appetendis quod cuiq; libitum eſſet, liberum fieret.

*Pentapolim regionem, Sodomam, Gomorram, Adamam &c. ob nefanda libidinis ſcelera de cælo tactam & exuſtam fuiſſe.* Caput .V.

ANte annos urbis cōditæ MCLX. confinē Arabiæ regionē, quæ tunc Pentabolis uocabatur, arſiſſe penitus igne cæleſti, inter alia etiam Cornelius Tacitus refert, qui ſic ait: Haud procul inde campos, quos ferunt olim huberes, magniſq; urbibus habitatos, fulminum iactu arſiſſe: ſed manere ueſtigia, terramq; ipſam ſpecie ſolida uim frugiferam perdidiſſe. Et cū hoc loco nihil de incēſis propter peccata hominum ciuitatibus, quaſi ignarus expreſſerit, paulopôſt uelut oblitus conſilij, ſubiecit &

*Libro .II*



dicit: Ego ſicut inclytas quondā urbes igne cæleſti flagraſſe cōceſſerim, ita halitu lacus infici terrā & corrumpi reor. Quo dicto, inuitus licet, de exuſtis urbibus quæ procul dubio peccatorū noxa cōflagrauerāt, & ſciſſe ſe & cōceſſiſſe confeſſus, palàm prodidit non ſibi cognitionis fidem defuiſſe, ſed exprimendæ fidei uoluntatem: quod nunc à me plenius proferetur: In confinio Arabiæ & Palæſtinæ, qua dimiſſi altrinſecus montes, ſubiectis campis excipiuntur, quinque ciuitates fuiſſe referuntur, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, & Segor. ſed Segor ex his parua, illæ magnæ & amplæ: quippe quibus & ſoli fœcunditas ſuberat, & Iordanis fluuius per plana diffuſus, ac per opportuna diuiſus augmētis hubertatis impendebatur. Huic uniuerſæ regioni bonis male utenti, abundantia rerū cauſa malorum fuit. Ex abundantia enim luxuria, ex luxuria fœdæ libidines adoleuere: adeo, ut maſculi in maſculos operantes turpitudinem, nec conſideratis quidem locis, conditionibus, ætatibuſq;, proruerent. Itaque iratus deus, pluit ſuper hanc terrā ignē & ſulfur, totamq; regionem cum popu-

*Gene.19. Iſaiæ.13. Ciuitates Pētapolis*

*Abundantia rerū, cauſa malorum.*

Universidad de Deusto Biblioteca



lis atq; urbibus exuſtam, teſtem iudicij ſui futuram, æterna perditione damnauit: ut nunc quoq; appareat quidem forma regionis, ſed inueniatur regio cineris, mediamq; conuallem quam Iordanis irrigauerat, nũc mare ſuperfuſum tegat. Tãtumq; de rebus (ut putatur) paruis diuinæ indignationis iudiciũ accenſum eſt, ut propter hoc quod illi male utẽtes bonis, fructus miſeriarum, nutrimenta libidinum fecerant, terra quoque ipſa quæ has habuerat ciuitates, primũ exuſta ignibus, pòſt oppreſſa aquis, in æternam damnatiõem communi periret aſpectui.

*inuitat Romanos ad collationem pœnarum & commiſſorum Romæ & Sodomæ. Item Romanos ſolum Circum requirere. Caput .VI.*

ITaq; nunc ſi placet, hi qui in Chriſtum, quem nos iudicem ſeculorum oſtendimus, quantum in ipſis eſt, ſputa conijciunt, inter Sodomam & Romam diſcernãt cauſas, & cõferant pœnas: quæ à me uel maxime ob hoc retractandæ non ſunt, qa omnibus notæ ſunt. Et tamen quàm libenter eorum ſententias acciperem, ſi illi fideliter, ita ut ſentiunt, faterentur: quanquam quid



de temporibus Chriſtianis rari & hoc in angulis murmurent, non uſqueadeo moleſte accipiendum putem, cum totius populi Romani conſona uoce pariq; iudicio ſenſus ac ſermo ſit cognitus. Adeo autem paruo quodam & leui motu hæſitaſſe erga ſe parumper conſuetudinem uoluptatũ, indubitatiſſime conteſtatus eſt, ut libere conclamaret, ſi reciperet Circum, nihil eſſe ſibi factũ: Circus. hoc eſt, nihil egiſſe Romæ Gothorum enſes, ſi concedatur Romanis ſpectare Circenſes. Niſi forte (ut ſe habet apud pleroſq; conſuetudo hoc præcipue tempore) qui ex longa requie uel paruam obortam ſolicitudinem, intolerabilem laborem putant, has clementiſſimas admonitiones, quibus omnes aliquando perſtringimur, aliorum punitionibus auditis lectiſq; præponunt: quos ſaltem de hoc ipſo exitu Sodomorum & Gomorræorũ moneo, ut diſcere atq; intelligere queant, qualiter deus peccatores puniuerit, qualiter punire poſſit, qualiter puniturus ſit.

*De prælio inter Telchiſes & Carpathios & Phoronæum regem. Item de diluuio Achaiæ. Caput VII.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ANte annos urbis cõditæ MLXX. Telchiſes & Carpathij peruicax prælium aduerſus Phoronæum regẽ Argiuorum

*Paphaſios. & *Parapaſios ancipiti ſpe ſine fructu uictoriæ geſſerunt. Iidemq́; Telchiſes & Carpathij poſt paululum bello uicti, patria profugi, ignariq́; rerum, credẽtes quia ſe penitus a congreſſu totius humanæ habitatiõis abſ-

Rhodos prius Ophiuſſa uocata. trahərent, Rhodum inſulam quæ Ophiuſſa antea uocabatur, quaſi tuta poſſeſſione ceperunt. Ante annos urbis cõditæ MXL. in Achaia ſæuum diluuium, uaſtatione plurima totius penè prouinciæ fuit. Quod quia

Ogyges. Ogygi, qui tunc Eleuſinæ conditor & rex erat, temporibus effuſum eſt, nomen loco ac tempori dedit.

*De ſterilitate & fame Aegypti, cui Ioſeph ſolertia ſua conſuluit: & de uanitate Aegyptiorum ſacerdotum. Caput VIII.*

Gene. 41. Ioſe. 2. Antiq. 2. ANte annos conditæ urbis. MVIII. fuiſſe adud Aegyptum primum inſolitam faſtidiendamq́; hubertatem, deinde iugem atq; intolerabilem famem, cui Ioſeph uir iuſtus & ſapiens dinina prouiſione

Iuſtin. lib. 36. ſubuenerit, Pompeius hiſtoricus refert: eiusq́; breuiator Iuſtinus docet, qui inter cæ-



tera ſic ait: Minimus ætate inter fratres Ioſeph fuit, cuius excellẽs ingenium fratres ueriti, interceptum peregrinis mercatoribus uendiderũt. A quibus deportatus in Aegyptum, cũ magicas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet, breui ipſi regi percharus fuit. Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit. Nihilq́; diuini iuris humaniq́; ei incognitum uidebatur: adeo, ut etiam agrorum ſterilitatẽ futuram ante multos annos proſpiciens, fruges congregaſſet. Tantaq́; eius experimenta fuerunt, ut nõ ab homine, ſed à deo reſpõſa dari uiderẽtur. Filius Ioſeph Moyſes fuit, quem præter paternæ ſciẽtiæ hæreditatẽ etiam formæ pulchritudo commẽdabat. Sed Aegyptij cum ſcabiem & uiliginem paterẽtur, reſponſo moniti, cum cum ægris ne peſtis ad plures ſerperet, terminis Aegypti pellunt. Hæc Iuſtinus. Sed quoniã hæc idem Moyſes, quem iſti ſapientem ſcientemq́; fuiſſe atteſtantur, plenius ueriusq́;, tanquam per ſe ſuosq́; geſta, conſcripſit, primum fide eius atq; autoritate, quam etiam iſti probant, horum ignorantia eſt ſupplenda; dehinc ſacerdotum Aegyptio-

*Si quid uerius deſideras, lege cap. Exo. 2. & Ioſe 2. Anti. 2.*

Universidad de Deusto Biblioteca



rum fallax malitia confutanda eſt, qui uel
aſtu quod manifeſtius eſt, euidentem iram
miſericordiamq́; ueri dei memoriæ ſubtra
here conati ſunt, particulatim expoſitione
confuſa, ne in contumeliam idolorum ſuo-
rum eum colendũ merito oſtenderent, cu-
ius conſilio annunciata hæc mala & auxi-
lio euitata docuiſſent, uel forte ut indulgen
tius accipiamus, obliti ſunt. Illius enim no-
ſtri Ioſeph, qui fuit ueri dei ſeruus, & pro
creatura domini ſui pie intenteq́; ſolicitus,
prouiſione ipſi abundabant frugibus quaſi
ſacerdotes: ſed quia falſi ſacerdotes erant,
cũ cæteris eſurientibus nõ dolebát. Enim-
uero cui placet, obliuiſcitur: cui dolet, me- *Fames ſe ptennis.*
minit. Quanquam huius tẽporis argumen
tum hiſtorijs factiſq́; reticentibus, ipſa ſibi
terra Aegypti teſtis pronunciat, quæ tunc
redacta in poteſtatem regiam, reſtitutaq́;
cultoribus ſuis, ex omni fructu ſuo uſq; ad
nũc quintæ partis inceſſabile uectigal exol
uit. Fuit itaq; hæc fames magna ſub rege
Aegyptiorum Diapolito, cui nomen erat
Amoſis, quo tempore Balæus Aſſyrios, Ar
giuos Apis regebat. Fuerunt autẽ ante an-
nos famis ſeptem, præcedentes alij ſeptem



hubertatis anni: quorum affluentiam tanto
negligentius perituram, quanto huberius
natam Ioſeph noſter ſolertia ſua collegit, *Ioſeph ſo lertia.*
& condidit, totamq́; Aegyptum conſerua-
uit. Acquiſiuit uniuerſam Pharaoni pecuni
am, & deo gloriam reddens diſpenſatione
iuſtiſſima, cui uectigal, uectigal: cui hono
rem, honorem: omniumq́; pecora, terras,
cenſusq́; collegit; ipſos autem, qui ſemet-
ipſos cũ terris ſuis accipiendæ ſtipis taxati-
one uendiderant, ſtatuta quintæ partis pa-
ctione laxauit. Hunc Ioſeph, quem conſtitu
it deus Aegyptijs conſeruatæ ſalutis auto-
rem, quis credat ita in breui eorum excidiſ
ſe memoria, ut filios eius atq; uniuerſam co
gnationem paulopóſt ſeruitio addixerint,
laboribus affecerint, internecionibus profli
garint? Quamobrem non eſt mirandum, ſi
nunc quoq; aliqui reperiuntur, qui cum à
ceruicibus ſuis impẽdentem gladium præ
tẽto Chriſtiano nomine auerterint, ipſum
nomen Chriſti, quo ſolo ſalui ſunt, aut diſſi
mulent, aut infament: grauariq́; ſe eorum
temporibus aſſerãt, quoꝝ meritis liberant.

*De inundatione ſub Amphitryone & Deu calione regibus, peſte Aethiopica, Libero*

*patre Indiam uaſtante.* *Caput* IX.

ANno DCCCX. ante urbẽ conditam Amphitryon Athenis tertius a Cecrope regnauit, cuius tẽporibus aquarum illuuies maiorem partẽ populorum Theſſaliæ abſumpſit, paucis per refugia montiũ liberatis, maxime in mõte Parnaſo, in cuius circuitu Deucalion tũc regno potiebatur: qui tũc ad ſe ratibus cõfugientes ſuſceptos, ꝑ gemina Parnaſi iuga fouit aluitq́, a quo propterea genus humanum reparatum ferunt. Tunc etiam in Aethiopia peſtes plurimas diroſq́ morbos, penè uſq́ ad deſolationem exæſtuauiſſe, Plato teſtis eſt. Et ne forte diuiſa tempora eſſe credantur iræ dei furoriſq́ bellici, ea tempeſtate ſubactam Indiam Liber pater ſanguine madefecit, cædibus oppleuit, libidinibus polluit, gentẽ uti que nulli unquam hominũ obnoxiam, uernacula tantum quiete contentam.

*Deucalionis fabula.* *Peſtis Aethiopica.* *Liber pater Indos populatur*

*De populo dei in Aegypto afflicto, X. plagis Aegyptiorum, & tranſitu ſinus Arabici, ac reliquijs eiuſdem, de ſolis ardore quodam infeſto.*
*Caput* X.

ANno ante urbẽ cõditam DCCCV. infanda Aegyptijs mala, atq́ intolerabiles plagas incubuiſſe, Pompeius Corneliusq́ teſtantur: qui quidem cum hæc ambo de Iudæis referenda proponát, aliquantulum me pro ſui diuerſitate mouerũt. Ait enim Pompeius, ſiue eius abbreuiator Iuſtinus, hoc modo: Aegyptij cum ſcabiem atq́ uitiliginem paterentur, reſponſo moniti, Moyſen cũ ægris, ne peſtis ad plures ſerperet, terminis Aegypti pellunt. Dux igitur exulum factus, ſacra Aegyptiorum furto abſtulit: quæ armis repetẽtes Aegyptij, domum redire tempeſtatibus compulſi ſunt. At uero Cornelius de eadem re ſic ait: Plurimi autores conſentiũt, cum orta ꝑ Aegyptum tabes corpora fœdaret, regem Bocchorim adito Ammonis oraculo, remediũ petentẽ, purgare regnum, & id genus hominum, uti inuiſum dijs, alias in terras auehere iuſſum: ſic conquiſitum collectumq́ uulgus, poſtquam uaſtis locis relictum ſit, cæteris per lachrymas torpẽtibus, Moyſen unum exulum monuiſſe, ne quam deorum hominum'ue opem expectarent ab utriſq́ deſerti, ſed ſibimet ut duci cæleſti crederẽt: primo, cuius auxilio credentes, præſentes miſerias pepuliſſent. Itaq́ Cornelius dicit,

*Pompe. Trogus. Corneli. Tac. li. 21*





Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



quod ipſis Aegyptijs cogentibus,in deſerta
ꝑpulſi ſint Iudæi:& poſtea ſubiũgit in cau-
te, quod ope Moyſi ducis in Aegypto mi
ſerias pepuliſſent.Quare oſtēdit,quædam
Exo.5. quæ ꝑ Moyſen ſtrenue acta ſunt, fuiſſe cela
ta.Item Iuſtinus aſſerit,pulſum æque cũ po
pulo Moyſen,ſacra Aegyptiorum fuiſſe fu
ratum:quæ Aegyptios armis recipere mo
lientes, coactos tempeſtatibus ac repulſos
domum rediſſe.Et hic aliquid amplius, &
ſi non totũ,prodidit quod ille celauit.Qua-
propter q̄a Moyſi magno illi duci teſtimo
nium ambo dixerunt,ab ipſo ſicut quæ per
eum & geſta & dicta ſunt, proferantur:
Cum populum dei, hoc eſt,genus Ioſeph
Aegyptij,cuius ope ſalui erant,ſeruitio op
preſſum labore cruciarent, inſuper etiam
ad necandam ſobolem ſuam, crudeli impe
rio cogerent,dimitti deus populum ſuum
liberum,ad ſeruiendum ſibi ꝑ Moyſen nũ-
cium iubet: contemptuſq́, duriſſimis cōtu
maces ſupplicijs agit,q̄ decē plagis onera-
ti ac ꝑtriti,tandē quos dimittere noluerāt,
etiam feſtinare coēgerũt.Poſt aquas in ſan-
guinē cōuerſas, ardentibꝰ ſiti grauiora affe
rētes pœnarum remedia quā pœnas, poſt

*Aegyptiorum decem plagæ*



horridos ranarũ ſqualores, ꝑ omnia mun
da immundaq́; reptātes: poſt ignitos cyni-
phes, & nuſquam toto aëre uibrāte ineuita
biles: poſt muſcas caninas, etiā ꝑ interiora
membroꝝ horridis motibus curſitantes,
acerbéq; inferentes tam grauia tormenta
quàm turpia: poſt grandem omnium pe-
corum & iumentorum repentinā ruinam,
ſtragemq́; generalem: poſt ueſicas effer-
ueſcentes hulceraq́; manantia,& (ut ipſi di-
cere maluerunt) ſcabiem ac uitiliginem to
tis corporibus erumpentem: poſt grandi-
nem cum igne permixtam, paſſim homi-
nes,armenta atq; arbores proterentē: poſt
locuſtarũ nubes, exhauſtis omnibus, ipſas
quoq; radices ſeminum perſequentes: poſt
tenebras imaginibus diras,craſſitudine pal
pabiles,diuturnitate ferales:poſtremò poſt
uniformem in tota Aegypto primitiuæ ſo
bolis necem,paremq́; per uniuerſos orbita
tum tempeſtatem,qui iubenti deo non ceſ-
ſerant,ceſſere punitī:ſed mox peſſima pœ
nitētia dimiſſos perſequi auſi,ultima nefan
dæ peruicaciæ expendēre ſupplicia. Nam
rex eorũ uniuerſum Aegypti exercitũ, cur
ribus atque equitibus inſtructũ,in circum

*Exercitus Aegyptiorum.*

Universidad de Deusto Biblioteca



errantes egit: cuius numerum hoc ſolo uel maxime argumento conijcere poſſumus, quod eum ſexcenta millia uirorum timuerunt atq; fugerunt. Sed protector depreſſorum & ultor contumaciũ deus, diuiſit ſubito rubrum mare: ac dilatatus utrinq; marginibus rigentium undarum, in montis faciẽ latera erecta ſuſpendit, ut inoffenſi ſpe limitis prouocati, pĳ uiam deſperatæ ſalutis, impĳ foueã inſperatæ mortis intrarent. Itaq; Hebræis tutò per ſicca gradientibus, refuſis à tergo aquarum aſtãtium molibus, obruta eſt & interfecta cum rege ſuo uniuerſa Aegypti multitudo: totaq; prouincia plagis antè cruciata, hac poſtremo interfectione euacuata eſt. Extant etiam nunc certiſſima horum monimenta geſtorũ. Nam tractus curruum rotarumq; orbite non ſolum in littore, ſed etiam in profundo quouſq; uiſus admittitur, peruidentur. Et ſi forte ad tempus uel caſu, uel curioſitate cuiuſpiam turbantur, continuo diuinitus in priſtinam faciem uentis fluctibusq; reparãtur, ut quiſquis timorem dei non docetur propalatæ religionis ſtudio, iræ eius tranſactæ ultiõis terreatur exẽplo. His etiam tem-

*Fugiẽtiũ Hebræorum numerus. Tranſitus maris rubri.*

*Reliquiæ ueſtigiaq; curruum in mari rubro.*



poribus adeo iugis & grauis æſtus incãduit, ut ſol per deuia tranſuectus, uniuerſum orbem non calore affeciſſe, ſed igne torruiſſe dicatur: impreſſumq; feruorem & Aethiops plus ſolitũ, & inſolitum Scytha nõ tulerit: ex quo etiam quidam, dum nõ concedunt deo ineffabilem potentiã ſuam, inanes ratiunculas conquirentes, ridiculam Phaëtontis fabulam texuerunt.

*Aeſtus ſolis inſolitus, Phaetontis fabula.*

*De parricidio Danai per quinquaginta filias, quinquaginta Aegypti fratris filios perimens, de Buſiridis crudelitate, de Tereo, Progne, & Philomena, & Perſeo Aſiam populante.*

*Caput* XI.

ITẽ anno ante urbẽ cõditã DCCLXXV. inter Danai atque Aegypti fratrũ filios quinquaginta parricidia una nocte cõmiſſa ſunt. Ipſe deinde tantorum ſcelerum fabricator Danaus regno, quod tot flagitijs acquiſierat, pulſus, Argos conceſſit. Ibiq; indigne perſuaſis in facinus Argiuis, *Sthelenum qui cum profugum egentemq; ſuſceperat, regno expulit, atq; ipſe regnauit. Buſiridis in Aegypto cruentiſſimi tyranni crudelis hoſpitalitas, & crudelior tunc religio fuit: qui innocentum hoſpitum ſangui-

*Ouid. 4. Met.*

**Stenelan*

*Buſiris tyrannus*

Universidad de Deusto Biblioteca



nem dĳs, ſceleꝝ ſuorũ participibus ꝓpina-
bat: quod execrabile ſine dubio hominibus
ipſis, nedũ etiã dĳs uideri poteſt. Tũc etiã
à Progne Terei & Philomenæ inceſtui par-
ricidiũ adiunctũ, execrabilius utriq; conui-
uiũ ꝑ infandos cibos, additum eſt: cũ pro-
pter ſororis pudicitiã ereptam præciſamq;
linguam filium paruulum mater occidit,
pater comedit. Iiſdem temporibus Perſe-
us à Græcia in Aſiam trãſuectus eſt: ibi bar-
baras gentes graui diuturnoq; bello domu-
it, & nouiſſime uictor nomen ſubiectæ gen-
ti dedit: nanq; à Perſeo Perſæ uocitati ſunt.

*Prognes facinus. Ouidius. Meta. 6.*

*Perſeus Aſiam uaſtans.*

*Se nõ omnia omniũ facinora uelle referre, quorum tamen plurima uelut per occupationem quambreuiſsime ſubijcit.* Caput .XII.

AT ego nunc cogor fateri, me proſpi-
ciendi finis commodo, de tanta malo-
rum ſeculi circunſtantia præterire pluri-
ma, cuncta breuiare. Nequaquã enim tam
denſam aliquãdo ſyluam prætergredi poſ-
ſem, niſi etiã crebris interdum ſaltibus ſub-
uolarem. Nam cum regnum Aſſyriorum
per MCLX. annos uſq; ad Sardanapalum,
per quinquaginta propemodũ reges actũ
ſit, & nunquam penè uel inferendis uel ex-



cipiẽdis uſq; in id tempus bellis quieuerit,
quis finis reperietur, ſi ea commemorare
numerãdo, ne dicã deſcribendo conemur?
præſertim cum & Græcorum prætereun-
da non ſint, & Romanorum uel maxime re-
cenſenda ſint. Nec mihi nunc enumerare
opus eſt Tãtali & Pelopis facta turpia, & fa-
bulas turpiores: quorum Tãtalus rex Phry-
giorum, Ganymedẽ Trois Dardaniorum
regis filium, cum flagitioſiſſime rapuiſſet,
maiori conſerti certaminis fœditate deti-
nuit, ſicut Phanocles poëta confirmat, qui
maximum bellum excitatum ob hoc fuiſſe
commemorat: ſiue quia hunc ipſum Tanta-
lum, utpote aſſeclam deorum, uideri uult
raptum puerum ad libidinem Iouis, famili-
ari lenocinio præparaſſe, qui ipſum quoq;
filium Pelopem epulis eius non dubitarit
impẽdere. Tædet etiam ipſius Pelopis con-
tra Dardanum atq; Troianos, quamlibet
magna referre certamina: quæ, quia in fa-
bulis celebrari ſolita ſunt, negligentius au-
diuntur. Illa quoq; prætereo, quæ de Per-
ſeo, Cadmo, Thebanis, Spartaniſq; ꝑ inex-
tricabiles alternãtium malorum recurſus,
Palæphato ſcribente, referunt. Taceo flagi-

*Tantalus*

*Ganymedes.*

*Pelops. Dardanus.*

*Perſeus. Cadmus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Pandion. tia Lemniadũ, prætermitto Pãdionis Athe
Atreus. nienſium regis flebilem fugam, Atrei &
Thyeſtes. Thyeſtis odia, ſtupra & parricidia, cælo quo
que inuiſa, diſſimulo. Omitto & Oedipum
interfectorem patris, matris maritum, fili-
orum fratrem, uitricum ſuum. Sileri malo
Etheo cles. Etheoclem atq; Polynicem mutuis labo-
raſſe cõcurſibus, ne quis eorũ parricida nõ
Polyni ces. eſſet. Nolo meminiſſe Medeæ amore ſæuo
Medea ſauciæ, & pignorum paruulorũ cæde gau-
dentis: & quicquid temporibus illis perpe
tratum cõijci datur: qualiter homines ſuſ-
tinuerint, quod etiã aſtra fugiſſe dicuntur.

*Certamen inter Certenſes & Athenienſes, Lapithas & Theſſalos. Caput XIII.*

ANno ante urbẽ cõditã CCCCCLX.
atrociſſimũ inter Cretenſes & Athe
nienſes certamen fuit: ubi utrinq; populis
infeliciter profligatis, cruentiorem uictori
am Cretenſes exercuerunt: qui nobilium
Athenienſium filios Minotauro, utrum fe-
ro homini, an inhumanæ beſtiæ aptius dicã
neſcio, deuorandos crudeliter addicebant,
atq; informe prodigium effoſſis Græciæ
luminibus ſaginabant. Iiſdem diebus Lapi
thæ & Theſſali famoſis nimium certauère



conflictibus. Sed Theſſalos Palæphatus, in
libro primo incredibilium, prodit ipſos à Centauri qui crediti.
Lapithis creditos dictosq; fuiſſe centauros,
eo quod diſcurrentes in bello equites, uelu
ti unum corpus equorum & hominum ui
derentur.

*Veſores rex Aegypti, Scythas bello infeſtãs, uincitur. Scythæ Aſiam ſibi ſubijciunt.*

*Caput* XIIII.

ANno ante urbem conditam CCCC
LXXX. Veſores rex Aegypti meri- Veſores bellum
diem & ſeptentrionem, diuiſas penè toto
cælo ac pelago plagas, aut miſcere bello, Scythis primus
aut regno iungere ſtudens, Scythis bellum indixit.
primus indixit, miſſis prius legatis, qui ho Iuſtini
ſtibus parendi leges dicerent. Ad quæ Scy uerba li-
thæ legatis reſpondent, ſtolide opulentiſſi- bro. 2.
mum regem aduerſus inopes ſumpſiſſe bel Scytharũ
lum, quod timendum ipſi magis uerſa uice reſpõſum.
fuerit, propter incertos belli euentus: nul-
la præmia, & damna manifeſta. Porro ſibi
non expectandum, dum ad ſe ueniatur, ſed
ultro prædæ obuiã ituros. Nec mora: nam
dicta factis inſequuntur. Primum ipſum
Veſorem territum refugere in regnum co
gunt: deſtitutum uero exercitum inuadũt,

omnemq́; belli apparatum capeſſunt. Vniuerſam quoq; Aegyptum populaſſent, niſi paludibus impediti, repulſi fuiſſent. Inde cõtinuo reuerſi, perdomitam cædibus infinitis Aſiam, uectigalem fecere: ubi p XV. annos ſine pace immorati, tãdem uxorum flagitatiõe reuocantur, denunciantium, ni redeant, ſobolem ſe à finitimis quæſituras.

*Amazonum origo, mores & facinora.*
*Caput* XV.

*Plynos & Scholopythus*

*Amazonũ origo.*

MEdio autẽ tempore, apud Scythas duo regij iuuenes Plynos & Scholopythus, per factionem optimatum domo pulſi, ingentem iuuentutem ſecum traxere, & in Cappadociæ Ponticæ ora iuxta amnem Thermodoontem conſederũt, campis Themiſcyreis ſibi ſubiectis: ubi diu proxima quæque populati, conſpiratione finitimorum per inſidias trucidantur. Horum uxores exilio ac uiduitate permotæ, arma ſumunt, & ut omnibus par ex ſimili conditione animus fieret, uiros qui ſupererant, interficiunt: atque accenſæ in hoſtem, ſanguine ſuo ultionem cæſorum cõiugum, finitimorum excidio conſequuntur. Tunc pace armis quæſita, externos cõcubitus in-



eunt, editos mares mox enecant, fœminas ſtudioſe nutriunt, inuſtis infantium dexterioribus mamillis, ne ſagittarum iactus impedirẽtur, unde Amazones dictæ. Harum duæ fuere reginæ, Martheſia & Lampedo, quæ agmine diuiſo in duas partes, uiciſſim curam belli & domus cuſtodiã ſortiebantur. Igitur cum Europam maxima ex parte domuiſſent, Aſiæ uero aliquantis ciuitatibus captis, ipſæ autem Epheſum aliaſq; urbes condidiſſent, præcipuam exercitus ſui partem onuſtam opulentiſſima præda, domum reuocant: reliquæ ad tuendum Aſiæ imperium relictæ, cum Martheſia regina concurſu hoſtiũ trucidantur. Huius locum capeſſit *Orithyia filia, quæ ſingularem uirtutis gloriam perpetua uirginitate cumulauit. Hac fama excitas gentes tanta admiratio & formido inuaſerat, ut Hercules quoque cum iuſſus fuiſſet à domino ſuo exhibere arma reginæ, quaſi ad ineuitabile periculum deſtinatus, uniuerſam Græciæ lectam ac nobilem iuuentutem cõtraxerit, nouem longas naues præparauerit: nec *tanto contentus examine uiriũ, ex improuiſo aggredi, & inſperatas circumuenire maluerit.

*Martheſia & Lãpedo, Amazonum reginæ.*

*Martheſiæ cædes*

*Orithyia*
** Synope*

** tamen*

Universidad de Deusto Biblioteca



Duæ tunc ſorores regno præerant, Antiope & Orithyia. Hercules mari aduectus, incautas inermesq́ & pacis incuria deſides, oppreſſit. Inter cæſas captasq́ quàm plurimas, duæ ſorores Antiopæ Menalippe ab Hercule, & Hippolyte à Theſeo retentæ ſunt. Sed Theſeus Hippolyten matrimonio aſciuit, Hercules Menalippē ſorori reddidit, & arma reginæ precio redemptiōis accepit. Poſt Orithyiam Pēteſilea regno potita eſt, cuius Troiano bello clariſſima inter uiros documenta uirtutis accepimus. Penteſilea.

*Exclamat in cæcitatem Romanorum, oſtendens Gothorum iam olim inuictam ſtrenuitatē, quos uel ſummi orbis debellatores horruerint.*

Caput XVI.

PRoh dolor, pudet erroris humani. Mulieres patria profugæ, Europam atque Aſiam, id eſt, plurimas fortiſſimasq́ mūdi partes intrauerunt, peruagatæ ſunt, deleuerunt, & centum penè annis euertēdo urbes plurimas, atq; alias conſtituendo tenuerūt: nec tamē miſeriæ hominum preſſura temporum deputata eſt. Modo autem Getæ illi, qui & nunc Gothi, quos Alexander euitādos pronūciauit, Pyrrhus exhorruit, Cæ- *Getæ, iidē qui nunc Gothi.*



ſar etiam declinauit, relictis uacuefactisq́ ſedibus ſuis, ac totis uiribꝰ toti Romanas ingreſſi prouincias, ſimulq́ ad terrorem diu oſtentati, ſocietatem Romani fœderis precibus ſperant, quam armis uindicare potuiſſent. Exiguæ habitationis ſedem non ex ſua electione, ſed ex noſtro iudicio rogant: quibus ſubiecta & parente uniuerſa terra, præſumere, quam eſſet libitum, liberum fuit. Semetipſos ad tuitionem Romani regni offerunt, quos ſolos inuicta regna timuerūt: & tamen cæca gentilitas cum hæc Romana uirtute geſta non uideat, fide Romanorum impetrata non credit, nec acquieſcit cum intelligat, confiteri beneficio Chriſtianæ religionis, quæ *cognatam per omnes populos fidem iungit, eos uiros ſine prælio ſibi eſſe ſubiectos, quorum fœminæ maiorem terrarum partē immenſis cædibus deleuerūt. *Cognitā

*De raptu Helenæ, & ob hunc Troiæ excidio, deinde apoſtrophe ad lectorem.*

Caput XVII.

AT uero ante urbē conditam CCCCXXX. & amplius anno, raptus Helenæ, coniuratio Græcorū, & concurſus mille nauium, dehinc decennis obſidio, ac po-

*Troiæ excidium.* ſtremo famoſum Troiæ excidium prædicatur, in quo bello, per decem annos cruentiſſime geſto, quas nationes, quantosq́ populos idem turbo inuoluerit, atq́ afflixerit, *Homeri laus.* Homerus poeta in primis clarus, luculentiſſimo carmine palam fecit; nec per ordinem nunc retexere noſtrum eſt, quia & operi lõgum & omnibus notum uidetur. Veruntamen qui diuturnitatem illius obſidionis, euerſionis atrocitatem, cædem, captiuitatemq́ didicerũt, uideant, ſi recte iſto, qualiſcunq́ eſt, præſentis temporis ſtatu offenduntur, quos hoſtes, occulta miſericordia dei, cum per omnes terras inſtructis copĳs bello perſequi poſſint, pacis gratia prætentis obſidibus per omnia maria ſequitur: & ne forte hæc quietis amore facere credãtur, ſeipſos ad pericula ſua pro Romanorũ pace aduerſus alias gentes offerunt.

*Aeneæ in Italiam aduentus, & uariæ clades eiuſdem temporis.* Caput XVIII.

PAucis præterea annis interueniẽtibus, Aeneæ profugi ex Troia aduentus in Italiam, quæ arma commouerit, qualia per triennium bella excitauerit, quantos populos implicuerit, odio excidioq́ afflixerit, lu



di literarĳ diſciplina noſtræ quoq́ memoriæ inſitum eſt. Horum præterea tẽporum medio, interiacent exilia naufragiaq́ Græcorum, Peloponnẽſium clades, Codro moriente, fatorum ignari Thraces, noua in bella ſurgentes, & generalis tũc per totam Aſiam Græciamq́ commotio.

*De Sardanapalo rege Aßyriorum. De Phraorte, Diocle, & Aſtyage regib. Medorum. De Cyro rege Perſarum.* Caput XIX.

ANno ante urbem conditam LXIIII. nouiſſimus apud Aſſyrios regnauit Sardanapalus, uir muliere corruptior: qui inter ſcortorũ greges fœmineo habitu purpuram colo tractans, à præfecto ſuo Arbaſto, qui tunc Medis præerat, uiſus atq́ execrationi habitus, mox etiam excitis Medorum populis ad bellum prouocatus, & uictus, ardenti pyræ ſe iniecit. Exin regnum Aſſyriorũ in Medos conceſſit. Deinde multis prælĳs undiq́ ſcateſcentibus, quæ ꝑ ordinem diſſerere nequaquam aptum uidetur, per uarios prouentus ad Scythas Chaldæosq́, & rurſus ad Medos parili uia rediit. In qua breuitate penſandum eſt, quantæ ruinæ cladesq́ gentium fuere, quanta bella *Sardanapalus ab Arbaſto præfecto ſuperatur.* *Aſſyriorũ regnũ in Medos transfertur.*



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



fluxerunt,ubi toties tot & talia regna mu-
tata ſunt. Poſt hæc Medis Phraortes im-
peritauit,qui creberrimis Perſarum Aſſy-
riorumq; bellis, uiginti & duos regni ſui
annos conſumpſit. Poſt hunc Diocles re
gnauit,uir armis expientiſſimus,ſemperq;
bellis immoratus, qui auctum late imperi
um moriens Aſtyagi dedit. Aſtyages ui
rili prole uacuus, Cyrum nepotem apud
Perſas genitum habuit. Sed Cyrus,mox
ut adoleuit, congregata Perſarum manu,
auo certamen indixit. Porrò Aſtyages obli
tus ſceleris ſui,quod in Harpalum dudum
admiſerat, cum filium eius unicum & par
uulum,interfecit,epulandumq; patri appo
ſuit: ac ne quid infeliciſſimæ orbitati felix
ignorantia ſubtraheret, infames epulas,o-
ſtenſis patri cum capite manibus,imprope
rauit.Huius ergo facti immemor,ipſi Har
palo ſummam belli committit,qui acceptũ
exercitum ſtatim Cyro per proditionem
tradit.Quo comperto, Aſtyages raptis ſe-
cum copijs,in Perſas ipſe proficiſcitur,acri
uſq; certamen inſtaurat:propoſito ſuis me
tu,ſi quis è prælio cedere moliretur, ferro
exciperetur. Qua neceſſitate inſtanter Me-

*Phraortes.* *Diocles.* *Cyrus Aſtyagẽ armis infeſtat.* *Harpalus*



dis pugnantibus, pulſa iterum Perſarum
acies,cum paulatim cederet,matres & uxo
res eorum obuiam occurrunt, orant ut in
prælium reuertantur:cunctantibus,ſublata
ueſte,obſcœna corporis oſtendunt,quæren
tes,num in uteros matrum uel uxorum uel
lent refugere. Quo facto erubeſcentes, in
prælium redeũt.& facta impreſſione,quos
fugiebãt,fugere compellunt. Ibi tunc Aſty
ages capitur, cui Cyrus nihil aliud quàm
regnum abſtulit,eumq; maxime Hyrcano
rum genti præpoſuit.In Medos uero ipſe
reuerti noluit.Is finis imperij Medorum fu
it. Sed ciuitates quæ tributariæ Medorum
erant, à Cyro defecerunt: quæ res, Cyro
multorum bellorũ cauſa & origo extitit.

*Stratagema.* *Vxorum Perſarum facinus.* *Aſtyages capitur.* *Medorũ imperij finis.*

### *De Phalaridis tyrannide,& in Perillum animaduerſione. De Aremuli Latinorum regis flagitijs.* *Caput* XX.

EA tempeſtate Phalaris Siculus Agri-
gentinos arrepta tyrannide depopula
batur. Qui crudelis mente, commentis cru
delior,omnia nefarie in innocentes agens,
inuenit aliquando quem iuſte puniret iniu
ſtus. Nam Perillus quidam æris opifex,affe
ctans tyranni amicitiam,aptũ munus cru-

Universidad de Deusto Biblioteca



delitati illius ratus, taurum æneum fecit, cui adfabre ianuam è latere cōpoſuit, quæ ad contrudēdos damnatos receptui foret: ut cū incluſus ibidem ſubiectis ignibus torqueretur, ſonum uocis extortæ capacitas cōcaui æris augeret, pulſuq; ferali competens imagini murmur emitteret, nefarioq; ſpectaculo mugitus pecudis, non hominis gemitus uideretur. Sed Phalaris factum amplexus, factorem execratus, & ultioni materiam præbuit, & crudelitati: nā ipſum opificem ſua inuentione puniuit. Fuerat etiam paulò ſuperiori tempore apud Latinos rex Aremulus, qui per annos octodecim flagitiis impietatibusq; creſcens, ad poſtremum diuino iudicio fulmine interceptus, matura ſupplicia immatura ætate diſſoluit. Eligant nunc (ſi uidetur) Latini & Siculi, utrum in diebus Aremuli & Phalaridis eſſe maluiſſent, innocentum uitas pœnis extorquentium, an his temporibus Chriſtianis, cum imperatores Romani ipſa in primis religione compoſiti, poſt comminutas reipublicæ bono tyrannides, ne ipſorum quidem iniurias exigunt tyrannorum.

*Bellum inter Peloponnenſes & Athenienſes, de*



*Amazonum & Cimmeriorum in Aſiam incurſu, de diutina obſidione & expugnatione Lacedæmoniorum in Meſſenios. Bellum Athenienſium in Lacedæmonios. Peloponnenſium & Bœotiorum in Athenienſes.*

*Caput* XXI.

*Peloponnenſiū & Athenienſium congreſsio.*

ANno ante urbem conditam XXX. Peloponnenſium Athenienſiumq; maximum bellum totis uiribus animiſq; commiſſum eſt: in quo cædibus mutuis ad hoc coacti ſunt, ut uelut uicti, ſe ab alterutro ſubtraherent, bellumq; deſererent. Tunc etiam Amazonum gentis & Cimmeriorum in Aſiam repentinus incurſus, plurimam diu late uaſtationem ſtragemq; edidit. Anno uiceſimo ante urbem conditam, Lacedæmonij contra Meſſenios propter ſpretas uirgines ſuas in ſolenni Meſſeniorū ſacrificio, per annos uiginti indefeſſo furore bellantes, ruinæ ſuæ totas Græciæ uires implicuerunt: qui cum ſe magnis execrationibus deuouiſſent, ſacramentiſq; obſtrinxiſſent, domum, niſi Meſſena expugnata, nunquam eſſe redituros, ac per decē annos longa fatigati obſidiōe, nec tamen aliquem uincendi fructum adepti, porrò

Universidad de Deusto Biblioteca



autem & querelis uxorum ſuper longa ui-
duitate, & periculo ſterilitatis conteſtantiū
permoti reuocarentur, conſultatione habi-
ta, ueriti ne intercepta ſpe ſobolis ſibi ma-
gis hac perſeuerantia, quàm Meſſeniis per
ditio nutriret, ſelectos in exercitu eos, qui
poſt iuſiurandum in ſupplementū militiæ
uenerant, Spartam remittunt, quibus pro-
miſcuos omnium fœminarum concubitus
permiſere, infami ſatis, nec tamen inutili li
centia. Ipſi autem propoſito inſiſtentes, ex-
pugnant fraude Meſſenios, uictos ſeruitio
premunt. At illi cruentam diu dominatio-
nē inter uerbera & uincula perpeſſi, iugum
excutiunt, arma ſumunt, bellum inſtaurāt.
Lacedæmonii Tyrtæum poetam Athenien
ſem ducem prælio legunt: qui tribus con-
flictibus fuſi, amiſſum exercitum uocata in
libertatem ſeruorum manu, ſuppleuerunt.
Sed cum ſic quoque deſiſtendum certami-
ni propter metum periculi arbitrarentur,
Tyrtæi poetæ & ducis compoſito carmine
& pro cōcione recitato, rurſus accēſi, mox
in certamen ruunt: tantaq; ui animorū con
curſum eſt, ut raro unquam cruentius præ
lium exarſerit. Ad poſtremum tamen ui-

*Lacedæmonij quō deficienti proli conſuluerint*

*Tyrtæus poeta Atheniē. dux Lacedæmoniorum.*



ctoria Lacedæmoniorū fuit. Tertio Meſſe-
nii reparauere certamen. Nec Lacedæmo-
niis mora. Multas in auxilium copias utrin
que duxerunt. Athenienſes uero Lacedæ-
monios alibi intentos, è diuerſo aggredi pa
rant. Nec Lacedæmonii quieuere: nam ipſi
in Meſſenios occupati, Peloponnēſes immi
ſerunt, qui Athenienſes prælio exciperent.
Athenienſes autem miſſa in Aegyptū par-
ua claſſe, impares uiribus, nauali congreſſu
facile uincuntur. Dehinc recepta claſſe, au-
cti etiam militum robore, uictores in præ-
lium uocant. Lacedæmonii quoq; omiſſis
Meſſeniis, in Athenienſes arma conuertūt.
Diu graues & uariæ pugnæ, & anceps ui-
ctoriæ ſtatus: ac poſtremum pendēte euen
tu, utrinq; diſceſſum eſt. Sciendum tamen
eſt, maxime ipſam eſſe Spartam, quam &
Lacedæmoniam ciuitatem dicūt, atq; inde
Lacedæmonios, Spartanos dici. Igitur inde
reuocati Lacedæmonii ad Meſſeniorū bel-
lum, ne medium tempus ocioſum Atheni
enſibus relinquerent, cum Thebanis paci-
ſcuntur, ut Bœotiorum imperium eis reſti
tuerent, quod temporibus belli Perſici ami
ſerant, ſi illi Athenienſium bella ſuſciperēt.

*Sparta quæ olim Lacedæmon.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Tátus furor Spartanoꝝ erat, ut duob⁹ bel-
lis impliciti, ſuſcipere tertiũ nõ recuſarét,
dũmodo inimicis ſuis hoſtes acquirerent.
Athenienſes táta bellorum tempeſtate per
moti, duos duces deligũt: Periclem ſpecta-
tæ uirtutis uirũ, & Sophoclem ſcriptorem
tragœdiarum: qui diuiſo exercitu, & Spar
tanorum fines late populati ſunt, & multas
Aſiæ ciuitates Athenienſium imperio adic
cerunt. Hinc porro per annos quinquagin
ta incerta ſemper uictoria terra mariq́; pu
gnatũ eſt, donec Spartani & opibus immi
nutis, & fide ꝓfligata, ſocijs quoq; probro
fuere. Sed hæc per tot ætatũ uolumina in-
cubuiſſe Græciæ paruipenditur. Nunc au
tem interpellari interdum uoluptates, &
impediri parumper libidines non ſuſtine-
tur. Quanquam inter illius temporis ho-
mines atque iſtius, hoc intereſt, quod illi
æquo animo hæc intoleranda tolerabant,
quia in his nati uel enutriti erant, & melio-
ra non nouerant: iſti autem perpetuo in ui
ta ſua tranquillitatum & deliciarum ſereno
aſſuefacti, ad omne uel modicum obductæ
ſolicitudinis nubilum commouentur. At-
que utinam ipſum depulſorem huius uel

*Pericles & Sophocles in duces electi.*

*Lacedæ. opibus exhauſtis deſeruntur uincunturq́;.*



modicæ inquietudinis precarentur, cuius
munere hanc ignoratam alijs temporibus
fugitatem pacis habuerũt. Et quoniam ſpo
pondiſſe me memini, cum ueluti articulis
quibuſdam dicendi ordinem definirem, di
cturum me eſſe ab orbe condito uſque ad
urbem conditam. huic uolumini, quod ab
orbe condito explicuimus, finis hic ſit,
ut ab urbe cõdita ſequens libellus in-
cipiat, qui contextiora illorum
temporum mala, exercitatio
ribus quippe ad nequiti-
am atque eruditiori
bus hominibus,
continebit.

Universidad de Deusto Biblioteca



# PAVLI OROSII HISTORIARVM LIBER .II.

*Deus creatum à ſe hominem ob intemperantiam corripit, & ob hunc terram quoque affligit. De uiciſsitud ne monarchiarum.*

Caput I.

NEMINEM
iam eẽ ho-
minũ arbi
bitror, quẽ
latere poſ-
ſit, ꝙ homi
nẽ in hoc
mundo de
us fecerit,
unde etiã
peccãte ho
mine mundus arguitur: ac ꝓpter noſtram
intemperantiam comprimendã, terra hæc
in qua uiuimus, defectu cæterorũ anima-
lium, & ſterilitate ſuorum fructuum caſti
gatur. Itaq; ſi creatura dei, merito & diſpen
ſatio dei ſumus, quis enim magis diligit, q̃



ille qui fecit? Quis autem ordinatius regit,
quàm is qui & fecit & diligit? Quis uero
ſapientius & fortius ordinare & regere fa-
cta poteſt, q̃ qui & facienda prouidit, & ꝓ-
uiſa perfecit? Quapropter omnem poteſta
tem à deo eſſe, omnemq; ordinationem, &
qui non legerunt, ſentiunt: & qui legerũt,
cognoſcunt. Quod ſi poteſtates à deo ſunt, *Omnis poteſtas & ordinatio à deo.*
quanto magis regna, à quibus reliquæ po-
teſtates progrediuntur? Si autem regna di
uerſa, quanto æquius regnum aliquod ma
ximum, cui reliquorum regnorum pote-
ſtas uniuerſa ſubijcitur? quale à principio
Babylonicum, & deinde Macedonicum fu
it, poſtea etiam Africanũ, atque in fine Ro
manum, quod uſq; ad nũc manet: eademq;
ineffabiliore ordinatiõe per quatuor mun
di cardines, quatuor regnorum principa-
tus fuere diſtinctis gradibus eminentes: ut
Babylonicum regnum ab oriente, à meri-
die Carthaginiẽſe, à ſeptentrione Macedo
nicum, ab occidente Romanum: quorum
inter primum & nouiſſimum, id eſt, inter
Babylonicum & Romanum, quaſi inter pa
trem ſenem ac filiũ paruum, Africanum
& Macedonicum breuia & media, quaſi tu

tor curatorq́; uenerunt, poteſtate, temporis, non iure hæreditatis, admiſſa. Quod utrum ita ſit, apertiſſime expedire curabo.

*Supradictorum quaſi epilogus, diuerſorumq́; regnorum ac temporum collatio, deq́; uiciſsitudine regnorum.* *Caput* .II.

*Babyloniam condidit Semiramis.*

*Regni Aſſyriorum diuturnitas*

*Proca regnante, Ro. cœpit imperium*

REx primus Aſſyriorum, qui eminere cæteris potuit, Ninus fuit. Occiſo Nino, Semiramis uxor eius, totius Aſiæ regina, Babyloniam urbem inſtaurauit, caputq́; regni Aſſyrij ut eſſet inſtituit. Regnum Aſſyriorum diu inconcuſſa potẽtia ſtetit. Sed cum Arbaſtus, quem alij Arbacem uocãt, præfectus Medorum, idemq́; natione Medus, Sardanapalum regem ſuum apud Babyloniam interfeciſſet, regni nomẽ & ſummam ad Medos tranſtulit. Ita Nini & Babylonis regnũ eo anno in Medos deriuatum eſt, quo anno apud Latinos Procas Amulij & Numitoris pater, auus autem Rheæ Syluiæ, quæ mater Romuli fuit, regnare cœpit. Vt autem omnia hæc ineffabilibus myſterijs & profundiſſimis dei iudicijs diſpoſita, non autem humanis uiribus, aut incertis caſibus accidiſſe perdoceam, omnes hiſtoriæ antiquæ à Nino incipiũt, omnes hi-



ſtoriæ Romanæ à Proca exoriũtur. Deinde à primo anno imperij Nini uſque quo Babylon à Semiramide inſtaurari cœpta eſt, interueniunt anni LXIIII. Et à primo anno Procæ, cum regnare cœpit, uſque ad conditionem urbis, factam à Romulo, interſunt anni æque LXIIII. Ita regnante Proca, futuræ Romæ ſementis iacta eſt, etſi nondum germen apparet. Eodem anno regni ipſius Procæ, Babylonis regnum defecit, etſi adhuc Babylon ipſa conſiſtit. Diſcedente autem Arbaſto in Medos, partẽ regni penes ſe retinuere Chaldæi, qui Babyloniam ſibi aduerſum Medos uendicauerunt. Ita Babyloniæ poteſtas apud Medos, proprietas apud Chaldæos fuit. Chaldæi autem propter antiquam regiæ urbis dignitatem, non illam ſuã, ſed ſe illius uocari maluerunt: unde factum eſt, ut Nabuchodonoſor, cæteriq́; poſt eum uſq; ad Cyrum reges, quamuis Chaldæorum uiribus potentes, & Babyloniæ nomine clari legantur, in numero tamen & ordine regum non habentur illuſtriũ. Babylon itaq; eo anno ſub Arbaſto præfecto dehonora-

*Temporis ſupputatio.*

*Nabuchodonoſor.*

*Babylonis deſtructio, fuit Romæ cõditio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ta eſt, quo Roma ſub Proca rege (ut ꝓprie
dixerim) ſeminata eſt. Babylō nouiſſime
eo tēpore à Cyro rege ſubuerſa, quo pri-
mum Roma à Tarquiniorum regum do
minatione liberta eſt. Siquidem ſub una
eademq; conuenientia temporum illa ce
cidit, iſta ſurrexit: illa tunc primum alie-
nigenarum perpeſſa dominatū, hæc tunc
primum etiam ſuorum aſpernata faſtidi
um: illa tunc quaſi moriens, dimiſit hære
ditatem: hæc uero pubeſcens, tūc ſe agno
uit hæredem: tunc orientis occidit impe
rium, & ortum eſt occidentis. Et ne diuti
us uerbis morer, committo me dentibus
inſanientium, ſed ueritatis præſidio libe-
randum.

*Simile penè initium, conditio & ſtatus regni*
*Babylonici & Romani, ſed exitus diuerſus.*
*Caput* III.

REgnauit Ninus annis LII. Cui ſuc-
ceſſit (ut dixi) uxor ſua Semiramis:
quæ cum & ipſa quadraginta duobus an
nis regnauerit, medio imperij ſui tempo
re Babyloniam caput regni condidit.
Ita Babylon poſt annos M.CLX. & ꝓpe-
modum quatuor, quàm cōdita erat, à Me



dis, & Arbaſto rege eorum, præfecto au
tem ſuo, ſpoliata opibus & regno, atque
ipſo rege priuata eſt; ipſa tamen poſt ali-
quandiu manſit incolumis. Similiter &
Roma poſt annos totidem, hoc eſt, M.C.
LX. & ferè quatuor, à Gothis & ab Alari-
co rege eorum, comite autem ſuo, irru-
pta & opibus ſpoliata, non regno, manet
adhuc, & regnat incolumis: quamuis in-
tantum arcanis ſtatutis inter utráq; urbē
conuenientiæ totius ordo ſeruatus ſit, ut
& ibi præfectus eius Arbaſtus regnū in-
uaſerit, & hic huius præfectus Attalus re
gnare tentauerit: tametſi apud hāc ſolam
merito Chriſtiani imperatoris Honorij,
attentatio profana uacuata ſit. Itaq; hæc
ob hoc præcipue commemoranda cre-
didi, ut tanto arcano ineffabilium iudicio
rum dei ex te patefacto, intelligāt hi, qui
inſipienter utiq; de temporibus Chriſtia
nis murmurant, unum deum diſpoſuiſſe *Dictorum*
tempora, & in principio Babylonijs, & *repetitio.*
in fine Romanis: illius clemētiæ eē, quod
uiuimus: quod autē miſere uiuimus, in-
temperantiæ noſtræ. Ecce ſimilis Babylo
niæ ortus & Romæ, ſimilis potentia, ſimi-

Universidad de Deusto Biblioteca



ſis magnitudo,ſimilia tēpora, ſimilia bona,ſimilia mala, tametſi nō ſimilis exitus, ſimilis'ue defectus. Illa enim regnū amiſit,hæc retinet:illa interfectione regis orbata, hæc incolumi imperatore ſecura eſt. Et hoc quare? Quoniā ibi in rege libidinum punita turpitudo,hic Chriſtianæ religionis continentiſſima æquitas in rege ſeruata eſt: ibi abſque religionis reuerentia, auiditatem uoluptatis licentia furoris impleuit:hic & Chriſtiani fuere qui parcerent,& Chriſtiani quibus parcerēt, & Chriſtiani propter quorum memoriam,& in quorum memoria parceretur. Quapropter deſinant religionem lacerare,& laceſſere patientiā dei:propter quā habēt uti, & hoc quoque impunitum habeant, ſi aliquando deſiſtant.Recolant ſanè mecum maiorum ſuorum tempora bellis inquietiſſima, ſceleribus execrabilia,diſſenſionibus fœda, miſerijs continuatiſſima,quæ & merito poſſunt horrere, quia fuere, & neceſſario debēt rogare ne ſint:eum ſane rogare ſolum deum,qui & tunc occulta iuſtitia permiſit ut fierēt,& nūc aperta miſericordia præſtat, ut non



ſint:quæ modo à me plenius,ab ipſo urbis exordio reuolutis per ordinem hiſtorijs,proferentur.

*Quo tempore Roma condita, Romuli cæterorumq; regum Romanorum,eorumq; nominis abolitio & abiuratio.* Caput IIII.

ANno igitur poſt euerſionē Troiæ circiter CCCXXXV. olympiade autem VI.quæ V. demum anno, quatuor in medio expletis,apud Elidem Græciæ ciuitatem, agone & ludis exerceri ſolet, urbs Roma in Italia à Remo & Romulo geminis autoribus condita eſt,cuius regnum continuo Romulus parricidio imbuit:pariq; ſucceſſu crudelitatis ſine mora raptas Sabinas improbis nuptiis confœderatas , maritorum & parentum cruore dotauit.Itaque Romulus interfecto primum auo Numitore, dehinc Remo fratre,arripuit imperium,urbēq; cōſtituit:regnum aui,muros fratris, templum ſoceri ſanguine dedicauit,ſceleratorum manum promiſſa impunitate collegit. Primus illi campus ad bellū, forum urbis fuit , mixta ſimul externa ciuiliaq; bella nunquam de futura ſignificans. Sa-

*cccc xiiij.

*Roma quādo cōſtructa.*

*Dos Romæ & dedicatio.*

Universidad de Deusto Biblioteca



binorum, quos fœdere ludiſq; pellexerat, fœminas tam inhoneſte præſumpſit, quàm nefarie defendit. Ducem eorũ Titum Tatium ſenem, honeſtis pietatis cauſis inſiſtentem, diu armis propulſatum, mox ut in ſocietatem regni aſſumpſit, occidit. Cum Veientibus prælium adhuc paruo nomine magnis uiribus agitatum eſt. Ceninenſium captum ac dirutum oppidum. Aſſumptis ſemel armis, nũquam quies fuit: quippe quibus egeſtas turpis, atq; obſcœna fames domi timeretur, ſi unquam paci acquieuiſſent. Iam hinc inceſſabilia certamina, & iuxta quantitatem uirium ſemper grauia, quàm breuiſſime ſtrinxero.

*Tullus Hoſtilius.*

Tullum Hoſtiliũ militaris rei inſtitutorẽ, fiducia bene exercitatæ iuuentutis Albanis intuliſſe bellũ: & diu altrinſecus ſpe incerta, certaq; clade, tandẽ peſſimos exitus & dubios euentus compendioſa tergeminorum cõgreſſione finiſſe.

*Metij ſupplicium.*

Rurſus pace dirupta, Metium Sufferium Fidenate bello, meditata etiam proditione ſuſpenſum, curribus in diuerſa raptantibus, duplicis animi noxam pœna diuiſi corporis expendiſſe, Latinos Anco



Martio duce ſæpe congreſſos, aliquando ſuperatos. Tarquinium Priſcum omnes finitimos & potentes tũc XII. Tuſciæ populos innumeris concidiſſe conflictibus.

*Seruius Tullus.*

Veientes Seruio Tullo inſiſtente, uictos fuiſſe, nec domitos. Tarquinij Superbi regnum, occiſi ſoceri ſcelere aſſumptum, habita in ciues crudelitate detentum, flagitio adulteratæ Lucretiæ amiſſum, & intus domeſtica uitia, uirtutesq; forinſecus emicantes, id eſt, oppida ualida in Latio per eum capta, Ardeam, Ocricolum, Sinueſſam, Pometiamq;: & quicquid in Gabios uel fraude propria, uel pœna filij, uel Romanis uiribus ꝑpetrauit. Sed Romani quanta mala per CCXL. & III. annos continua illa regum dominatione pertulerint, non ſolum unius regis expulſio, uerum etiam abiuratio regij nominis & poteſtatis oſtẽdit. Nam ſi unius tãtum ſuperbia fuiſſet in culpa, ipſum ſolum oportuiſſet expelli, ſeruata regia dignitate melioribus.

*Regibus expulſis, conſules creantur.*

Igitur regibus urbe propulſis, Romani conſulendũ ſibi potius quàm cuiquam ſuæ libertati dominandum rati, conſules creauerunt: quibus ueluti ad-

ulta reipub. creſcẽtis ætas, robuſtioribus auſis exercebatur.

*Bruti primi COS. facinora. Tarquinienſium & Sabinorum bellum. Diſceſſio plebis. Fames & peſtilentia ingens Romæ. Veientum & Hetruſcorum bellum, quo familia illa Fabiorum interijt.* Caput V.

*Brutus primus conſul.*

ANno poſt urbẽ cõditã CCXLIIII. Brutus primus apud Romanos conſul, primum conditorem regemq́ꝫ Romæ non ſolum exæquare parricidio, ſed & uincere ſtuduit: quippe duos filios ſuos adoleſcentes, totidemq́ꝫ uxoris ſuæ fratres Vitellios iuuenes, reuocandorum in urbem regum placito inſimulatos, in concionem protraxit, uirgis cecidit, ſecuriq́ꝫ percuſſit. Ipſe deinde Veientum Tarquinienſiumq́ꝫ bello cum Arunte Superbi filio, congreſſo ſibi commortuoq́ꝫ, ꝓcubuit. Porſenna rex Hetruſcorum, grauiſſimus regĳ nominis ſuffragator, Tarquinienſium manum ingerens, tribus continuis annis trepidam urbem terruit, concluſit, obſedit: & niſi hoſtem uel Mutius conſtanti urendæ manus patientia, uel uirgo Chloëlia admirabili tranſ-

*Mutius Scæuola. Chloëliæ audacia.*



meati fluminis audacia permouiſſent, ꝑfecto Romani compulſi fuiſſent perpeti aut captiuitatem, hoſte inſiſtente ſuperati: aut ſeruitutem, recepto rege ſubiecti. Poſt hæc Sabini corraſis undique copĳs, magno apparatu belli, Romam contendunt: quo metu conſternati Romani, dictatorem creant, cuius autoritas & potentia conſulem præiret: quæ res in illo tunc bello plurimum emolumenti tulit.

*Dictator creatur.*

Sequitur diſceſſio plebis à patribus. Cum Marco Valerio dictatore delectum militum agente, uarĳs populus ſtimulatus iniurĳs, ſacrum montem inſedit armatus: qua pernicie quid atrocius, cum corpus à capite deſectum, perditionem eius per quod ſpirabat, meditaretur? actumq́ꝫ de Romano nomine inteſtina pernicie foret, niſi maturata reconciliatio ſubrepſiſſet prius, quàm ſe diſceſſio ipſa cognoſceret. Vrget enim ſe atque imminet ſibi extra illas apertas bellorum clades, ſucceſſu miſero clandeſtina pernicies: quippe Tito Geſſonio & Publio Minutio conſulibus, duo uel maxima omnium malorum abominamenta, fames

& peſtilentia, feſſam urbem corripuere. Ceſſatum eſt pauliſper à prælijs, ceſſatum tamen à mortibus non eſt. Veientes & Hetruſci graues hoſtes, adiunctis ſibi finitimorum copijs, in bella ſurgentes, obuijs Marco Fabio, & Gneio Manlio conſulibus excipiuntur: ubi poſt ſacramentum iurationis, quo ſe Romani deuouerant, non niſi poſt uictoriã ad caſtra redituros: adeo atrox certamen fuit, ut uictis uictoribusq; par forma eſſet, & amiſſo plurimo exercitu, occiſisq; in pugna Manlio conſule & Fabio conſulari, Marcus Fabius conſul oblatũ ſibi à ſenatu triumphum ſuſcipere recuſaret, quia tantis reipublicæ detrimentis luctus potius debebatur. Glorioſiſſima illa numero & uiribus Fabiorum familia, Veiẽtanum ſortita certamen, quantam reipublicæ orbitatẽ occaſu ſuo intulerit, infamibus uſq; nũc uocabulis teſtes ſunt, fluuius qui perdidit, & porta quæ emiſit. Nam cum ſex & CCC. Fabij uere clariſſima Romani ſtatus lumina, ſpeciale ſibi aduerſum Veientes decerni bellum expetiuiſſent, ſpem temere ſumptæ expeditionis primis ſuc-

*Fames & peſtilẽtia.* *Veientes.* *Hetruſci.* *Fabiorũ familiæ occaſus.*



ceſſibus firmauerunt: dehinc inducti in inſidias, circũuentiq; ab hoſtibus, omnes ibidem trucidati ſunt: uno tantum ad enũciandam cladẽ reſeruato, ut miſerius audiret patria perditos, quàm perdidiſſet. Ad hæc non Romæ tantum talia gerebãtur, ſed quæq; ꝓuincia ſuis ignibus æſtuabat: & quod poëta præcipuus in una urbe deſcripſit, ego de toto orbe dixerim: Crudelis ubiq; Luctus, ubiq; pauor, & plurima mortis imago.

*Virgilius*

*Cyrus rex Perſarum totum orientem populatur, Babylonem urbem munitiſſimã capit, Crœſum uincit.* Caput .VI.

IGitur eodem tẽpore Cyrus rex Perſarum, quem ſuperius explicandæ cauſa commemoraueram, qui tunc Aſiam, Scythiam, totumq; orientem armis peruagabatur, cũ Tarquinius Superbus urbem, uel rex uel hoſtis, aut ſeruitio premebat aut bello, Cyrus (ut dixi) cunctis, aduerſum quos ierat, perdomitis, Aſſyrios & Babyloniam petit gentem, urbemq; tũc cũctis opulentiorẽ: ſed impetũ eius Gyndes fluuius, ſecundæ poſt Euphratem magnitudinis, intercepit. Nam cũ unum

Universidad de Deusto Biblioteca



regiorum equorum cãdore formaq́; præ
cipuum cum equite tranſmeandi fiducia
perſuaſum, qua per rapacem alueum, of-
fenſi uado uortices attollebantur, abre-
ptum præcipitatumq́; merſiſſet, rex ira-
tus ulciſci in amnem ſtatuit, conteſtans
eum qui nunc tam præclarum equum
equitemq́; uoraſſet, fœminis uix genua
tingentibus, à ſe permeabilem relinquen
dum. Nec peragendo ſegnior, totis copi
is perpeti anno Gyndem fluuium per
magnas conciſum deductumq́; foſſas, in
CCCC. & LX. alueos comminuit. Eo
opere perdoctis foſſoribus, etiam Eu-
phratem longe ualidiſſimum, & mediam
Babyloniam interfluentem, deriuauit: Ac
ſic meabilibus uadis ſiccum, etiam paten
tibus aluei partibus iter fecit: cepitq́; ur-
bem, quam uel opere humano extrui po
tuiſſe, uel humana uirtute deſtrui poſſe,
utrunq; pene incredibile apud mortales
erat. Nanq; Babyloniã à Nemrod gigan
te fundatã, à Nino uel Semiramide repa
ratã, multi prodidere. Hæc campi plani-
tie undiq; cõſpicua, natura loci lætiſſima,
caſtrorũ facie mœnibus paribus per qua-

*Euphrates foſſorũ opera meabilis.*

*Babylon à Nẽrod condita.*



drum diſpoſita, murorum eius uix credi
bilis relatu firmitas & magnitudo, id eſt,
latitudo cubitorum quinquaginta, altitu
do quater tanta. Cæterum ambitus eius,
cccc.lxxx. ſtadijs circumuenitur. Murus
coctili latere atq; interfuſo bitumine cõ-
pactus, foſſa extrinſecus late patens, uice
amnis circumfluit. A fronte murorum,
c. portæ æreæ. Ipſa autem latitudo in con
ſummatione pinnarum utroq; latere ha-
bitaculis defenſorum æque diſpoſitis, me
dia intercapedine *actas quadrigas capit.
Domus intrinſecus quatergeminæ, habi
tationes minaci proceritate mirabiles. Et
tamen magna illa Babylon, illa prima
poſt reparationem humani generis con-
dita, nunc penè etiam minima mora ui-
cta, capta ac ſubuerſa eſt. Ibi tunc Crœſus
rex Lydorum famoſus opibus, cũ ad au-
xiliandum Babylonijs ueniſſet, uictus ſoli
citusq́; in regnum refugit. Cyrus autem
poſtea quàm Babylonem ut hoſtis inua-
ſit, ut uictor euertit, ut rex diſpoſuit, bel-
lum tranſtulit in Lydiam; ubi conterritũ
ſuperiore iam prælio exercitum, nullo
negocio ſuperauit. Ipſum etiã Crœſum

*Babylonis deſcriptio.*

**citas uel uicenas*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Crœſus capitur. Humana omnia uetuſtate cōſumi.*

cepit, captumq́ꝫ & uita & patrimonio donauit. Exaggerare hoc loco mutabilium rerum inſtabiles ſtatus non opus eſt: quicquid enim eſt opere & manu factum, labi & conſumi uetuſtate, Babylon capta confirmat: cuius ut primum imperium ac potentiſſimum extitit, ita primum ceſſit, & ueluti quodam iure ſuccedentis ætatis debita poſteris traderetur hæreditas, ipſis quoqꝫ eandē tradendi formulam ſeruaturis. Ita ad proxima aduentantis Cyri tentamenta ſuccubuit magna Babylon, & ingens Lydia, ampliſſima orientis cū capite ſuo brachia, unius prælij expeditiōe ceciderunt: & noſtri incircunſpecta anxietate cauſant, ſi potētiſſimæ illæ quōdā Romanæ reipublicæ moles, nūc magis imbecillitate propriæ ſenectutis, quàm alienis concuſſæ uiribus contremiſcunt.

*Cyrus Scythis bellum intulit, & à Tomyri regina quæ tunc eis præerat, uictus & occiſus eſt.* Caput VII.

*Cyrus.* *Tomyris.*

IGitur idem Cyrus proximi temporis ſucceſſu, Scythis bellum intulit: quē Tomyris regina, quæ tūc genti præerat, cum prohibere tranſitum Araxis fluminis poſſet, tranſire permiſit. Primum propter fiduciam ſui, dehinc propter opportunitatem ex obiectu fluminis hoſtis incluſi. Cyrus itaqꝫ Scythiam ingreſſus, procul à tranſmiſſo flumine caſtra metatus, inſuper aſtu eadē inſtructa uino epuliſq́ꝫ deſeruit, quaſi territus refugiſſet. Hoc comperto, regina tertiam partē copiarum & filium adoleſcentulum ad perſequendum Cyrum mittit. Barbari ueluti ad epulas inuitati, primū ebrietate uincuntur: mox reuertēte Cyro, uniuerſi cū adoleſcente obtruncantur. Tomyris exercitu ac filio amiſſo, uel matris uel reginæ dolorem ſanguine hoſtiū diluere promptius, quàm ſuis lachrymis parat. Simulat diffidentiam deſperatione cladis illatæ, paulatimq́ꝫ cedendo, ſuperbū hoſtem in inſidias uocat. Ibi quippe compoſitis inter montes inſidijs, CC. M. Perſarum cum ipſo rege deleuit: adiecta ſup omnia illius rei admiratione, quod ne nuncius quidem tantæ cladis ſuperfuit. Regina caput Cyri amputari, atqꝫ in utrem humano ſanguine oppletum conijci iubet, non mulicbriter increpitans: Satia te, inquit,

*Cyri aſtutia.*

*Cyrus occiditur.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſanguine quē ſitiſti, cuius p annos triginta inſatiabilis perſeueraſti.

*Darius rex Perſarum Scythas infeſtans, fugatur. Aſiam, Macedoniam, & Ionas uincit. Athenienſes cum uitæ ſuæ multorumq; diſcrimine aggreditur.* Caput VIII.

ANno ab urbe condita CCXL. quinto, Darius Cyro apud Scythas interfecto, poſt aliquantum interuallū ſorte regnum adeptus eſt. Regnauit enim medius eorū Cambyſes Cyri filius: qui deuicta Aegypto, cunctam Aegypti religionem abominatus, ceremonias eius & templa depoſuit. Poſt hunc etiam Magi duo ſub nomine quem occiderant regis, regno obrepere auſi, qui quidem mox deprehenſi & oppreſſi ſunt. Darius itaque unus ex his qui Magorum audaciam ferro coërcuerant, conſenſu omniū rex creatus eſt: qui poſtquam Aſſyrios ac Babyloniam à Perſarum regno deficientem, bello recuperauit, Attyro rege Scythárū hac uel maxime cauſa bellū intulit, quod filiæ eius petitas ſibi nuptias non obtinuiſſet. Magna ſcilicet neceſſitas, pro unius libidine hominis, DCCM. uirorum pe-

*Magorū auſus.*

*Darius rex eligitur.*

**Antyro*



riculo mortis exponi. Incredibili quippe apparatu cum DCC.M. armatorum Scythiam ingreſſus, non facientibus hoſtibus iuſtæ pugnæ poteſtatem, inſuper repentinis incurſibus extrema copiarum dilacerantibus, metuens ne ſibi reditus interrupto ponte Iſtri fluminis negaretur, amiſſis LXXX.M. bellatorum, trepidus refugit, quamuis hunc amiſſorum numerum inter damna non duxerit: & quem habendum uix quiſquā ambire auſus eſſet, perditum ille non ſenſit. Inde Aſiam Macedoniamq; aggreſſus, perdomuit. Ionas quoque nauali congreſſione ſuperauit. Deinde in Athenienſes, quod Ionas aduerſum ſe auxilio iuuiſſent, impetum fecit, atq; arma direxit. Porrò Athenięſes ubi aduentare Darium compererunt, quamuis auxilium à Lacedæmoniis popoſciſſent, tamen cū detineri Perſas quadriduanæ religionis ocio compertū haberent, ſpem occaſione ſumentes, inſtructis tantum X.M. armatorum ciuium, & Platæenſibus auxiliaribus M. aduerſum DC. millia hoſtium campis Marathoniis proruperūt. Miltiades ei tunc bello præfuit, qui celeri

*Darius Scythas bello aggreditur.*

*Aſiam et Macedoniā et Ionas uicit.*

*Athenienſes aggreditur.*

Universidad de Deusto Biblioteca



tate magis quàm uirtute fretus, alacri ſatis expeditione prius hoſti cominus inhæſit, quàm poſſet expedito ſagittarum iactu propulſari. Tanta in eo bello diuerſitas certandi fuit, ut ex alia parte uiri ad occidẽdum parati, ex alia pecudes ad moriendum præparatæ putarentur.

*Perſæ ad Marathonem uincuntur.*

CCM. Perſarum apud campos Marathonios ea tempeſtate ceciderũt. Senſit Darius hoc damnum: nam uictus fugatusq́; arreptis nauibus, refugit in Perſas.

*Darij interitus.*

Cum autẽ inſtauraret bellũ, & ulciſci in uictores moliretur, in ipſo apparatu concidit, olympiade ſeptuageſima quarta, hoc eſt, poſt urbem conditam anno CCLXXV. quo tempore Romæ Popilia uirgo ob crimẽ ſtupri uiua defoſſa eſt.

*Xerxes rex Perſarum cum numeroſiſſ. exercitu à Spartanis paucis duce Leonide, ingentẽ cladem accipit, aſtuq; uincitur.*

*Caput* IX.

*Xerxes Dario ſuccedit.*

*Demaratus.*

XErxes Dario patri in regnum ſuccedens, bellum aduerſus Græciam à patre ſuſceptum, per quinquẽnium inſtruxit: quod Demaratus Lacedæmonius qui tũc forte apud Xerxem exulabat, per



tabellas primum ſcriptas, deinde ceratas, ſuis prodidit. Igitur Xerxes DCCM. armatorum de regno, & CCCM. de auxilijs, roſtratas etiam naues MCC. onerarias autem tria M. numero habuiſſe narratur: ut merito inopinato exercitui immenſæq́; claſſi uix ad potum flumina, uix ad ingreſſum terras, uix maria ad curſum ſuffeciſſe memoratum ſit.

*Leonides Xerxi obſiſtit.*

Huic tam incredibili temporibus noſtris agmini, cuius numerum nunc difficilius eſt aſtrui, quàm tunc fuit uinci, Leonides rex Spartanorum cũ IIII. M. hominum in anguſtijs Thermopylarum obſiſtit. Xerxes autem contemptu paucitatis obiectæ, iniri pugnam, cõſeri manum imperat. Porrò illi, quorum cognati & commanipulares in campis Marathonijs occubuerant, & certaminis ſimul & cladis extitere principium. Deinde ſuccedẽs ſibi turba maior ac ſegnior, cum iam neq; ad procurrendum libera, neq; ad pugnandum expedita, neq; ad fugiẽdum prompta, ſolis mortibus ſubrigeretur, triduo continuo non duorum pugna, ſed cædes unius populi fuit. Quarto autem die cũ uideret Leoni-

*Leonidæ consilium*

des undiq; hoſtẽ circunfundi, hortatur
auxiliares ſocios, ut ſubtrahentes ſe pu-
gnæ, in cacumen montis euadant, ac ſe ad
meliora tempora reſeruẽt: ſibi uero cum
Spartanis ſuis aliam ſortem eſſe ſubeun-
dam, plus ſe patriæ debere quàm uitæ. Di
miſſis ſocijs, Spartanos admonet de glo-
ria plurimum, de uita nihil ſperandum:
neq; expectandum, uel hoſtem uel diem,
ſed occaſione noctis perrumpẽda caſtra,
commiſcenda arma, conturbanda agmi-
na eſſe. Nuſquã uictores honeſtius, quàm
in caſtris hoſtium eſſe perituros. Perſua-
ſi igitur mori malle, in ultionem futuræ
mortis armãtur, tanquam ipſi interitum
ſuum & exigerent & uindicarẽt. Mirum
dictu. ſexcenti uiri caſtra ſexcẽtorum M.
irrumpũt. Tumultus caſtris totis oritur.
Perſæ quoq; ipſi Spartanos adiuuãt mu-
tuis cædibus ſuis. Spartani quærentes re
gem, nec inuenientes, cædunt ſternuntq;
omnia, caſtra peruagãtur uniuerſa, & in-
ter denſas ſtrues corporum raros homi-
nes uix ſequunt̃. Victores ſine dubio non
eſſent, niſi mori elegiſſent. Præliũ à prin-
cipio noctis in maiorem partem diei tra

*Inſignis Spartanorum uirtus in hoſte oppugnando.*



ctum, ad poſtremũ uincendo fatigati: ubi
quiſq; eorum, deficientibus membris uſ
ſus eſt ſibi mortis ſuæ ultione ſatiatus, ibi
inter impedimẽta cadauerum, cãpumq;
craſſo & ſemigelato ſanguine palpitan-
tem, laſſus, lapſus & mortuus eſt.

*Xerxem Themiſtocles dux Athenienſiũ, bel lo excepit. Dein cum Iones ab eo alienaſſet, fugat.* Caput X.

XErxes bis uictus in terra, nauale
prælium parat. Sed Themiſtocles
dux Atheniẽſium, cum intellexiſſet Iones
(quibus dum auxiliũ ſuperiori bello præ
bet, in ſe Perſarum impetum uerterat)
in auxilium Xerxis inſtructã claſſem de-
ducere, ſolicitare eos parti ſuæ, hoſtiq;
ſubtrahere ſtatuit. Et quia colloquendi fa
cultas negabatur, locis ad quæ Iones acceſ
ſuri nauibus uidebãtur, proponi ſymbo
la, ſaxiſq; affigi iubet, ſocios quondam &
participes periculorum, nunc autem in-
iuſte agentes apta increpatiõe corripiẽs,
atq; ad antiquorum iura fœderum reli-
gioſa adhortatione perſuadens: præcipu
ẽq; admonẽs, uti commiſſo prælio ceden
tiũ uice inhibeant remos, ſeſeq; bello au-

*Themiſtocles dux Atheniẽ.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ferant. Igitur rex partem nauium ſibi detinens, ſpectator pugnæ in littore manet. Contra autem Artemidora regina Halicarnaſſi, quæ in auxilium Xerxi uenerat, inter duces primos acerrime bello immiſceſ, ita ut uerſa uice in uiro fœminea cautela, in fœmina uirilis audacia ſpectaretur. Cum autẽ anceps pugna eſſet, Iones iuxta præceptũ Themiſtoclis, paulatim ſe certamini ſubtrahere cœperunt: quorum defectio Perſas iam fugam circunſpicientes, aperte fugere perſuaſit. In qua trepidatiõe multæ naues captæ merſæq; ſunt: plures tamẽ ſeuitiam regis, uelut immanitatem hoſtis timentes, domum dilabuntur. Anxium tot malis regem Mardonius aggreditur, ſuadẽs regẽ in regnum redire oportere, prius quàm aduerſa fama nouas res domi moliretur. Se autem, ſi reſiduæ ſibi copiæ traderentur, & ultionem ab hoſte exacturũ, & ignominiam domeſticam propulſaturum: aut ſi aduerſa belli perſeueraſſent, ceſſurũ ſe quidem hoſti, ſed tamen ſine regis infamia. Probato conſilio, exercitus Mardonio traditur. Rex Abydum, ubi pontem ueluti uictor

*Artemidora regina Halicarnaßi.*

*Iones à Perſis deficiunt.*

*Mardonij conſilium.*



maris conſeruerat, cum paucis proficiſcitur. Sed cum pontem hybernis tempeſtatibus diſſolutum offendiſſet, piſcatoria ſcapha trepidus tranſijt. Erat ſane quod ſpectare humanum genus & dolere debuerat, mutationes rerum hac uel maxime uarietate permetiens, exiguo contentum latere nauigio, ſub quo ipſum pelagus antè latuiſſet, & iugum captiuitatis ſuæ uincto põto portaſſet, uiliſſimo unius ſeruuli egere miniſterio: cuius potentiæ, dum montes excidũtur, ualles replentur, amnes exhauriuntur, ipſa etiá rerum natura ceſſiſſet. Pedeſtres quoque copiæ, quæ ducibus commiſſæ fuerant, labore, fame, ac metu ita diſtabuerunt, & crudeſcente morbo, tanta peſtis, tantaq; fœditas morientium exorta eſt, ut uiæ cadaueribus replerentur: diræ etiam alites atq; improbæ beſtiæ, eſcarum illecebris ſolicitatæ, moribundum ſequerentur exercitum.

*Xerxis fuga Attende in Xerxe fortunæ uarietatem.*

*Forte legendum iuncto põte.*

*Mardonius Xerxis præfectus, dum reliqua belli exequitur, copijs amißis, aufugit. Xerxes dum à ſuis ut infortunatus contemnitur, occiditur.* Caput XI.

Universidad de Deusto
Biblioteca



AT uero Mardonius, cui reliqua bel-
li Xerxes commiſerat, afflatus pri-
mum ſucceſſu breui, mox in extrema de-
iectus eſt. Olynthum ſiquidem Græciæ
oppidum expugnauit. Athenienſes uaria
ſolicitatione adducere in ſpem pacis ag-
greſſus, ubi inexpugnabilem eorum co-
rum libertatem uidet, incenſa urbis par-
te, in omnem Bœotiam belli apparatum
deducit. Illuc quoque eum C. M. Græco-
rum inſecuta ſunt, & commiſſo ſine mo-
ra prælio, Mardonium, deletis copijs ipſi-
us, uelut è naufragio nudum, cum paucis
fugere compulerũt: caſtra regijs opibus
referta ceperunt, non paruo quidem an-
tiquæ induſtriæ damno. Nam poſt iſtius
prædæ diuiſionem, aurum Perſicum pri-
ma uirtutis Græcæ corruptio fuit. Vr-
get igitur inceptus miſeros extrema per-
ditio. Nam forte eodem die quo in Bœo-
tia Mardonij copiæ deletæ ſunt, pars Per-
ſici exercitus in Aſia ſub mõte Mycale na-
uali prælio dimicabat. Ibi nouus repente
rumor utriuſque claſſis & populi imple-
uit aures, Mardonij extinctas copias, Græ-
cos extitiſſe uictores. Mira diuini iudi-

*Mardonius aufugere compellitur.*



cij ordinatio, in Bœotia oriente ſole bel-
lum fuiſſe commiſſum, in Aſia meridia-
nis horis ſub eadem die, tantis ſpatijs ma-
ris terræq; interiacentibus, nunciatũ: cui
rumori uel maxime aſtipulatũ eſt, quod
Perſas audita clade ſociorum, primũ do-
lore, dehinc deſperatione correptos, nec
bello expeditos, nec fugæ habiles reddi-
dit. Atq; ita conſternatos profligatosq;,
conſtantior factus hoſtis ſucceſſu felicita-
tis, inuaſit. Xerxes bello in Græcia infeli-
citer geſto, contemptibilis ſuis factus, per
Artabanũ præfectum ſuum in regia cir-
cunuentus occiditur. O tempora deſide-
rio & recordatione digniſſima. O dies il-
los inoffenſæ ſerenitatis, qui nobis ueluti
è tenebris reſpiciendi proponuntur, qui-
bus breuiſſimo interuallo de uiſceribus
unius regni decies nouies centena millia
uirorũ, tribus proximis regibus, tria bel-
la rapuerunt: ut taceam de infeliciſſima
tunc Græcia, quæ totũ hunc de quo nunc
hebeſcimus numerum, moriendo ſupe-
rauit. Leonides ille clariſſimus dux Lace-
dæmoniorum in bello iſto aduerſus Xer-
xem, quod ſupremũ ipſi atq; hoſtibus fu-

*Mira rumoris celeritas.*

*Qui rumor ei uel maxime rei aſtipulatus eſt.*

*Xerxem Artabanus occidit*

Universidad de Deusto Biblioteca



it,cum ſexcentis ſuis famoſiſſima illa incitamēta dixiſſet, Prandete tanquam apud inferos cœnaturi,auxiliaribus tñ,quos excedere bello iubebat,miſericorditer ſuaſit,ut ſe ad meliora tempora reſeruarent. Ecce cum ille promiſit futura meliora, iſtiq; aſſerunt meliora præterita,quid aliud colligi datur,utroq; in ſuis deteſtante præſentia, niſi aut ſemper bona eſſe, ſed ingrata, aut nūquam omnino futura meliora?

*Leonidis dictum.*

*Roma graui peſtilentia,bellis intermiſsis, diuexata.De bello exulum et fugitiuorum,item Aequorum et Volſcorum.*

*Caput* XII.

AT Romæ,ut ad id tempus redeam unde digreſſus ſum: (neq; ēm interuallo miſeriarum ad alios trāſire compellor, ſed ſicut ſe quondam efferueſcentia ubiq; mala ipſis actibus colligarūt, ita etiam permiſta referuntur:nobis quippe cōferre inter ſe tempora orbis,nō cuiuſquā partis eius laboribus inſultare propoſitum eſt) Romæ ergo poſt urbē conditam anno CCLX.ſuſpēſo ad modicum bello, grauis peſtilentia, quæ ſemper ibi

*Roma peſtilentia corripitur.*



raras inducias aut factas intercepit,aut ut fierent coēgit , per uniuerſam ciuitatem uiolenter incanduit , ut merito præcedente prodigio cælum ardere uiſum ſit, quando caput gentium tāto morborum igne flagrauit. Nam eo anno Ebutium & Seruilium ambos conſules peſtilētia conſumpſit,militares copias plurima ex parte confecit: multos nobiles, præcipueq; plebem fœda tabe deleuit: quamuis iam ſuperiori etiā quarto anno oborta lues, eūdem populum depopulata ſit. Proximo de hinc anno ciues exules,ſeruiq; fugitiui,duce Herdonio uiro Sabino, inuaſerūt,incenderuntq; Capitolium:ubi fortiſſime quidem, Valerio conſule & imperatore, obſtitere iuniores:ſed adeo atrox &graue diſcrimē prælij fuit,ut ipſe quoque conſul Valerius ibi fuerit occiſus, & indignam de ſeruis uictoriā inſuper etiam ſua morte fœdauerit. Sequitur annus in quo ·coniuncto exercitu conſul obſeſſus eſt. NamMinutium cōſulem congreſſum prælio Aequi Volſciq; ſuperarunt: & fugientem,in Algido fame ferroq; cinxerunt:actumq; infeliciter foret,ni Quin

*Bellum exulum, & fugitiuorum.*

*Herdonius dux exulum.*

*·cum uicto*

Quintius Cincinnatus. tius Cincinnat⁹, præcipuus ille dictator,
artatam obſidionē oppreſſo hoſte ſoluiſ-
ſet: qui repertus ruri, ab aratro accerſitus
ad imperij faſces, ſumpto honore, inſtru
ctoq; exercitu, mox uictor effectus, iugū
boum equis impoſuit, uictoriamq; quaſi
ſtiuā tenens, ſubiugatos hoſtes præ ſe egit
primus.

*Fames et peſtilētia Romæ. Poteſtas conſulum in decemuiros tranſlata, pernicioſa reipublicæ. Crebri in Italia terræmotus. Fidenatium bellum. Caput XIII.*

ANno, qui ab urbe condita proxi-
mus CCC. fuit, dū legati ad Athe
nienſes propter Solonis leges deferēdas
miſſi expectantur, arma Romana fames
peſtilentiaq; compeſcuit. Ipſo autem tre-
485. centeſimo anno, hoc eſt, olympiade nona
geſimaquinta, poteſtas conſulū decemui
ris tradita, cōſtituendarū legū Atticarum
gratia, magnā reipublicæ perniciē inue-
xit. nam primus ex decemuiris, cedenti-
bus cæteris, ſolus Appius Claudius ſibi
Appius Claudius continuauit imperium: ſtatimq; aliorum
coniuratio ſubſecuta eſt, ut more contem
pto, quo inſigne imperij penes unum, po



teſtas autem communis erat, omnes omīa
proprijs libidinibus agitarent. Itaq; inter Coniuratio Claudiana.
cætera quæ inſolentiſſime cuncti præſu-
mebant, repente ſinguli cum duodenis fa
ſcibus cæteriſq; imperij inſignibus ꝓceſ-
ſerunt: & de nouo improbæ ordinationis
incepto ablegata religione cōſulum, emi
cuit agmen tyrannorum, duabus tabulis
legum ad decem priores additis, augen-
teſq; inſolētiſſimo faſtu plurima, die quo
deponere magiſtrat⁹ mos erat, cū ijſdem
inſignibus proceſſerunt. Maxima Appij
Claudij libido, auxit inuidiam, qui ut Vir
giniæ uirgini ſtuprum inferret, prius ſer
uitutis cauſam intulit: quàobrem adactus
Virginius pater dolore libertatis, & pu-
dore dedecoris, protractā ad ſeruitutē fi-
liam, in conſpectu populi pius parricida
proſtrauit: qua populus neceſſitate atro-
citatis permotus, & ꝑiculo libertatis ad-
monitus, montem Auentinum occupa-
uit armatus. Nec tueri armis libertatem
deſtitit, niſi poſtquam ſe coniuratorum
conſpiratio ipſis quoq; honoribus abdi- Terræmotus
cauit. Tertia & quinta poſt cēteſimam
olympiade, ꝑ totum ferè annum tam cre

Universidad de Deusto. Biblioteca



bri,tamq; etiam graues in Italia terræmotus fuerunt,ut de innumeris quaſſationibus ac ruinis uillarum oppidorumq; aſſiduis,Roma intus fatigaretur. Deinde ita iugis & torrida ſiccitas fuit, ut præſentis tunc futuriq; anni ſpem gignendis terræ fructibus abnegarit. His deniq; temporibus, cum Fidenates hoſtes maximorum auxiliorum manu ſtipante,terribiles Romanis arcibus imminerent, Aemilius tertio dictator, magnam mali molem ipſis Fidenis uix captis depulit, & ſanauit:tanta in ipſis erat malorũ animorumq; contentio,ut uel domeſticæ clades ſuperfuſa forinſecus bella obliterarent:uel poſt damna bellorum inducias relaxatas diuerſæ peſtes cælo terraq; excandeſcentes,inceſſabili infeſtatione corrumperent.

*De uarijs Siciliæ calamitatibus ſeu bellis præcipue Catanenſium et Syracuſanorũ: quibus non ſine diſcrimine impliciti Græci, domeſticos motus exequuntur.*

*Caput* XIIII.

*Sicilia tyrannorũ nutrix.*

Sicilia ab initio patria Cyclopum, & poſt eos ſemper nutrix tyrannorum fuit. Sæpe etiam captiua ſeruorum, quo



rum primi carnibus hominũ, medij cruciatibus, poſtremi mortibus paſcebãtur: excepto eo, quod externis bellis aut præda habebatur, aut præmiũ. Hæc ut quàm breuiſſime abſoluam, requiẽ malorum, niſi nunc, neſcit: imò ut euidentius diuerſitates temporum declarẽtur, ſicut antea uel inteſtinos uel externos tumultus perpeſſa eſt inter omnes ſola ſemper, ita nũc ex omnibus ſola nunquam patitur. Nam etiam (ut ſileam de diuturnitate uel illius calamitatis, qua preſſa eſt, uel iſtius è contrario, qua fruitur, pacis) Aetna ipſa, quæ tunc cum excidio urbium atq; agrorum crebris eruptionibus æſtuabat, nunc tantum innoxia ſpecie ad præteritorũ fidem fumat. Igitur ut prætermittã interim de tyrannis, quorum mox qui fuit ultor, ſucceſſor effectus eſt, medio tẽpore, hoc eſt, anno ab urbe condita CCCXXXV. cum Rhegyni apud Siciliam diſcordia laborarent, ciuitaſq; per diſſenſionem diuiſa in duas partes eſſet, pars una ueteranos ab Hymera urbe Siciliæ in auxilium uocauit. Porro illi pulſis ciuitate primum his, contra quos implorabantur, deinde mox

*Aetna.*

*Rhegyni*

cæſis etiam illis, quibus ad auxiliandum
conuenerant, urbem cum coniugibus &
liberis ſociorũ occupauere, auſi facinus
nulli tyranno comparandũ: quippe cum
Rhegynis quiduis perpeti ſatius fuerit,
quàm ut ultro inuitarẽt, quibus patriam,
coniuges, liberos ac penates, ipſi extorres

*Catanenſes.*

ad prædam relinquerent. At etiam Cata
nenſes, cũ Syracuſanos graues infeſtoſq;

*Athenienſium claſſis in Siciliam mittitur.*

paterentur, ab Athenienſibus auxilia po-
poſcerunt. Sed Athenienſes ſuo magis
quàm ſociorum ſtudio inſtructã claſſem,
in Siciliam miſere: cum & ſibi propaga-
re molirentur imperiũ, & Syracuſanam
claſſem nuper inſtructam Lacedæmonijs,
proficere uererentur. Et quoniam Athe-
nienſes qui miſſi erãt, cæſis hoſtibus, pro-
ſpera initia ſumpſerant, maiores copias
robuſtioremq; exercitum cum Lachete
& Chariade ducibus in Siciliam reduxe-
runt. Sed Catanenſes belli tædio permo
ti, cum Syracuſanis fœdus ineunt, auxilia
Athenienſium ſpernunt. Poſt autem Sy-
racuſanis, conditiones pacis meditatione
dominationis tranſgredientibus, denuo
legatos Athenas mittunt: qui capillo bar



*Legati Catanenſium lugubres ſecũdo cum Athenas.*

baq; ſqualidi, & lugubribus pannis indu
ti, miſericordiam atq; auxiliũ & ſermone
& habitu precarentur. Igitur magna claſ
ſis inſtruitur, ducibus Nicia et Lamacho:
tãtiſq; uiribus Sicilia repetitur, ut ſuffra-
gia ſua & hi timerẽt, qui impetrauiſſent.
Athenienſes duas ilico pedeſtres pugnas
ſecũdis ſucceſſibus faciunt, confertoſq; in
urbe hoſtes, & obiecta claſſe circũdatos,
terra mariq; concludunt. At Syracuſani
fractis feſſiſq; rebus, auxilium à Lacedæ-
monijs petunt; à quibus mox mittit Gi-

*Gilippus Lacedæmonius.*

lippus, ſolus quidẽ, ſed in quo omnium
præſidiorum inſtar præferebatur: qui ue
niens, ut audiuit inclinatum iam belli ſta-
tũ, auxilijs partim in Græcia, partim in
Sicilia cõtractis, opportuna bello loca oc
cupauit. Deinde duobus prælijs uictus,
nec territus, tertio congreſſu Lamachum

*Cæditur Lamachus.*

occidit, hoſtes in fugam uertit, ſocios ob-
ſidione liberauit. Hinc Athenienſes terre-
ſtri prælio uicti, experimenta maris ine-
unt, & nauali certamine congredi parãt:
quo cognito, Gilippus claſſem inſtructã
à Lacedæmonijs accerſit: æque Athenien
ſes in locum amiſſi ducis, Demoſthenem



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



Demo-
ſthenes.
Euryme
don.
Athe. uin
cuntur.

&Eurymedonta cum ſupplemento copi
arum mittunt. Peloponneſij quoq; cum
multarum urbium conſenſu & decreto
ingentia Syracuſanis auxilia miſere. Ita
ſub ſpecie ſocialis belli domeſticos mot⁹
exequuntur, & quaſi de Græcia tranſlatũ
certamen in Siciliam fuerit, ſic ex utraq;
parte ſummis uiribus dimicatur. Igitur
Athenienſes prima congreſſione uincun
tur: caſtra quoq; cum omni pecunia uel
publica uel priuata, & cum uniuerſo in-
ſtructu diuturnæ expeditionis amittunt.
Fractis opib⁹ & in anguſtũ redactis, ſua-
det Demoſthenes, dum nõdum omnino
res perditæ ſunt, quãtumlibet uideantur
afflictæ, domum redeant, Siciliaq; dece-
dant. Nicias autem pudore male geſtarũ
rerũ ab initio deſperatior redditus, ma-
nere contendit. Reparant nauale certa-
mẽ: & mox per inſcitiam in anguſtias Sy
racuſani maris deducti, inſidijs hoſtium
circũueniuntur. Eurylochus dux primus
occiditur: undecim naues incenduntur.
Demoſthenes et Nicias claſſem dimittũt,
quaſi tutius terrena expeditione fugituri.
Gilippus autem primum naues eorum

Eurylo-
chus.
Atheni.
clades.



relictas CXXX. inuadit: dehinc ipſos fugi
entes perſequi aggreſſus capit, cæditq;
quamplurimos. Demoſthenes dedecus
ſeruitutis uoluntaria morte declinat, Ni
cias uero indignam turpemq; uitam de-
decore captiuitatis accumulat.

*Athenienſes bello Lacedæmoniorum, adhor-
tante ſeſeq; ob exilium ulciſcente Alcibiade,
excipiuntur.* Caput XV.

IGitur Athenienſes biennio apud Sici
liam non ſine Lacedæmoniorum da-
mno conflictati, alijs domi malis circũue
niũtur. Alcibiades enim dux pridem ad-
uerſus Syracuſas pronunciatus, mox ad
iudicium pro quadam inſimulatione de-
tentus, uoluntario exilio Lacedæmonem
ſe contulit, impulitq; Spartanos, ut turba
tis Athenienſibus, nouo rurſum bello in-
ſiſterẽt: neq; eis reſpirandi ſpatium, quin
opprimerentur, relaxarent: cui incepto
ita Græcia omnis aſtipulata eſt, quaſi ad
commune incendiũ reſtinguendum, bo-
no publico congeſtis uiribus conſulere-
tur. Darius etiam rex Perſarum me-
mor paterni auitiq; in hanc urbem odij,
per Thiſſaphernẽ præfectũ Lydiæ cũ La-

*Darius
Perſarũ
rex, co-
gnomen-
to Notus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cedæmonijs fœdus paciſcitur, eiſq; ſum-
ptus belli & copias pollicetur. Mirum di
ctu, Athenienſiũ tantas ea tẽpeſtate opes
fuiſſe, ut cum aduerſus eos, hoc eſt, aduer
ſus unam urbem Græciæ, Aſiæ totiuſq;
orientis uiribus incurſum ſit, pugnando
ſæpe, nec unquã cedendo, conſumpti ma
gis uideantur fuiſſe quàm uicti. Principio
enim Alcibiades omnes ſocios deficere
ab his ad Lacedæmonios coegit: ſed & ab
his quoq; ꝑ inuidiam inſidijs impetitus
aufugit, & ad Thiſſaphernẽ in Mediam
conceſſit: cui ſtatim accommodato inge-
nio & apti eloquij gratia familiarior fa-
ctus, perſuadet, ne Lacedæmonios tã pro
fuſis opibus adiuuaret: iubet eum potius
iſtius certaminis arbitrũ ſpectatoremq;
fieri debere, integraſq; Lydiæ uires ad-
uerſus uictorẽ reſeruandas. Qamobrem
Thiſſaphernes partẽ claſſis cum aliquan
ta manu deduci Lacedæmonem iubet, ne
uel abundantes ſuffragijs, alieno tuti pe-
riculo dimicarent: uel in totum deſtituti,
ſuſceptum certamen omitterent.

*Athenienſium aduerſus Lacedæmonios bella
grauia, horrendæq; calamitates ac ſtrages*



*utrinq; acceptæ, duce Alcibiade & Conone.
Caput XVI.*

APud Athenienſes uero cum diu do-
meſtica diſcordia agitaretur, im-
minente periculo, ſumma imperij ad ſe-
natũ populi uoluntate transfertur: quip
pe ocio diſcordiæ nutriuntur: at ubi ne- *Ocium*
ceſſitas incubuit, poſtpoſitis priuatis cau- *diſcordi*
ſis atque odijs, in cõmune conſulitur. Sed *as nutrit.*
hoc ipſum cum propter inſitam genti ſu
perbiam & tyrannicas libidines pernici-
oſum foret, tandẽ Alcibiades exul ab ex- *Alcibia*
ercitu reuocatur, & dux claſſis conſtitui- *des.*
tur. Quo cõperto, principes primo Spar
tanis urbem prodere moliti ſunt: deinde
cum id fruſtra cogitaſſent, in exiliũ ſpon
te ceſſerunt. Igitur Alcibiades patria libe
rata, claſſem in hoſtes dirigit. Commiſſo
prælio, uictoriam Athenienſes capeſſunt.
Porro autem maior pars Spartani exer-
citus cæſa, duces quoque penè omnes in-
terfecti, & octoginta naues captæ, abſq;
his quæ in conflictu incenſæ demerſæq;
perierunt. Rurſus bellũ in terram tranſla
tũ, Spartanis æque infeliciter ceſſit: qui-
bus rebus fracti Lacedæmonij, petiere pa

Universidad de Deusto
Biblioteca



cem, nec tamē impetrare potuerūt. Præ-
terea Syracuſana præſidia in Siciliam, au
dita Carthagınienſis belli infeſtatiōe, re-
uocata ſunt. Quamobrem Alcibiades claſ
ſe uictrici totam Aſiam peruagatur, bel-
lis, incēdijs, cædibꝰ, rapit ſternitq́; omnia.
Vrbes quæ dudum à ſocietate defecerāt,
capit, recipitq́; quamplurimas. Sic Alci-
biades magni nominis factus, Athenas
cum admiratione & gaudio omnium, ui
ctor ingreditur. Paruo pòſt interuallo au
get uires, exercitum claſſemq́; numero
prouchit, rurſumq́; Aſiam petit. Lacedæ
Lyſāder. monij uero Lyſandrum ducem, claſſi bel-
Cyrꝰ fra- loq́; præficiunt. Cyrus autem frater Da-
ter Darij, rij, in locū Thiſſaphernis, Ioniæ Lydiæq́;
Plut. & præpoſitus, magnis eos opibus auxilijsq́;
Iuſti. filiū confirmat. Lyſander itaq; Alcibiadis ex-
dicunt. ercitum prædæ intētum, ac per hoc ubi-
que diſperſum ac uagum, repentino in-
curſu opprimit, ſine conflictu aliquo uin
cit, cæditq́; fugientes. Magna hæc clades
Athenienſibus, & multo atrocius uulnus
quàm dudū inflixerant, ſuſceperunt: quo
comperto, Athenienſes opinati ſunt Alci
biadem antiquum exilij ſui dolorem, iſte



ſcelere proditiōis uindicare curaſſe: ideo
in locum eius Cononem conſtituunt, cui
reſiduam manum & ſummā belli com-
mittunt: qui ſupplere ſaltem numero ex-
hauſtas copias uolens, ſenes & pueros le-
git, exercitumq́; cōſcripſit. Sed huiuſmo
di manus moram bello non attulit: quip
pe quod robore, non numero confici ſo-
let. Itaq; ſtatim imbellis manus uel capta
uel cæſa eſt. tantaq́; ſtrages occiſorum illo
prælio facta eſt, ut deletum non ſolum re
gnum, ſed etiam nomē Athenienſium ui
deretur. At illi deſperatis rebus, ſtatuunt
urbem peregrinis dare, ut qui per totam
Aſiam pauloante dominati ſunt, nunc ex
hac colluuie muros ſaltem libertatemq́;
tueantur: & quamuis uel ſuo iudicio ad
hæc tuenda etiam obiectis muris non ſuf
ficiant, iterum tamē experiri nauale præ
lium parant. Expers conſilij furor, dolo-
rem uirtutem putat: quantumq́; medita-
tur ira, tantum promittit audacia. Itaque
omnibus partim captis, partim interfe-
ctis, de ipſis quoq; reliquijs nihil reliqui
factum eſt. Solus dux Conon ſuperſtes
bello & populo, timens ciuium crudelita

Bellū robore, non numero confici.

Universidad de Deusto Biblioteca



*Forte ſic legẽdum: Ad Cyprium regẽ conceßit Euagorã. Dux autẽ Lacedæmoniorũ adẽptis*

tem, ad Cyrum regem conceſſit. Euagoras autem dux Lacedæmoniorum, ademptis omnibus ciuitatibus, nihil Athenienſibus præter inanem urbem reliquit, nec hoc diu: nam & ipſam urbem poſtea obſidione circundedit. Angebat intrinſecus fames, deſolatio, & morbus obſeſſos. Et cum poſt omnia miſeriarũ abominamenta, quæ etiá dicere horrori eſt, nihil ſpei præteritæ præter mortem occurreret, pacem petiuere.

*Athenienſibus certis legibus ac conditionibus pax promittitur, trigintaq; rectores conſtituuntur: qui cum eos tyrannide obruerẽt, Thraſybuli induſtria propulſi ſunt.*

Caput XVII.

Magna hinc inter Spartanos & ſocios fuit deliberatio, cum plurimi inquietiſſimam ciuitatem ſternendam ſolo, populumq; infeſtiſſimũ cum ipſo nomine abolendum pronunciarent: Spartani negauerũt ſe permiſſuros, ut è duobus Græciæ oculis unus erueretur: inſup etiam pacem promiſerunt, ſi Pyrei portus ducentia in urbem munimina euerterentur, naueſq; reliquas ultro traderẽt: dein



de ſi rectores ſibi triginta ſuſcipent. Huic conditioni addictis & ſuccumbentibus, Lacedæmonij Lyſandrum ad componendas in urbe parendi leges conſtituerunt. Inſignis hic annus & expugnatione Athenarum, & morte Darij Perſarum regis, & exilio Dionyſij Siciliæ tyranni fuit. Igitur triginta rectores Athenienſibus ordinati, triginta tyranni exoriuntur: qui primo ſe tribus millibus ſatellitum ſtipant, mox etiam ſeptingentos milites uictoris exercitus lateribus ſuis circumponũt: cædem omnium paſſim futuram, occiſo Alcibiade auſpicãtur: qui fugiens, in itinere clauſus cubiculo, uiuus incenſus eſt: quo interfecto, ultore quaſi ſublato ſecuri, miſeras urbis reliquias cædibus rapiniſq; exhauriunt. Theramenem quoq; unũ ex numero ſuo, cui hæc diſplicere ſenſerũt, in exemplum timoremq; reliquorũ trucidant. Itaq; omnes paſſim ex urbe diffugiunt. ſed interdictu Lacedæmoniorũ, cum per totam Græciam exulibus negaretur hoſpitiũ, omnes ſe Argos ac Thebas contulerũt: ubi ita hoſpitalitatis obſequio foti ſunt, ut non ſolum dolorem amiſſæ pa

*Athen. in Lacedæmoniorũ poteſtatẽ ceſſere.*

*Alcibiadis interitus.*

triæ lenirent, uerumetiam ſpem recupe-
rādæ meditarent. Erat inter exules Thra-
ſybulus uir ſtrenuus, & generis nobilita- *Thraſybuli induſtria.*
te inter ſuos clarus, qui autor audendi ꝓ
patria fuit. Itaq; caſtellum Philenen Atti-
corum finium collecti exules capiũt, mul-
tarumq́; ciuitatum opibus adiuti, uires ca-
peſſunt: quibus quoq; Lyſias Syracuſanus
orator, quaſi in auxilium urbis, quæ eſſet
*patria communis eloquentiæ, quingen- ** ei patria.*
tos milites cū ſtipendijs ſuis miſit. Atrox
id prælium fuit, ſed his ꝓ propria liberta-
te, illis ꝓ aliena dominatione certantibus,
animorum atq; cauſarum ipſa quoq; tulit
pugna indicium: nam uicti tyranni, in ur-
bem refugerunt: omnesq́; quos ex Athe-
nienſibus prius ſibi ſatellites legerant, tūc
ſuſpectos ꝓditionis ab urbis cuſtodia re-
mouerũt. Thraſybulum quoq; ipſum ten-
tare corruptione auſi ſunt: quod ubi fru-
ſtra ſperatum eſt, accerſitis à Lacedæmo-
ne auxilijs, rurſus in bellū ruunt, ubi duo
ſæuiſſimi omnium longe tyrannorū tru-
cidantur. Cæteros uictos & in fugam uer-
ſos, Thraſybulus ubi uel maxime Atheni- *Thraſybuli adhortatio.*
enſes eſſe intelligit, clamore conſequitur,



oratione retinet, precibus ligat, ꝓponens
ante oculos eoꝝ, quos fugere uel ad quos
refugere uellēt, ſibi aduerſus triginta do-
minos, nō aduerſus ciues miſeros bellum
eſſe ſuſceptum. Quin potius omnes qui
ſe meminerint eē Atheniēſes, ſequi opor-
tere Atheniēſium libertatis ultores. Itaq;
hæc exhortatio tantum apud eos ualuit,
ut mox reuerſi in ciuitatem, tyrannos ar-
ce decedere atq; Eleuſinā emigrare com-
pulerint: qui poſtquam in ſocietatem ur-
bis ciues ſuos, eatenus exules exceperũt,
tyrannos in bellum æmulatione ſuſcitāt,
quibus libertas aliorum quaſi ipſorū ſer-
uitus uidebatur. Tūc indicta pugna, cum
prius quaſi ad colloquium conuenirent, *Cædūtur tyranni.*
circumuēti inſidijs, ueluti pacis uictimæ,
trucidantur. Ita reuocati in unum, poſt
inexplebiles magnorum lachrymas gau-
diorum, hæc prima fundamina recupe-
ratæ libertatis inſtaurant, ꝓpoſita iuriſiu-
randi cōteſtatione, uti diſcordiæ animo-
ſitatesq́; præteritæ, in obliuionem ꝑpetu-
am atq; in immortale ſilentium deducan-
tur. Quod pactionis genus quaſi nouam
uitæ inſtitutionem, nouamq́; felicitatem

Universidad de Deusto Biblioteca



*Libertas. Amneſtia quid.*

ſtatus ſui informantes, Amneſtiam uoca-
uerunt, id eſt, abolitionem malorum. Sa
pientiſſima Atheniēſium, præſertim poſt
tanta miſeriarum documenta, prouiſio: ſi
quo pacto res humanæ manente cōſenſu
hominum, ut ordinantur, ualerent. Sed
adeo hoc idem placitum, inter ipſa penè
placiti uerba corruptum eſt, ut uix inter-
cedente biennio, Socrates ille clariſſimus
philoſophorū, adactus malis, ueneno ſibi
apud eos uitā extorſerit: deinde uix qua-
draginta annis interueniētibus, ut alia ſile
am, ĳdem Athenienſes adempta ſibi peni
tus libertate, ſub Philippo Macedonum
rege ſeruierint. Veruntamen ſapientiſſi-
mi omnium Athenienſes, etiam ſuis ma-
lis ſatis docti, concordia minimas res cre
ſcere, diſcordia maximas labi, cūctaq; uel
bona uel etiam mala, quæ foris geruntur,
internis eſſe radicata & emiſſa principĳs,
domi abſterſere odia, & foris bella preſſe
runt: reliqueruntq; poſteris ſuis de ruina
ſua exemplum, de reparatione cōſilium:
ſi tamen ob infirmiſſimā humanæ mētis
mutabilitatē, quod in afflictis rebus con-
ſulitur, in proſperis ſeruaretur.

*Socrates ueneno interemptus.*



*De bello ciuili inter Artaxerxem & Cyrum filios Darij, quod parricidio finitum fuit. De terræmotu Siciliæ, & Atalante inſula facta.*
Caput XIII.

Iſdem ferè diebus bellum ciuile, etiā
pluſquam ciuile, uix parricidio termi
natum, apud Perſas gerebatur. Mortuo
enim rege Dario, cum Artaxerxes & Cy
rus filĳ eius de regno ambigerent, tandē
magnis apparatibus, magnis prouincia-
rum ac populorum ruinis, eſt utrinque
certatum: in quo conflictu cum è diuer-
ſo concurrentes ſibi ambo fratres mutuo
caſus obiectauiſſet, prior Artaxerxes uul
neratus à fratre, equi uelocitate morti ex-
emptus euaſit. Cyrus autē mox à cohor-
te regia oppreſſus, finē certamini dedit.
Artaxerxes ergo & præda fraternæ ex-
peditionis & exercitu potitus, poteſtatē
regni parricidio firmauit. Sic uniuerſa
Aſia atque Europa, partim in ſe ſingulæ,
partim inter ſe inuicē funerib⁹ & flagitĳs
permiſcebātur. Ecce paruiſſima pagina,
uerbiſq; pauciſſimis, quantos de tot pro-
uincĳs, populis atq; urbibus, non magis
explicui actus operū, quàm implicui glo

*Bellum ciuile apud Perſas.*

*Artaxerxes.*

*Cyrus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



bos miſeriarum. Quis enim cladem illius temporis, quis fando funera explicet, aut æquare lachrymis poſſet dolores? Veruntamē hæc ipſa, quia multo interiectu ſeculorum exoluērunt, facta ſunt nobis exercitia ingeniorum, & oblectamēta fabularum: quanquam ſi quis intentius adhibeat animum, ſeſeq; toto mētis affectu, ipſis penè cauſis bellisq; p̄miſceat, ac rurſus ueluti in arce ſpectaculi conſtitutus, utrunq; in ſuis qualitatibus tempus permetiatur: facile dixerim eum iudicaturū, neque illa, niſi irato atque auerſato deo poſſe tam infeliciter perturbari ac permiſceri, neque iſta ſic niſi propicio & miſerante componi. His deinde tēporibus grauiſſimo motu terræ concuſſa Sicilia, inſuper & æſtuātibus Aetnæ mōtis ignibus, fauilliſq; grādibus et calidis, cum detrimento plurimo agrorum uillarumq; uaſtata eſt. Tunc etiā Atalante ciuitas Locris adhærens, terræ contigua, repentino maris impetu abſciſſa atq; in inſulā deſolata eſt. Athenienſium quoque miſerabiles reliquias peſtis inuaſit, diuq; populata eſt,

*Terræmotus in Sicilia.*

*Aetnæ ignis multa uaſtat.*



*Romanorum parum honeſta ad Veios obſidio. Gallorum in Romam irruptio, uaſtatioq; miſeranda. Collatio iſtius excidij cum præſenti Gothorum inuaſione.*

Caput XIX

ANno ab urbe cōdita CCCLV. obſidio Veiorum decem cōtinuis annis obſeſſores magis quàm obſeſſos detriuit. Nam Romani repentinis ſæpe hoſtium eruptionibus cōminuti, præterea in hybernis bella ſortiti, hyemare ſub pellibus, poſtremum famem ac frigus in conſpectu hoſtiū perpeti coacti ſunt, urbem nouiſſime ſine ullo digno Romanæ uirtutis teſtimonio, cuniculis & clādeſtina obreptione ceperunt. Hanc utilem magis quàm nobilem uictoriam, primo dictatoris Camilli, qui eam de Veientibus patrauit, exilium, dehinc irruptio Gallorum, & incendium urbis inſequitur: cui cladi audeat quiſquam, ſi poteſt, aliquos motus temporis huius comparare: quamuis non æque pendat præteriti mali fabulam præſentis iniuria. Igitur Galli Senones, duce Brenno, exercitu copioſo & robuſto nimis, cum urbem* Cluſini, quæ

*Romanorum pariū honeſta uictoria.*

*Brennus dux Senonum.*

** Cluſia, quæ nunc*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Tuſcia dicitur.*

nunc Duſia dicitur, obſiderẽt, legatos Romanorum (qui tunc componendæ inter eos pacis gratia uenerant) in acie aduerſum ſe uiderunt pugnãtes: qua indignatione pmoti, Cluſini oppidi obſidione dimiſſa, totis uiribus Romam contendunt. Hos ita ruentes Fabius cum exercitu conſul excepit, nec tamẽ obſtitit, imò potius hoſtilis ille impetus, quaſi aridã ſegetem ſuccidit, ſtrauit & tranſijt. Teſtatur hanc Fabij cladem fluuius Allia, ſicut Cremera Fabiorum. Non enim facile aliquis ſimilem ruinam Romanæ militiæ recenſeret, etiam ſi Roma inſup incenſa non eſſet. Patentem Galli urbem penetrant, trucidant rigentes ſimulacrorum modo in ſuis ædibus ſenatores: eosq; incendio domorum crematos, lapſu culminum ſuorum ſepeliunt. Vniuerſam reliquam iuuentutem, quam conſtat uix mille hominum tunc fuiſſe, in arce Capitolini montis latitantem obſidione concludũt: ibiq; infelices reliquias fame, peſte, deſperatione, formidine terrent, ſubigunt, uendũt: nam mille libris auri, diſceſſiõis precium paciſcuntur: nõ quo apud Gallos Roma

*Allia & Cremera fluuij.*



parui nominis fuit, ſed quo illam ſic iam antè detriuerint, ut amplius tunc ualere nõ poſſet. Exeuntibus Gallis, remanſerat in illo quondam urbis ambitu informium ruinarum obſcœna congeries, *& undique p impedita errantium, & inter ſua ignotorum offenſæ uocis imago reſpondentis trepidos ſuſpẽdebat auditus. Horror quatiebat animos, ſilentiaq; ipſa terrebant. Siquidem materia pauoris eſt raritas ipſa uocis. Hinc illis mutare ſedes, aliud incolere oppidum, altero etiam cenſeri nomine cogitatum, placitum atque tentatum eſt. En tempora, quorum comparatione præſentia ponderantur? en quibus recordatio ſuſpirat? en quæ incutiunt de electa, uel potius de neglecta religione pœnitentiam? Reuera pares ſunt & conferuntur inter ſe hæ duæ captiuitates, illa ſex menſibus deſæuiens, & tribus diebus iſta tranſcurrens. Galli extincto populo, urbe deleta, ipſius quoque Romæ nomen in extremis cineribus perſequentes, & Gothi relicta intentione prædandi, ad confugia ſalutis, hoc eſt, ſanctorum locorum agmina ignara cogẽtes. Ibi uix

*Et dũ per impedita ruinarũ errabãt, & inter ſua clauſtra manẽtes alijs ignoti erant, illorũ plãgẽtiũ uoce, aliorum trepidos ſuſpendebant auditus. &c.*

Universidad de Deusto Biblioteca



quenquam inuentum ſenatorem, qui uel abſens euaſerit: hic uix quenquam requiri, qui forte uel latens perierit. Recte ſane compararim, hunc fuiſſe ibi ſeruatorum numerum, qui hic fuerit perditorum. Plane quod re proditur & fatendum eſt, in hac clade præſenti plus deum ſæuiſſe, homines minus, cum peragendo ipſe, quod illi non impleuiſſent, cur eos miſerit, demõſtrauit: quippe cum ſupra humanas uires eſſet, incendere æneas trabes, & ſubruere magnarum moles ſtructurarum, ictu fulminum forum cũ imaginibus uanis, quæ ſuperſtitione miſerabili, uel deum uel hominem mentiuntur, abiectum eſt: horumq; omnium abominamentorum, quod immiſſa per hoſtem flamma nõ adijt, miſſus è cælo ignis euertit. Et quoniam huber dicendi materia eſt, quæ nequaquam hoc concludi libro poteſt, hic præſentis uoluminis finis ſit, ut in ſubſequẽtibus cætera proſequamur.



# PAVLI OROSII ADVERSVS PAGANOS HISTORIARVM LIBER III.

## PRAEFATIO.

ET SVPERIORE iá libro conteſtatus ſum, & nunc neceſſarie repeto, ſecundũ præceptum tuum de antea-ctis conflictationibus ſeculi, & me nec omnia poſſe quæ geſta ſunt, & ſicut geſta ſunt explicare, quoniam magna atque innumera copioſiſſime à plurimis ſcripta ſunt. Scriptores autem etſi non eaſdem cauſas, eaſdem tamen res habuere propoſitas: qppe cum illi bella, nos bellorum miſerias euoluamus. Præterea ex hac ipſa, de qua queror, abundantia, anguſtia oritur mihi, & concludit me ſolicitudo nodoſior. Si enim aliqua ſtudio breuitatis omitto, putabuntur aut mihi nunc defuiſſe, aut in illo tũc

*Scriptorũ nõ idẽ ſcopus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



tempore non fuiſſe. Si uero ſignificare cuncta, nec exprimere ſtudens, compendioſa breuitate ſuccingo, obſcura faciam: & ita apud pleroſq; erunt dubia, ut nec dicta uideantur: maxime, cum è cõtrario nos uim rerum, nõ imaginem commendare curemus. Breuitas autẽ atq; obſcuritas, imò ut eſt ſemper obſcura breuitas, etſi cognoſcendi imaginẽ præfert, aufert tamen intelligendi uigorẽ. Sed ego cum utrinque uitandum ſciam utrunque, faciam ut quocunq; modo alterutra temperentur, ſi nec multa prætermiſſa, nec multum conſtricta uideantur.

*Artaxerxi regi Perſarum imperanti pacem, haud grauatim Græci paruerũt, bello ſcilicet cõfecti, quo Lacedæmonij per eundẽ & Thebanos ſic afflicti, ut imperium pene cum nomine amiſerint. Interimq; Conon Athenas reſtaurat. Caput .I.*

*Dictorũ per tẽporum collationem repetitio.*

ANno ab urbe cõdita CCC.LXIIII. quem annũ ſicut grauiſſimũ propter ignotam ſibi captiuitatem Roma pſenſit, ita magnificũ propter inſolitam pacem Græcia habuit. Eo ſiquidem tempore quo Galli Romam captam incen-



ſamq; tenuerunt ac uendiderũt, Artaxerxes rex Perſarum diſcedere ab armis & quieſcere in pace uniuerſam Græciá per legatos præcepit, denũcians cõtradictorem pacis, bello impetendum: quem ita iubẽtem potuiſſent utiq; Græci tam conſtanter contemnere, quàm fortiter ſæpe uicerunt, niſi porrectam undecunq; occaſionem, quàm auide deſiderauerant, tam libenter hauſiſſent. oſtenderunt enim quã ægre & miſere illa eatenus geſſerint, quæ tam facile indigna etiam conditione poſuerunt: nam quid tam indignum liberis & fortibus uiris, quàm lõge remoti, ſæpe etiam uicti adhuc hoſtis, & deinde minitantis impio arma deponere, paciq; ſeruire, ſi non ipſo tantum annunciatæ pacis ſono p corda cunctorum ægra belli tabuiſſet intentio: & poſt diuturnas laborum uigilias, oſcitãtes ac ſtupefactos quies inopinata laxaſſet, priusq̃ ipſam quietem uoluntas pacta cõponeret? Unde autem tanta fatigatio, omnium per totam Græciam populorum corda corporaq; oppreſſerit, quæ efferos animoſi ignoto acquieſcere ocio tam facile perſuaſit,

*Artaxerxes.*

*Lacedæmoniorū ambitio.* quàm breuiſſime oſtendam. Lacedæmo-
nij, utpote homines & Græci homines,
quo plura habebant, eo ampliora cupien
tes, poſtquàm Athenienſium potiti ſunt,
uniuerſam Græciam & Aſiam ſpe domi
nationis hauſerunt. Itaq; toto orienti bel-
*Hircilides.* lum mouentes, Hircilidē ducem in hanc
militiam legūt: qui cum ſibi aduerſus du
os potētiſſimos Artaxerxis Perſarum re
*Pharnabazaſus. Thiſſaphernes.* gis præfectos, Pharnabazū & Thiſſapher
nem, pugnandum uideret, pulſo ad tem-
pus conſilio, ut pondus geminæ congreſ-
ſionis eluderet, denūciato bello unum ap
petit, alterum pacta pace ſuſpendit. Phar
nabazus Thiſſaphernem apud Artaxer-
xem, communem tunc regem defert ut
ꝓditorem, præſertim qui cum hoſte bel-
li tempore de fœderis conditione pepi-
giſſet: hortaturq; regem ut in locum eius
*Conon ab exilio in ducē electus.* Cononem Athenienſem uirum, qui tunc
forte apud Cyprum exulabat, ducem na
uali bello conſtituat. Acceptis igitur quin
gentis argenti talentis, Conon ꝑ Pharna
bazum euocatur, claſſiq; ꝓficitur: quibus
compertis, Lacedæmonij & ipſi auxilia
*Hercynio* naualis belli, à rege Aegypti Hercynione



per legatos petunt: à quo centum inſtru- *rex Aegyptiorum.*
ctas triremes & ſexcenta millia modiûm
frumenti acceperūt: à ſocijs etiam undiq;
magna contraxere ſubſidia. Cui militiæ
conſenſu omnium, Ageſilaum ducem de *Ageſila*.*
creuerunt, uirum pede claudum, ſed qui
in difficilimo rerum ſtatu mallent ſibi re
gem claudicare quàm regnum. Raro un
quàm ita pares omni induſtria duces in
unum coiere bellum: qui acerbiſſimis in-
uicem prælijs fatigati, & multo ſanguine
obliti, uelut inuicti ab alterutro receſſe-
runt. Igitur Conon accepto iterum ꝑ ſe-
ipſum à rege magno ſtipendio, reuerſus
ad claſſem, inuadit hoſtiles agros, turres,
caſtella, cæteraq; præſidia expugnat: & ue
luti effuſa tempeſtas, quacunq; incumbit,
cuncta proſternit. Lacedæmonij uero do
meſticis malis circumuenti, externis inhi
are deſiſtunt, abijciuntq; ſpem dominati
onis, imminente periculo ſeruitutis. Age
ſilaum, quem cum exercitu in Aſiam mi-
ſerant, ad ſubſidium patriæ reuocāt. Inte-
rea Lyſander dux, apud Spartam ꝑ Age *Lyſāder.*
ſilaum regem relictus, maximam muni- **Pyſāder*
tamq; claſſem tunc inſtruxerat, motus

Universidad de Deusto Biblioteca



æmulatione uirtutis Ageſilai, ut illo pe-
deſtrem expeditionem agitante,ipſe quo
que nauali diſcurſu oram maritimam p̄-
uagaret. Conon uero ſuſcepto negocio,
duplicem curam impendebat, debens ſo
cijs ſolicitudinem, patriæ fidem:ut huic
exhiberet naturam, illis p̄beret induſtri-
am: in hoc ꝓpenſior ciuibus, ꝙ quieti li-
bertatiq́; eoꝝ alieni ſanguinis diſcrimen
impenderet, & pugnaret aduerſus inſo-
lentiſſimos hoſtes ꝑiculo regis, præmio
patriæ.Conſerunt itaq; nauale certamen
Perſæ Conone, & Spartani Lyſandro du
ce:milites & remiges ipſiq; ductores uno
pariter in mutuam cædem ardore rapi-
untur.Magnitudine atq; atrocitate belli
iſtius inclinatus, ex hoc ſemper in poſte
rum Lacedæmoniorum ſtatus ꝓruit.Pro
na nanq; ex illo fluere ac ſublapſa retro
referri ſpes Spartanorum uiſa eſt, donec
aſſurgendo ægre ac miſere recidēdo con
fecta,& poteſtate careret & noīe. Atheni
enſibus uero hæc eadem pugna initium
recuperandæ potentiæ,ſicut Lacedæmo-
nijs amittendæ,fuit.Primi igitur Theba-
ni,auxilio Athenienſium fulti, ſuperiore

*Cononis ſolicitudo & fides.*

*Lace. ſtatus inclinatus.*

*Thebani Spartanos bello excipiūt.*



clade ſaucios ac trepidos aggrediuntur,
multa animati fiducia ꝓpter uirtutem &
induſtriam Epaminondæ ducis ſui, cum
quo ſibi facile obtinere poſſe imperium
totius Græciæ uidebantur.Fit itaq; terre
ſtre prælium,Thebanis minimo negocio
uincētibus.Vincitur etiam hoc conflictu
Lyſander & occiditur.Pauſanias quoque
dux alter Lacedæmoniorum, inſimula-
tus proditionis,in exilium truditur. The
bani autem uictoria potiti, collecta uni-
uerſi exercitus manu, Spartā contendūt,
putantes ſe uacuam præſidio ciuitatem,
nullo intraturos negocio,cuius iā omnes
penè copias cum ipſo rege deleſſent, atq;
ab omnibus ſocijs deſtitutos uiderent. La
cedæmonij periculo ciuitatis impulſi, ha
bito inexercitati militis qualicunq; dele-
ctu,obuiam hoſti ꝓcedunt. Sed uictis ſe-
mel,aduerſus uictores obſiſtendi nec uir-
tus nec animus erat. Cum igitur cædes
unius tantū penè partis ageretur,repente
rex Ageſilaus accerſitus ex Aſia,improui
ſus bello ſuperuenit,Thebanoſq; iam ſuc
ceſſu duplicis uictoriæ lætiores ſegnio-
reſq; aggreditur;nec difficile ſuperat,ma

*Epaminōdas dux Laced.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ximè cum adhuc apud ipſum penè integræ uires haberentur. Ipſe tamen Ageſilaus grauiter uulneratꝰ eſt. At uero Athenienſes, cum comperiſſent inſperata Lacedæmonios uictoria ſubleuatos, priſtinæ ſeruitutis, de qua tunc reſpirare uix cœperant, trepidi metu, exercitum cõtrahunt, eumq; Bœotijs in auxilium adiungunt, commiſſum Iphicrati duci: qui adoleſcẽs admodum, uix dum uiginti annos natus, infirmitatẽ ætatis maturitate animi. nutriebat. Conõ quoq; uir quidẽ Athenienſis, dux aũt Perſici exercitus, audito Ageſilai reditu, ad populandos Lacedæmoniorum agros reuertitur. Ita Spartani exercitu circunſonantium undiq; hoſtium clauſi atq; exterriti, ultima ꝓpemodum deſperatione tabuerũt. Sed Conon poſtquam uaſta hoſtilis ſoli populatione ſatiatus eſt, Athenas ꝑgit, in maximo gaudio ciuiũ, ipſe triſtis: quippe cum uideret urbem populo quondam cultuq; ornatiſſimam, nunc miſerabili ruinarum ac deſolatiõis ſqualore confectã. Itaq; magnum pietatis miſerationiſq; monimentum in reparationem eius operatus eſt, Nanque

*Ageſila. Thebanos ſuperat.*

*munie bat.*



eam à Lacedæmonijs exinanitam, Lacedemoniorum prædis repleuit: Perſis incendentibus concrematam, Perſis ædificantibus reformauit. Interea Artaxerxes rex Perſarũ, ſicut principio dictum eſt, uniuerſis Græciæ populis ꝑ legatos, ut ab armis diſcederent, & paci acquieſcerent, imperauit: non quod miſericorditer feſſis conſuleret, ſed ne illo in Aegypto bellis occupato, aliqua in regnum ſuum tẽtaretur irruptio.

*Lacedæmonij parum ſtrenue Arcades inuadunt, à quibus auxilio Thebanorum uincuntur. Thebani quoq; amiſſo duce, ſuccumbunt. Prædictorum epilogus.*

*Caput .II.*

CVnctis igitʳ Græcis optatiſſima quiete reſolutis, domeſticoq; ocio torpẽtibꝰ, Lacedæmonij inquieti magis quàm ſtrenui, & furore potius quàm uirtute intolerabiles, poſt bella depoſita tentãt furta bellorum. Nam ſpeculati abſentiã Arcadum, caſtellum eorum repentina irruptione perfringunt. Arcades uero excitati iniuria, iuncto ſibi Thebanorum auxilio, amiſſa furto, bello repetũt. In eo præ

Universidad de Deusto Biblioteca



*Archidamus.*

lio Archidamus dux Lacedæmoniorum uulneratus, cũ etiam cædi ſuos & uictos uideret, occiſorum corpora per præconem ad ſepulturam popoſcit: quod ſignũ uictoriæ traditæ inter Græcos haberi ſolet. Thebani autem hac confeſſione contẽti, dato parcendi ſigno, finẽ dedere certaminini. Paucis deinde interueniẽtibus induciarum diebus, Lacedæmonijs ad alia bella conuerſis, Thebani cum Epaminonda duce, de inuadẽda Lacedæmonia quaſi ſecura & deſtituta, cepere fiduciam. Taciti, intempeſta nocte, Lacedæmonem ueniunt: ſed non ita incautã uel indefenſam ut rebantur, offendunt. Armati eñ ſenes cum reliqua turba imbellis ætatis, præcognito aduentu hoſtium, in ipſis ſe portarũ anguſtijs obiecerũt, & aduerſus quindecim millia militum, uix centum confecti æuo homines proruperunt. His itaq; tantam belli molem ſuſtinentibus, iuuentus ſuperueniẽs, congredi aduerſus Thebanos aperto certamine incunctanter decreuit. Commiſſo prælio, cũ Lacedæmonij uincerẽtur, repente Epaminõdas dux Thebanorum incautius dimicans uulne-

*Signũ uictoriæ Græcis quod.*



ratur. Quare dum his ex dolore metus, illis ex gaudio ſtupor naſcitur, ueluti ex cõſenſu tacito utrinq; diſceſſum eſt. Epaminondas autem grauiter ſauciatus, cum de uictoria ſuorum comperiſſet, ſcutumq; deoſculatus eſſet, remota manu q̃ uulnus occluſerat, egreſſum ſanguinis ac mortis patefecit introitum: cuius mortẽ ſic Thebanorum perditio ſubſecuta eſt, ut non perdidiſſe ducem, ſed ipſi cũ eo tunc periſſe uiderentur. Contexui indigeſtæ hiſtoriæ inextricabilem cratem, atq; incertos bellorum orbes huc atq; illuc lymphatico furore geſtorũ uerbis ẽ ueſtigio ſecutus implicui: quoniam tãto (ut uideo) inordinatius ſcripſi, quanto magis ordinem cuſtodiui. Improba dominandi Lacedæmoniorum cupiditas, quantis populis, qualibus urbibus, quibus prouincijs, cuiuſmodi odiorum motus, quantas cauſas certaminum ſuſcitarit, quis uel numero, uel ordine, uel ratione diſponat? cum ipſi quoque non plus afflicti bellis quàm bellorum confuſione referantur: ſiquidem tracto per aliquot ætates hoc continuo bello, Athenienſes, Lacedæmonij,

*Epaminõdas ſauciatus iterijt.*

*Epilogus prædictorum.*

*Lacedæmoniorũ dominãdi libido.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Arcades,Bœotij,Thebani,poſtremoGræ
cia,Aſia, Perſis, atq; Aegyptus cũ Libya,
inſulisq́; maximis, nauales ſimul pede-
ſtresq́; conflictus indiſcretis egere diſcur
ſibus. Referre cæſa hominum millia non
poſſem,etiã ſi bella numerarem. At nunc
increpet hæc tempora,atq; illa collaudet,
quicunq; neſcit hoſce omnes iſtarum ur-
bium prouinciarumq́; populos,ita nunc
in ſolis ludis ac theatris conſeneſcere,ſicu
ti tunc in caſtris maxime prælijsq́; tabuiſ
ſe.Florentiſſima illa,& totius tunc impe-
rium oriẽtis affectans Lacedæmoniorum
ciuitas, uix centum habere potuit ſenes:
ita inceſſabilibus circunuenta malis, im-
maturas expẽdebat miſere ætates:& que-
runtur nunc homines, quorum refertæ
pueris & ſenibus ciuitates, ſecura iuue-
num peregrinatione ditantur,pacificisq́;
exercitijs ſtipendia domeſticæ uoluptatis
acquirunt?niſi forte (ut aſſolent humanæ
mutabilitati ſordere oĩa præſentia) no-
uitates rerum actu audituq́; pruriẽtibus
etiam ipſa uita faſtidio eſt.

*Terræmotus Achaiæ Eboram & Helicen ciuitates abſorpſit. Item Conſtantinopoli alius, Chriſtianorum oratione lenitus. Romani ciuitates aliquot capiunt. Caput III.*



ANno ab urbe cõdita CCCLXXVI. *Terræmo*
ſæuiſſimo terræmotu Achaia uni *tus Acha*
ueria concuſſa eſt, & duæ tunc ciuitates, *iæ.*
id eſt,Ebora & Helice,abruptis locorum
hiatibus deuoratæ. At ego nunc ẽ cõtra-
rio poterã ſimilia in diebus noſtris apud
Conſtantinopolim, æque modo princi- *Prodigia*
pem gentium,prædicta & facta, ſed non *in Cõſtan*
ꝑfecta narrare,cum poſt terribilẽ denun *tinopoli.*
ciationem conſcientiamq́; mali ſui præſci
am, ſubter commota funditus terra tre-
meret,& deſup fuſa cælitus flamma pen
deret,donec orationibus Arcadij princi- *Arcadius*
pis & populi Chriſtiani,præſentem ꝑdi-
tionẽ deus exoratus auerteret: probans
ſe ſolum eſſe & conſeruatorẽ humilium,
& punitorem malorum. Sed hæc ut cõ-
memorata ſint magis quàm explicata,ue
recundiæ conceſſerim,ut & qui ſit,reco-
lat: & qui neſcit,inquirat. Interea Ro- *Romano*
mani,qui per ſeptuaginta annos ab urbe *rum ui*
Volſcorum, præterea Phaliſcoꝝ,Aequo *ctoriæ.*
rum,& Sutrinorum,ſubacti & attriti aſ-
ſiduis bellis conficiebantur, tandem in ſu

Universidad de Deusto Biblioteca



pra ſcriptis diebus Camillo duce cepere eaſdem ciuitates, & rediuiuo finem dedere certamini. Præneſtinos autem eodem tempore, qui uſq; ad portam Romæ bellando & cædendo uenerant, ad flumẽ Alliam T. Quintio pugnante, uicerunt.

*Præneſtini uincuntur.*

*Romam non minus grauẽ quàm fœdam, nulliq; parcentem peſtem ſeu tabem inuaſiſſe, & quomodo expiata fuerit.*

*Caput* IIII.

ANno ab urbe condita CCCLXXXIIII. L. Genutio, & Q. Seruilio conſulibus, ingens uniuerſam Romam peſtilentia corripuit: non (ut aſſolet) plus minúsue ſolito temporum turbata temperies, hoc eſt, aut intempeſtiua ſiccitas hyemis, aut repentinus calor ueris, aut incongruus humor æſtatis, uel autumni diuitis indigeſta illecebra, inſup etiam expirata de Calabris ſaltibus aura corrumpens, repentinos acutarum infirmitatum afferret tranſcurſus, ſed grauis diuturnaq; in nullo diſpar ſexu, in nulla diſſimilis ætate, generali cunctos per biennium iugiter tabe confecit: ut etiá quos nõ egit in mortem, turpi macie exinanitos afflictosq; di

*Peſtis inaudita Romæ.*



miſerit. Conquerentur hoc (ut arbitor) loco obtrectatores temporis Chriſtiani, ſi forte ſilentio præterierim, quibus tunc ceremonijs Romani placauerint deos, & ſedauerint morbos, cum peſtilentia in dies crudeſceret. Autores ſuaſere põtifices, ut ludi ſcenici dijs expetẽtibus ederẽtur: & ita pro depellẽda temporali peſte corporũ, accerſitus eſt ꝑpetuus morbus animarum. Huber nunc quidem mihi locus iſte doloris atq; increpationis eſt, ſed in quo iam reuerentia tua ſtudium ſapiẽtiæ & ueritatis exercuit, mihi ſup eo audere fas non eſt. Commonuiſſe me ſatis ſit, & ex qualibet intentione lectorem ad illius lectionis plenitudinem remiſiſſe.

*Ludis ſcenicis dij reconciliati.*

*Ingens terræ hiatus medio Romæ apparuit, quẽ Marcus Curtius præcipitio ſui auertit.*

*Caput* V.

SEquitur hanc miſeram luem, miſerioremq; eius expiationem proximo anno ſatis triſte prodigium. Repente ſiquidem medio urbis terra diſſiluit, uaſtoq; præruptu hiátia ſubito inferna patuerũt. Manebat diu ad ſpectaculum terroremq; cunctorum patenti uoragine impudens

*Terræ prærupta hiatus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſpecus,nefariamq́ꝫ uiui hominis ſepulturam dijs interpretibus expectabat. Satis fecit improbis faucibus præcipitio ſui Marcus Curtius,uir eques armatus:iniecitq́ꝫ crudeli terræ inopinatã ſatietatem, cui parum eſſet,quod ex tanta peſtilentia mortuos per ſepulchra ſuſciperet,niſi etiam uiuos ſciſſa ſorberet.

*Gallorũ ingentem multitudinem Romani ſternunt ac fugant. Tuſci ſuperantur. Galli tertio irruentes trucidantur.*

*Caput .VI.*

*Gallorum multitudo iuxta Anienem.*

ANno ab urbe condita CCCLXXXVIII. iterum terribilis Gallorum inundatio iuxta Anienem fluuiũ,ad quartum ab urbe lapidem conſedit, facile ſine dubio,pondere multitudinis & alacritate uirtutis,pturbatam occupatura ciuitatem,niſi ocio & ſẽtitudine torpuiſſet: ubi atrociſſimam pugnam Manlius Torquatus ſingulariter inchoauit,T.Quintius dictator cruentiſſima congreſſione cõfecit. Fugati ex hoc prælio plurimi Galli,inſtauratis iterum copijs in bellum ruẽtes, à C. Sulpitio dictatore ſuperati ſunt. Poſt paululum quoq; Tuſcorum pugna

*Tuſcorũ pugna & calamitas*



ſub C.Martio cõſecuta eſt:ubi conijci datur,quanta hominum multitudo cæſa ſit, quãdo octo millia ſunt capta Tuſcorum.

*Gallorum tertia irruptio.*

Tertio autem in ijſdem diebus Galli ſe in prædam p maritima loca, ſubiectoſq́ꝫ campos Albanis montibus diffuderunt: aduerſum quos nouo militũ delectu habito,conſcriptiſq́ꝫ legionibus decem, ſexaginta millia Romanorum,negatis ſibi auxilijs Latinorum,pceſſerunt. Confecit hác pugnam M. Valerius,auxiliante coruo alite,unde poſtea Coruinus ẽ dictus. Occiſo enim prouocatore Gallo,hoſtes territi,ſparſimq́ꝫ fugientes,grauiter trucidati ſunt.

*Mirũ de coruo.*

*Fœdus Romanorum cum Carthaginienſibus pactum, plurium malorum cauſa extitit. Inter alia mira,ueris lapidibus pluit. Alex. Magnus naſcitur. rex Perſarum Iudæos captiuos ducit.*

*Caput VII.*

NVmerandum etiam inter cætera mala cenſeo,primum illud ictum cum Carthaginienſibus fœdus, quod ijſdem temporibus fuit, præſertim ex quo tam grauia orta ſunt mala, ut exin cœpiſſe uideátur. Anno ſiquidem ab urbe con-

*Carthaginienſiũ & Romanorũ fœdus infauſtũ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dita CCCCII. legati á Carthagine Romã miſſi ſunt, fœduſq; pepigerũt. Quam ex ingreſſu Carthaginienſium in Italiam malorum grandinem ſecuturam, continuarumq; miſeriarum tenebras iuges, hiſtoriarum fides, locorũ infamia, & abominatio dierũ, quibus ea geſta ſunt, proteſtantur. Tunc etiam nox uſq; ad plurimam diei partem tendi uiſa eſt: & ſaxea de nubibus grando deſcendens, ueris terram lapidib⁹ uerberauit. Quibus diebus etiam Alexander Magnus, magnus uere ille gurges miſeriarũ, atq; atrociſſimus turbo totius orientis eſt natus. Tunc etiam Ochus, qui & Artaxerxes, poſt tranſactum in Aegypto maximum diuturnumq; bellum, plurimos Iudæorũ in trãſmigratiõem egit, atq; in Hyrcania ad Caſpium mare habitare præcepit: quos ibi uſq; in hodiernum diem ampliſſimis generis ſui incrementis conſiſtere, atq; exinde quandoq; erupturos opinio eſt. Cuius etiam belli tempeſtate, tranſcurrens & Sidonam opulentiſſimam Phœnicis prouinciæ urbem deleuit: & Aegyptum q̃uis prius uictam, tunc tamen ſubactam,

*Alexãder totius orientis turbo, naſcitur.*

*Iudæi captiui.*

*Sidon deleta.*



comminutamq; ferro, Perſarum ſubiecit imperio.

*Bellum Samniticum, Pyrrhi, et Punicum, poſt quod Romani uſq; ad Auguſtum nũquam quieti, quãdo beneficio unius Chriſti pax toti orbi reſtituta fuit.* Caput VIII.

IAm hinc ſtatim à Romanis aduerſus Samnites, gentem opibus armiſq; ualidam, pro Campanis & Sidicinis bella ſuſcepta ſunt. Samniticum bellum ancipiti ſtatu geſtum, Pyrrhus uel maximus Romani nominis hoſtis, excepit. Pyrrhi bellum mox Punicum conſecutum eſt: & quamuis nunquam poſt mortem Numæ à bellorum cladibus fuiſſe ceſſatum, Iani patentes ſemper portæ indicent, ex eo tamen, ueluti per meridiem, toto impreſſus cælo malorum feruor incanduit. Porro autem inchoato ſemel bello Punico, utrum aliquando bella, cædes, atq; ruinæ, omniumq; infandarum mortium genera, niſi Cæſare Auguſto imperante ceſſauerint, inquirat, inueniat, prodat, quiſquis infamanda Chriſtiana tempora putat. Abſq; illo tamen, inter bella Punica unius anni, ueluti alitis præteruolãtis ex-

*Pyrrhus.*

*Puni. bellum ſequitur Sãniticum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



curſu, Romani propter Iani portas clau
ſas inter febres morboſq; reipub. adhuc
breuiſſimo pacis ſigno, uelut tenuiſſimo
aquæ gelidæ hauſtu illecti ſunt, ut in pe-
ius recaleſcẽtes, multo grauius uehemen
tiusq; afflictarentur. At uero ſi indubita-
tiſſime conſtat, ſub Auguſto primum Cæ
ſare, poſt partam pacem, uniuerſum ter-
rarum orbẽ poſitis armis, abolitiſq; diſ-
cordijs, generali pace & noua quiete com
poſitum, Romanis paruiſſe legibus, Ro-
mana iura quàm propria arma maluiſſe,
ſpretiſq; ducibus ſuis, iudices elegiſſe Ro
manos: poſtremo omnibus gentibus, cun
ctiſq; prouincijs, innumeris ciuitatibus,
infinitis populis, totis terris unam fuiſſe
uoluntatem, libero honeſtoq; ſtudio inſer
uire paci, atq; in cõmune cõſulere: quod
prius ne una quidem ciuitas, unúſue po-
pulus ciuium, uel quod maius eſt, una do
mus fratrum iugiter habere potuiſſet:
quod ſi etiam cum imperante Cæſare iſta
prouenerint, in ipſo imperio Cæſaris, il
luxiſſe ortum in hoc mundo domini no-
ſtri Ieſu Chriſti, liquidiſſima probatione
manifeſtũ eſt, inuiti licet illi, quos in blaſ-

*Pax ſub Cæſare Auguſto.*



phemiam urget inuidia, cognoſcere fate-
riq; coguntur, pacem iſtam totius mũdi
& tranquilliſſimam ſerenitatem non ma
gnitudine Cæſaris, ſed poteſtate filij dei,
q in dieb⁹ Cæſaris apparuit, extitiſſe: nec
unius urbis imperatori, ſed creatori or-
bis uniuerſi, orbem ipſum generali cogni
tione paruiſſe: qui ſicut ſol oriens diem lu
ce pfundit, ita miſericorditer aduenieus,
extẽta mundum pace ueſtierit. Quod ple
nius cum ad ipſum pficiente domino uẽ
tum fuerit, proferemus.

*Pacis cauſa Chriſtus, non Auguſtus*

*Romani Latinis bellum inferũt. Manlius Tor
quatus filium perimit. Minutia Veſtalis uirgo
damnatur. Caput .IX.*

IGitur CCCCIX. ab urbe cõdita, Ro
mani bellum Latinis rebellãtibus in-
tulerũt, Manlio Torquato, & Decio Mu
ræna conſulibus: in quo bello unus cõſul
interfectus eſt, alter extitit parricida. Mã
lius enim Torquatus filium ſuum pere-
mit, iuuenem uictorem, interfectoremq;
Metij Tuſculani nobilis militis, & tũ præ
cipue prouocantis atq; inſultantis hoſtis.
Alius uero conſul, cum iterato conflictu
illud cornu cui præerat, cædi atq; affligi

*Romani in Latinos irruerunt.*

*Mãlij crudelitas in filium.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Decius occidit. uideret, in cõfertiſſimos hoſtes ſpõte pro
lapſus, occubuit. Manlius quãuis uictor,
occurſum tamen nobilium iuuenum Ro
manorũ, qui legitime exhiberi ſolet, tri-
umphans parricida non meruit. Anno
autem poſt hunc ſubſequẽte, Minutia uir
Minutia uirgo Veſtalis uiua obruitur. go Veſtalis ob admiſſum inceſtũ damna
ta eſt, uiuaq; obruta in campo, qui nunc
Sceleratus uocatur.

*Ingens numerus matronarum Romanarum ueneficij accuſatæ & damnatæ ſunt.*

*Caput X.*

AT uero paruo exin tempore inter-
iecto, horreſco referre quod geſtũ
Claudi. Marcel. Valerius Flaccus. eſt: nã Claudio Marcello & Valerio Flac
co conſulibus, incredibili rabie & amore
ſcelerum Romanæ matronæ exarſerũt.
Erat utiq; fœdus ille ac peſtilens annus,
inflictæq; iam undiq; cateruatim ſtrages
egerebant, & adhuc tamen penes omnes
de corrupto aêre ſimplex credulitas erat,
Flagitioſiſsim. matronarũ Romanarum facinus. cum exiſtente quadã ancilla indice & con
uincente, primum multæ matronæ ut bi
berent, quæ coxerant uenena, compulſæ:
deinde ſimul ut hauſere, conſumptæ ſunt.
Tanta autẽ multitudo fuit matronarum



in his facinoribus conſciarum, ut trecen
tæ ſeptuaginta damnatæ ex illis ſimul fuiſ
ſe referantur. Liui. 170 habet.

*Alexander rex Epirotarum à Samnitibus uictus & occiſus eſt.*

*Caput XI.*

ANno ab urbe cõdita CCCCXXX
II. Alexãder rex Epirotarũ, Alex-
andri illius Magni auunculus, traiectis
in Italiam copijs, cum bellum aduerſus
Romanos pararet, & circa finitimas Ro-
Alexander Epirota. mæ urbes firmaret uires exercitus ſui, au
xiliaq; uel ſibi acquirere uel hoſtibus ſub
trahere ſtudens bellis exerceretur, à Sa-
mnitib⁹ qui Lucanæ gẽti ſuffragabãtur,
maximo bello in Lucania uictus atq; occi
ſus eſt. Sed quoniam aliquantum Roma Alexãdri interitus.
nas clades recẽſendo progreſſus ſum, uel
Alexandri iſtius mentione commonitus,
de Philippo Macedonum rege qui Olym
piadem huius Alexandri Epirotæ uxo-
rem habuit, ex qua Alexandrũ Magnum
genuit, pauciſſimis annis retro repetitis,
magna paruis, in quãtũ potero colligam. Olympias Alexandri Magni mater.

*Philippi regis Macedoniæ res geſtæ, et quas gentes ſeu urbes ſubegerit.* *Caput XII.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Philip. Amyntæ filius, Macedoniæ rex.*

ANno ab urbe condita CCCC. Philippus Amyntæ filius, Alexandri pater, regnum Macedonum adeptus, uigintiquinque annis tenuit: quibus hos omnes acerbitatum aceruos cunctasq; malorũ moles ſtruxit. Hic primũ ab Alexandro fratre obſes Thebanis datus, per triennium apud Epaminondam ſtrenuiſſimum imperatorem & ſummum philoſophum eruditus eſt. Ipſo autem Alexandro interfecto ſcelere Eurydices matris, quamuis ea iam commiſſo adulterio, & altero primum filio occiſo, filiaq; uiduata, generi nuptias mariti morte pepigiſſet, compulſus à populo regnũ quod paruo occiſi fratris filio tuebat̃, ſuſcepit: qui cum foris concurſu exurgentium undiq; hoſtium, domi autem deprehenſarum ſæpe inſidiarum metu fatigaret̃, primum bellum cum Atheniẽſibus geſſit. Quibus uictis, arma ad Illyrios trãſtulit, multisq; millibus hoſtium trucidatis, Lariſſam urbem nobiliſſimam cepit. Inde Theſſaliam non magis amore uictoriæ, quàm ambitiõe habẽdorum equitum Theſſalorum, quorum robur exercitui ſuo admiſceret,

*Epaminõdas Philippum inſtituit.*

*Eurydices facinus.*

*Athenas deuicit Philipp⁹. Lariſſa capta.*



inuaſit. Ita Theſſalis ex improuiſo præoccupatis atq; in poteſtatẽ redactis, iungendo equitũ peditumq; fortiſſimas turmas & copias, inuictiſſimum fecit exercitum. Igitur uictis Athenienſibus, ſubiectisq; Theſſalis, Olympiadem Euruchæ regis Moloſſorum ſororem, duxit uxorẽ. Qui Eurucha cum ꝑ hoc quod ſocietatem Macedonum affinitate regis paciſcebat̃, imperium ſuum ſe dilataturum putaret, ꝑ hoc deceptus amiſit, priuatusq; in exilio conſenuit. Deinde Philippus cum Methonam urbẽ oppugnaret, ictu ſagittæ oculum perdidit. Ipſam uero urbem mox expugnauit & cepit. Exin Græciam totam propè, conſiliis præuẽtam, uiribus domuit. Quippe Græciæ ciuitates dum imperare ſingulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt: & dum in mutuum exitium ſine modo ruunt, omnib⁹ ꝑire, quod ſingulæ amitterẽt, oppreſſæ demum ſeruientesq; ſenſerũt: quarum dum inſanas concurſationes Philippus ueluti è ſpecula obſeruaret, auxiliumq; ſemper inferioribus ſuggerendo, cõtentiones, bellorum fomites, callidus doli artifex foueret, ui-

*Eurucha rex Moloſſorum.*

*Græcia à Philippo oppugnata.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ctos ſibi pariter uictoresq; ſubiecit. Huic
autem ad obtinendam totius Græciæ do
minationem, immoderata Thebanorum
dominatio facultatem dedit, q̃ uictos La
cedæmonios ac Phocēſes, cædibus etiam
rapinisq; confectos, cum inſuper in com
muni Græciæ concilio tāta pecuniæ mul
ta onerauiſſent, quātam illi ſoluere nullo
modo poſſent, ad arma cōfugere coēge-
Philomenes. rūt. Itaq; Phocēſes & Philomene duce &
auxilijs Lacedæmoniorũ Atheniēſiumq;
fulti, commiſſa pugna hoſtibusq; fugatis,
Thebanorũ caſtra ceperunt. Sequenti præ
lio inter immenſas utriuſq; populi ſtra-
ges Philomenes occiſus eſt: in cuiꝰ locum
Oenomaus. Phocenſes Oenomaum ducem creaue-
runt. Porrò autem Thebani & Theſſali
Philippi dolus. omiſſo delectu ciuium, Philippum Mace
doniæ regem, quem hoſtem prius repel-
lere laborabāt, ultro ſibi ducem expetiue
runt. Commiſſo prælio, & Phocēſibus pe
nè ad interneciōem cæſis, uictoria ad Phi
lippum conceſſit. Sed Athenienſes audi-
to belli euentu, ne Philippus tranſiret in
Græciam, anguſtias Thermopylarum pa
ri ratione, ſicut aduentantibus anteà Per-



ſis, occupauere. Igitur Philippꝰ ubi exclu-
ſum ſe ab ingreſſu Græciæ, præſtructis
Thermopylis uidet, paratū in hoſtes bel-
lum, uertit in ſocios: nā ciuitates quarum
paulò ante dux fuerat, ſibi ad gratulandū
ac ſuſcipiendum patentes, hoſtiliter inua
dit, crudeliter diripit: omīq; ſocietatis cō-
ſcientia penitus abolita, cōiuges liberosq;
omnium ſub corona uendidit, tēpla quo-
que uniuerſa ſubuertit, ſpoliauitq;, nec ta-
men unquam per uiginti quinque annos
quaſi iratis dijs uictus eſt. Poſt hæc in Cap Philippus Cappadociam ſibi ſubdit.
padociā trāſijt, ibiq; bellū pari pfidia geſ-
ſit, captis p dolū finitimos reges interfe-
cit, totāq; Cappadociā impio Macedoniæ
ſubdidit. Inde poſt cædes, incēdia dep̄da
tionesq; in ſocias urbes geſtas, parricidia
in fratres conuertit, quos patri ex nouer-
ca genitos cum cohæredes regni uerere- Olynthū expugnat.
tur, interficere aggreſſus eſt. Cū autem
unum ex his occidiſſet, duo in Olynthum
confugerunt: quam mox Philippus hoſti
liter aggreſſus urbem antiquiſſimam &
florētiſſimam, cædibus ac ſanguine reple
tam, opibus hominibusq; uacuauit, abſtra
ctos etiam fratres ſupplicio & neci dedit.

Universidad de Deusto Biblioteca



Dein cum excidio ſociorum & parrici
dio fratrum elatus, licere ſibi omnia, quæ
cogitauiſſet putaret, auraria loca in Theſ-
ſalia, ſtatuas idolorum & argenti metalla
in Thracia inuaſit; ac ne quod ius uel fas
inuiolatum prætermitteret, præoccupa-
to mari & claſſe diſperſa, piraticam quoq;
exercere inſtituit. Præterea cum eum fra-
tres duo Thraciæ reges, de regni termi-
nis ambigētes, iudicem ex conſenſu præ-
optauiſſent, Philippꝰ more ingenij ſui ad
iudicium tanquam ad bellum, cum inſtru
cto exercitu ingreſſus, inſcios iuuenes ui-
ta regnoq; priuauit. Athenienſes uero,
qui prius Philippi ingreſſum Thermopy
larum munitione repulerāt, ultrò pacem
eius expetentes, fraudulentiſſimū hoſtem
de neglecta introitus cuſtodia commonu
erunt. Cæteræ etiam Græciæ ciuitates, ut
intentius ciuilibus bellis uacarent, ſub ſpe
cie pacis & fœderis, ſponte ſe externæ do
minationi ſubiecerunt: maxime, cū Theſ-
ſali Bœotijq; poſcerent Philippum, ut ꝓ-
feſſum ſe aduerſum Phocenſes ducem ex-
hiberet, ſuſceptumq; bellum gereret con
tra Phocenſes, adhibitis ſecum Athenien

*Philippi perfidia.*



ſibus & Lacedæmonijs, uel differri bellū,
uel auferri, & precio & precibus labora-
rent. Philippus tacite utriſq; diuerſa pro
miſit, Phocenſibus pacem & ueniam ſe da
turum ſacramento confirmans, Theſſalis
uero affuturum ſe mox cū exercitu ſpon
det: bellum tamen ab utriſq; parari uetat.
Igitur Philippus inſtructis copijs, anguſti
as Thermopylarum ſecurus ingreditur,
eaſq; occupatas diſpoſitis præſidijs emu-
nijt. Tunc primum ſe non Phocenſes ſoli,
ſed & omnis Græcia captam eſſe perſen
ſit: ſiquidem primos Phocēſes Philippus,
rupta fide calcatoq; ſacramento, infandæ
dilacerationi dedit. Inde omnium urbes fi
neſq; populatus, cruenta præſentia effe-
cit, ut etiam abſens timeretur. Vbi uero
in regnum redijt, more paſtorum qui pe
cora ſua nunc per æſtiuos, nunc ꝑ hyber-
nos ſaltus circūducūt, populos & urbes,
ut illi replenda uel relinquenda quæque
loca uidebātur, ad libidinem ſuam tranſ-
fert. Miſeranda ubique facies, & atrociſſi
mum miſeriarum genus obuerſabatur,
perpeti excidium ſine irruptione, ſine bel
lo captiuitatem, ſine crimine exilium, ſine

*Philippi promiſsio*

*Philippi perfidia in Phocēſes.*

*Philippi in ſuos crudelitas.*

Universidad de Deusto Biblioteca



uictore dominatum. Premit miſeros inter iniuriarũ ſtimulos ſuperfuſus pauor, ipſaq; diſſimulatione dolor creſcit: hoc altius demiſſus, quo minus profiteri licet, timentibus ne ipſæ quoq; lachrymæ pro contumacia accipiantur. Alios populos auulſos à ſedibus ſuis, finibus hoſtiũ opponit: alios in extremis regni terminis ſtatuit: quoſdam æmulatione uirium, ne poſſent quod poſſe credebãtur, in ſupplementa exhauſtarum urbium diuidit. Ita glorioſiſſimum illud quondam florentis Græciæ corpus in multas laceratasq; particulas, extincta primũ libertate, cõcidit.

*Græciæ deperdita libertas.*

*Byzantium Philippus fruſtra obſidet. Piraticam exercet. Scythiam bello aggreditur & uincit. Triballi prædam ei eripiunt. Ca XIII.*

SEd hæc cum per aliquantas Græciæ ciuitates exercuiſſet, & tamen omnes metu premeret, conijciẽs ex præda paucorum, opes omnium, ad perficiendam æqualẽ in uniuerſis uaſtationẽ, utili emolumẽto neceſſariam maritimam urbem ratus Byzantium, nobilem ciuitatẽ, aptiſſimam iudicauit ut receptaculum ſibi terra mariq; fieret, eamq; obſiſtentem ilico

*Byzantiũ à Philip. obſeſſa.*



obſidione cinxit. Hæc autem Byzantium quondam à Pauſania rege Spartanorum condita, poſt autem à Conſtantino Chriſtiano principe in maiꝰ aucta & Cõſtantinopolis dicta, glorioſiſſimi nũc imperij ſedes & totius caput orientis eſt. Philippus uero poſt longam & irritam obſidionem, ut pecuniam quam obſidẽdo exhauſerat, prædando repararet, piraticam aggreſſus eſt. Captas itaq; CLXX. naues mercibus confertas, diſtraxit, & anhelanti inopiæ parua recreatione ſubuenit. Inde ꝑpter agendam prædam & curãdam obſidionem diuiſit exercitum. Ipſe autem cum fortiſſimis profectus, multas Cherroneſi urbes cepit: profligatisq; populis, opes abſtulit. Ad Scythiã quoq; cum Alexandro filio prædandi intentiõe pertranſiit. Scythis tũc Etheas regnabat: qui cum Iſtrianorum bello premeretur, auxilia à Philippo ꝑ Apollonienſes petijt: ſed continuo Iſtrianorũ rege mortuo, & belli metu & auxiliorum neceſſitate liberatus, pactionem fœderis cum Philippo habitam diſſoluit. Philippus dimiſſa obſidione Byzantij, Scythicum bellum totis ui

*Byzantium à Conſtantino dicta Cõſtantinopolis.*

*Etheas. Alias Atheas. Iuſtinus Matthæas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ribus aggrediť. Cōmiſſoq; prælio, cum
Scythæ & numero & uirtute præſtarēt,
Philippi fraude uincuntur. In ea pugna
XX.M. puerorum ac fœminarum Scythi
cæ gentis capta, pecorū magna copia ab-
ducta, auri atq; argenti nihil repertum:
nam & ea res primo fidem inopiæ Scy-
thicæ dedit. XX.M. nobilium equarū ſuf-
ficiēdo generi in Macedoniā miſſa ſunt.
ſed reuertēti Philippo Triballi bello ob
uiant, in quo ita Philippus in femore uul
neratus eſt, ut p corpus eius equus interfi
ceretur. Cumq; omnes occiſum putarēt,
in fugam uerſi, prædā amiſerūt. Aliquan
tula deinde mora dum conualeſcit à uul
nere, in pace conquieuit. Statim uero ut
conualuit, Athenienſibus bellum intulit:
qui in tanto diſcrimine poſiti, Lacedæmo
nios quondā hoſtes, tunc ſocios aſciſcunt:
totiusq; Græciæ ciuitates legationibus fa
tigant, ut communem hoſtem communi
bus uiribus petant. Itaq; aliquantæ urbes
Athenienſibus ſeſe coniunxere, quaſdam
uero ad Philippū belli metus traxit. Præ
lio commiſſo, cum Athenienſes lōge ma
iori numero militum præſtarent, aſſidu-

*Captiuorum numerus.*



is tamen bellis indurata Macedonum uir
tute uincuntur: quam pugnam lōge omi-
bus anterioribus bellis atrociorem fuiſ-
ſe, ipſe rerum exitus docuit. Nam hic di-
es apud uniuerſam Græciam, acquiſitæ
dominationis gloriam, & uetuſtiſſimæ li
bertatis ſtatum finiuit.

*Philippus Thebanos & Lacedæmonios uin-
cit, tyranniceq; premit. Poſtremo poſt alia fa
cinora interit.* Caput XIIII.

POſtea Philippus cruētiſſimam uicto
riam in Thebanos & Lacedæmonios
exercuit: ſiquidem principes ciuitatū ali-
os ſecuri percuſſit, alios in exilium egit,
omnes bonis priuauit. Pulſos dudum à ci
uibus, in patriā reſtituit: ex quibus CCC.
exules iudices rectoresq; præfecit: qui ut
antiquum dolorem noua poteſtate cura-
rent, preſſos infeliciter populos in ſpem
libertatis reſpirare non ſinerēt. Præterea
magno delectu militum in ſubſidium re
giæ diſpoſitionis, ex tota Græcia habito,
CC.M. peditum, & XV.M. equitum, abſ-
que exercitu Macedonum & infinita gen
tium barbarie, Perſicæ expeditioni in Aſi
am miſſurus inſtruxit. Tres duces, hoc ē,

*Philip. ſæuitia in ſuperatos.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Parmenionem, Amyntam & Attalum, præmittendos in Perſas, legit. Et dum ſu præſcriptæ copiæ de Græcia congregantur, Alexandri, qui erat Olympiadis uxoris ſuæ frater, & poſt à Sabinis in Lucania proſtratus eſt, quem Epiri regem ob mercedem ſtupri perpetrati in eum conſtituerat, nuptias in copulando ei filiam ſuam Cleopatram, celebrare decreuit: qui cum pridie quàm occideretur interrogatus fuiſſet, quis finis homini eſſet magis optandus, reſpondiſſe fertur, eum eſſe optimũ, qui uiro forti poſt uirtutum ſuarum gloriã in pace regnanti, ſine conflictatione corporis & dedecore animi ſubitus & celer, inopinato ferro potuiſſet accidere, quod ipſi mox obtigit. Nec ab iratis dĳs, quos ſemper paruipenderat, quorumq́ aras, templa, ſimulacraq́ ſubuerterat, quin lectiſſimam, ut ipſi uidebatur, mortem adipiſceretur, potuit impediri. Nam die nuptiarum, cum ad ludos magnifice apparatos inter duos Alexandros generum filiumq́ contenderet, à Pauſania, nobili Macedonum adoleſcente, in anguſtĳs ſine cuſtodibus circum

*Quis finis eligẽdus forti.*



uentus, occiſus eſt. Aſſerant nũc multiſq́ hæc uocibus efferant quaſi uirorum fortium laudes & facta felicia, quibus amariſſimæ aliorum calamitates in dulces fabulas cedunt, ſi tamen nunquam ipſi iniurias, quibus aliquando uexantur, relatu triſtiori deplorant. Si uero de proprĳs querimonĳs tantum alios audientes affici uolunt, quantum ipſi perpetiendo ſenſerunt, prius ipſi non præſentibus præterita, ſed geſtis geſta comparent: & utraque ex auditu, uelut certi alienorum arbitri iudicent, per XXV. annos incendia ciuitatum, excidia bellorum, ſubiectiones prouinciarum, cædes hominum, opum rapinas, prædas pecorum, mortuorum mortes, uenditiones captiuitateſq́ uiuorum, unius regis fraus, ferocia & dominatus, agitauit.

*Philippi interitus.*

*Samnites Romanorum copias capiunt. Romani ictum fœdus rumpunt. Satricũ expugnãt.*
Caput XV.

SVfficerent iſta ad exemplum miſerarum inſinuata memoriæ noſtræ, geſta per Philippum, etiam ſi Alexander ei non ſucceſſiſſet in regnum. Cuius bella,

Universidad de Deusto Biblioteca



imò ſub cuius bellis, mundi mala ordine ſequentia, ſuſpẽdo pauliſper, ut in hoc loco ꝑ conuenientia temporum, Romana ſubijciam. Anno ab urbe cõdita CCCC XXVI. Caudinas furculas ſatis celebres & famoſas, inſignis Romanorum fecit infamia. Nam cum ſuperiore bello uiginti millia Samnitũ, Fabio magiſtro equitum pugnam conſerente, cecidiſſent, circũſpectiore cura Samnites ac magis inſtructo apparatu apud Caudinas furculas conſederunt: ubi cum Vecturium & Poſthumium conſules, omneſq; copias Romanorum anguſtijs locorum armiſq; clauſiſſent, Pontius dux eorum in tantum abuſus eſt uictoriæ ſecuritate, ut Herennium patrem conſulendũ putaret, utrum occideret clauſos, an parceret ſubiugatis: ut uiuos tamẽ dedecori reſeruaret, elegit. Romanos enim antea ſæpiſſime uinci & occidi, nunquam autem capi, aut ad deditionem cogi potuiſſe conſtabat. Itaq; Sãnites uictoria potiti, uniuerſum exercitum Romanũ turpiter captum, armis etiam ueſtimentiſq; nudatum, tantũ ſingulis uilioribus operimentis ob uerecunda cor-

*Caudinæ furculæ.*

*Impedimenta Ro. à Samnitibus erepta.*



porum tegenda conceſſis, ſub iugum miſſum ſeruitioq; ſubiectum, longum agere pompæ ordinem præceperunt. Sexcentis autem equitibus Romanis in obſidatum receptis, oneratos ignominia, cæteris rebus uacuos, cõſules remiſerũt. Quid de exaggeranda huius fœdiſſimi fœderis macula uerbis laborem, qui tacere maluiſſem? Hodie enim Romani aut omnino non eſſent, aut Samnio dominante ſeruirent, ſi fidem fœderis, quam ſibi ſeruari à ſubiectis uolunt, ipſi ſubiecti Samnitibus ſeruauiſſent. Poſteriore anno infringunt Romani firmatam cum Samnitibus pactionem, eoſq; in bellũ cogunt, quod Papyrio conſule inſiſtente commiſſum, magnas ſtrages utriuſq; populi dedit. Cum hinc ira recentis infamiæ, inde gloria ꝓximæ uictoriæ pugnantes inſtimularet, tandem Romani pertinaciter moriendo uicerunt: nec cædi pariter uel cædere deſtiterunt, niſi poſtquam uictis Samnitibus, & capto duce eorum, iugum repoſuerũt. Idem deinde Papyrius Satricum, expulſo inde Samnitico præſidio, expugnauit, & cepit. Hic autem Papyrius adeo tunc

*Ro ignominia.*

*Fidẽ Sãnitibus datã infringunt Ro.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



apud Romanos bellicoſiſſimus ac ſtrenu
ſſimus habebatur, ut cum Alexãder Ma
gnus diſponere diceretur ab oriente de-
ſcẽdens obtinere uiribus Aphricam, atq;
inde in Italiam transuehi, Romani inter
cæteros duces tunc in republica ſua opti
mos, hunc præcipuum fore, qui Alexan-
dri impetum ſuſtinere poſſet, meditaren-
tur.

*Alexander Philippo ſuccedens, Thebanos, Il
lyrios, Thracas, urbesq; alias perdomuit. Da
rium uincit.* Capvt XVI.

IGitur Alexander, anno ab urbe condi
ta CCCCXXVI. patri Philippo ſuc-
ceſſit in regnum, qui primam experien-
tiam animi & uirtutis ſuæ, compreſſis ce
leriter Græcorum motibus, dedit: qui-
bus autor ut ab imperio Macedonum de
ficerent, Demoſthenes orator auro Perſa
rum corruptus, extiterat. Itaque Atheni-
enſibus bellũ deprecãtibus remiſit, quos
inſuper etiam multo metu ſoluit, Theba-
nos diruta ciuitate deleuit, reliquos ſub
corona uẽdidit, cæteras uero urbes Acha
iæ & Theſſaliæ uectigales fecit. Illyricos
quoq; & Thracas, tranſlato mox ab hinc

Demo-
ſthenes.

Thebæ di
rutæ.



bello, domuit. Inde profecturus ad Perſicũ
bellum, omnes cognatos ac proximos ſu
os interfecit. In exercitu eius fuiſſe pedi-
tum XXXII. millia, equitũ IIII. M. D. na-
ues C.LXXX. referuntur: hac tam parua
manu uniuerſum terrarum orbẽ, utrum
admirabilius ſit quod uicerit, an quod ag
gredi auſus fuerit, incertum eſt. Primo
eius cum Dario rege congreſſu, DC. M.
Perſarum in acie fuerunt, quæ nõ minus
arte Alexandri ſuperata, quã uirtute Ma-
cedonum, terga uerterunt. Magna igitur
cædes Perſarum fuit. In exercitu autem
Alexandri, CXX. equites & nouem tan-
tum pedites defuere. Deinde Gordien
Phrygiæ ciuitatem, quæ nunc Sardis uo
citatur, obſeſſam expugnatamq; cepit, ac
direptioni dedit. Inde nunciato ſibi Darij
cum magnis copijs aduentu, timẽs angu
ſtias quibus inerat locorum, Taurũ mon-
tem mira celeritate tranſcendit, & D. ſta
dijs ſub una die curſu trãſmiſſis, Tarſum
uenit: ibiq; cum ſudans in Cydnum præ-
frigidum amnem deſcendiſſet, obriguit,
contractuq; neruorum proximus morti
fuit. Interea Darius cũ CCC. M. peditũ

*Darius
rex Per
ſarum.*

*Gordie,
id eſt, Sar
dis*

*Cydnus
amnis.*

& C.M.equitum in aciem procedit. Mo
uebat hæc multitudo hoſtium etiã Alex-
andrũ maxime reſpectu paucitatis ſuæ,
quamuis iam pridem DC.M. hoſtium
eadem paucitate ſuperatis, non ſolũ non
timere pugnam,ſed etiam uictoriam ſpe
rare didiciſſet.Itaq; cum intra iactum teli
uterq; conſtitiſſet exercitus, & intẽtos ad
ſignum belli populos diſcurrentes prin-
cipes uarijs incitamentis acuerent,ingen-
tibus utrinque animis pugna committi-
tur.In quo ambo reges Alexander & Da
rius uulnerantur:ac tam diu certamen an
ceps fuit,quoadusq; fugeret Darius.Exin
de cædes Perſarum ſecuta eſt.Ibi tunc pe

*Cæſorum captorumq́; numerus.* ditum octoginta millia, equitum decem
millia cæſa,capta autem quadraginta mil
lia fuere.Ex Macedonibus uero cecidere
centum triginta pedites, equites CL. In
*Vxor filiaq́; Darij capta.* caſtris Perſarũ, multũ auri cæterarumq;
opum repertũ eſt. Inter captiuos caſtro-
rum,mater & uxor eademq; ſoror & fi-
liæ duæ Darij fuere.Quarum redempti-
*Darius tertio Alexan* onem Darius cum etiam oblata regni di
midia parte non impetrauiſſet,tertio cun
ctis Perſarũ uiribus ſociorumq; auxilijs





contractis,bellum inſtaurat. Sed dũ hæc *drũ aggreditur*
Darius agit, Alexander Parmenionẽ ad
inuadendam Perſicam claſſem cũ copijs *Inſulæ multæ ultro ſedeunt*
mittit,ipſe in Syriam proficiſcitur: ibiq;
ex multis ſibi regibus, cum inſulis ultro
occurrẽtibus,alios *elegit, alios mutauit, **allegit*
alios pdidit.Tyrum urbẽ antiquiſſimam *Tyrũ capit*
& florentiſſimam,fiducia Carthaginien-
ſium cognatorum ſibi obſiſtentẽ, oppreſ
ſit & cepit.Exin Ciliciam, Rhodum atq;
Aegyptum pertinaci furore peruadit.In
de ad templum Iouis Ammonis pergit,
ut mendacio ad tempus compoſito,igno *Alexandro incertus pater et adultera mater.*
miniam ſibi patris incerti & infamiã ad-
ulteræ matris aboleret. Nam accerſitum
ad ſe phani ipſius antiſtitẽ ex occulto mo
nuit,quod ſibi tanquam cõſulenti reſpon
deri uelit,ſicut hiſtorici eorum dicũt. Ita
certus Alexander fuit, nobiſq; prodidit, *Deorũ uanitas.*
dijs ipſis mutis & ſurdis, uel in poteſtate
eſſe antiſtitis quid uelit fingere:uel in uo *Alexandriã conſtruxit.*
luntate conſulẽtis,quid malit audire.Re-
uertens ab Ammone ad tertiũ Perſicum
bellum, Alexandriam in Aegypto con-
didit.

*Dario uicto,Perſarum regnum ad Macedo-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*nes conceßit. Darius ipſe interit. Alexandri deinde in alios uaſtatio.*

## Caput XVII.

DAri⁹ uero ſpe pacis amiſſa, CCCC
IIII. millia peditum, & C.M. equi-
tum Alexandro ab Aegypto reuertenti,
apud Tharſum bello oppoſ̄it. Nec pugnæ
mora, omnes cæca rabie in ferrum ruũt.
Macedones, toties à ſe uictis hoſtibus, ani-
moſi: Perſæ, niſi uincant, mori præoptan-
tes. Raro in ullo prælio tantum ſangui-
nis fuſum eſt. Sed Darius cum uinci ſuos
uideret, mori in bello paratus, pſuaſu ſu-
orum fugere compulſus eſt. Hoc prælio
Aſiæ uires & regna ceciderũt, totusq; ori-
ens in poteſtatem Macedonici ceſſit impe-
rij: atq; ita attrita ẽ in hoc Perſarũ omnis
fidutia, ut poſt hoc nullus rebellare auſus
ſit: patienterq; Perſæ poſt imperium tot
annorum, iugum ſeruitutis acceperint.
Alexander nanq; trigintaquatuor conti-
nuis diebus caſtrorum prædam pcenſuit,
Perſepolis capitur — ac Perſepolim caput Perſici regni, urbem
famoſiſſimam confertiſſimamq; opibus
totius orbis, inuaſit. Darium uero cum à
ppinquis ſuis uinctum cõpedibus aureis



teneri comperiſſet, perſequi ſtatuit. Itaq;
iuſſo ut ſubſequeret exercitu, ipſe cũ ſex
millib⁹ equitũ pfectus, inuenit in itinere
ſolum relictum, multis confoſſum uulne-
ribus, & extrema uitæ p uulnera efflantẽ.
Hunc mortuum inani miſericordia refer- *Darij interitus.*
ri in ſepulchra maiorum, ſepeliriq; præ-
cepit: cuius non dicam matrem uel uxo-
rem, ſed etiam paruulas filias crudeli ca-
ptiuitate detinebat. In tanta malorũ mul-
titudine, difficilima dictis fides, trib⁹ præ-
lijs totidemq; annis quinquies decies cen-
tena M. peditum equitumq; conſumpta *Perſarũ clades.*
ſunt: & hæc quidẽ ex eo regno illisq; po-
pulis, unde iam ante annos nõ multo plu-
res decies nouies centena millia profliga-
ta referũtur: quanquam extra has clades
per eoſdem tres annos & Aſiæ ciuitates
plurimæ oppreſſæ ſint, & Syria tota ua-
ſtata, Tyrus exciſa, Cilicia exinanita, Cap-
padocia ſubacta, Aegyptus addicta ſit:
Rhodus quoq; inſula ultro ad ſeruitutem
tremefacta ſucceſſerit, plurimæq; ſubie-
ctæ Tauro puinciæ, atq; ipſe mons Tau-
rus, diu detrectatum iugum domitus &
uictus acceperit.

*De bellis Agidis regis Spartanorum, Alexandri Epiri, Zopyrionis præfecti. Alexāder Magnus Hyrcanos, Mardos, Parthos, multoſq; barbaros ſubigit. Crudelis in ſuos eſt.*

Caput XVIII.

ET ne forte quiſquam opinetur uel
orientem ſolum Alexandri uiribus
ſubactum, uel Italiam tantummodo Ro-
mana inquietudine fatigatam, tūc etiam
bellum Agidis, Spartanorū regis in Græ-
Alexāder rex Epiri — cia, Alexandri regis Epiri in Lucania, Zo-
pyrionis præfecti in Scythia gerebatur:
quorum Agis Lacedæmonius, excitata
& rebellante ſecū uniuerſa Græcia, cum
Antipatri fortiſſimis copijs congreſſus,
inter magnas utrorunque ſtrages & ipſe
procubuit. Alexander autem in Italia affe-
ctans occidentis imperium, æmulās Alex-
andrum Magnū, poſt numeroſa & gra-
uia bella ibidē geſta, à Brutijs Lucaniſq;
ſuperatus eſt, corpuſq; eius ad ſepulturā
Zopyrion præfectus Pōti. — uenditū. Zopyrion uero præfectus Pon-
ti, adunato XXX.M. exercitu, Scythis bel-
lum inferre auſus eſt: & uſq; ad interne-
cionem cæſus, funditus cum omnibus co-
pijs ſuis abraſus eſt, Igitur Alexander Ma-



gnus poſt Darij mortē Hyrcanos & Mar-
dos ſubegit: ubi etiam illum adhuc bello — Thaleſtris.
intentum, Thaleſtris ſiue Minothæa regi-
na, excita ſuſcipiendæ ab eo ſobolis gra-
tia, cū trecentis mulieribus procax Ama-
zon inuenit. Poſt hæc Parthorū pugnam
aggreſſus: quos diu obnitentes, deleuit ꝑ-
pemodum antequàm uicit. Inde Drāgas, — Iuſtinus Dracas,
Euergetas, Parymas, Paropamenos, Hy- — Parapamiſſadas,
daſpios, cæteroſq; populos qui in radice — Parpamenos.
Caucaſi morabant, ſubegit, urbe ibi Alex-
andria ſuper amnem Tanaim conſtituta.
Sed nec minor eius in ſuos crudelitas,
quàm in hoſtem rabies fuit. Docent hoc
Amyntas conſobrinus occiſus, nouerca
fratreſq; eius necati, Parmenio & Philo-
tas trucidati, Attalus, Eurylochus, Pauſa-
nias, multiq; Macedoniæ principes extin-
cti: Clytus quoq; annis grauis, amicitia
uetus, nefarie interfectus. Qui cum in cō-
uiuio fiducia regiæ amicitiæ aduerſus re-
gem opera ſua patri Philippo præponen-
tem, memoriam patris tueretur, ab offen-
ſo fruſtra rege, uenabulo trāſfoſſus, com-
mune conuiuium moriēs cruētauit. Sed
Alexander humani ſanguinis inſaturabi-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



lis, ſiue hoſtium ſiue etiam ſociorũ, recentem tamen ſemper ſitiebat cruorem. Itaq; pertinaci impetu in bella ꝓcurrens, Choraſmos & Dacos indomitam gentem in deditionem accepit: Calliſthenem philoſophum, ſibiq; apud Ariſtotelem condiſcipulũ, cum plurimis alijs principibus, quod eum depoſito ſalutandi more, ut deum non adoraret, occidit.

Choraſmi Daci.

*Alexander Indiam domat. Porum regem ſuperat. Vrbes, gentesq; ſubigit.*

*Caput* XVIII.

POſt hæc Indiam petit, ut oceano ultimoq; oriente finiret imperium. Nyſam urbẽ adijt. Dædalos mõtes, regnaq; Cleophidis reginæ expugnauit: quæ cũ ſe dedidiſſet, cõcubitu regnum redemit.

Peragrata perdomitaq; Alexander India, cum ad ſaxum miræ aſperitatis miræq; magnitudinis & altitudinis, in quod multi populi confugerãt, perueniſſet, cognoſcit Herculem ab expugnatione eiuſdem ſaxi terræmotu prohibitum, æmulatione permotus, ut Herculis acta ſuperaret, cum ſummo labore ac periculo ſaxo potitus, omnes loci eius gẽtes in dedi-



tionem accepit: cum Poro fortiſſimo Indorum rege cruentiſſimum bellum geſſit: in quo Alexander cum ipſo Poro ſingulariter congreſſus, occiſoq; deiectus equo, cõcurſu ſatellitum præſentiã mortis euaſit. Porus multis uulneribus cõfoſſus, retentus & captus eſt: quo ob teſtimonium uirtutis in regnum reſtituto, duas ſibi condidit ciuitates, Nicæam & Bucephalam, quam de nomine equi ſui ita uocari præcepit. Inde *Aræſtas, Stathenos, Paſſidas & Gangaridas, cæſis eorum exercitib⁹, Macedones expugnauere. Cumq; ad *Choſides uentum eſſet, ibi cõtra CC. millia equitum hoſtium pugnã conſeruerunt. Et cum ætate detriti, animo ægri, uiribus laſſi, difficile uiciſſent, caſtra ob memoriam plus ſolito magnifica condiderunt. Exin Alexander ad amnem Aceſinem ꝓgit. Per hunc in oceanum deuehitur, ibi Geſſonas Syboſq;, quos Hercules condidit, oppreſſit. Hinc ad *Mardos & *Subagras nauigat: quæ gentes cum armatis octoginta millibus peditum, & ſexaginta millibus equitum, excipiunt. Commiſſoq; prælio, diu anceps & cruenta pu-

*Porus Indorũ rex*

**Adreſtas &c. Iuſti. 12.*

*Macedones quos ſubegerint.*

**Euphites.*

*Ambros, Sabarcas*

Universidad de Deusto Biblioteca



gna, tandem triſtem pene omnem uictoriam Macedonibus dedit. Nam fuſis hoſtium copijs, Alexander exercitũ ad urbem duxit. Et cum murum aſcẽdiſſet primus, uacuã ciuitatẽ ratus, ſolus introrſum deſiluit: quẽ cũ undiq; infeſti hoſtes circũdediſſent, incredibile dictu eſt, ut eũ nõ multitudo hoſtiũ, nõ uis magna telorũ, nõ tãtus laceſſentiũ clamor terruerit, ſolus tot millia ceciderit ac fugarit. At ubi ſe obrui à circũfuſa multitudine pſenſit, muri obiece poſteriora tutatus, cõtrarios facilius eo uſq; ſuſtinuit, donec ad periculũ eius clamoremq; hoſtium, perfractis muris exercitus omnis irrumperet. In eo prælio ſagitta ſub mamma traiectus, fixo genu eatenus pugnauit, donec eum à quo uulneratus eſſet, occideret. Inde conſcenſis nauibus cum oceani littora peragraret, ad urbem quandam, cui Ambira rex præerat, peruenit. Sed in expugnatione ciuitatis magnam partem exercitus, ſagittis hoſtium ueneno illitis, amiſit: ac poſt herba p ſomnium ſibi oſtenſa, & in potum faucijs data, cum reliquis ſubueniretur, urbem expugnauit & cepit.

*Alexãdri temeritas*

*Alexãder uulneratur.*

*Ambira rex.*

*Alexãdri ſomniũ.*



*Omnes prouinciæ ad Alexandrum territæ legatos pacem petentes, miſerunt. Alexander ueneno interijt. Apoſtrophe ad lectores. Caput XX.*

POſt quaſi circũacta meta, de oceano Indum flumẽ ingreſſus, Babylona celeriter redijt: ubi eum exterritarum totius orbis puinciarum legati opperiebantur, hoc eſt, Carthaginienſium & totius Aphricæ ciuitatum, ſed & Hiſpanorum, Gallorum, Siciliæ Sardiniæq;. Plurimæ præterea partis Italiæ. tãtus timor in ſummo oriente conſtituti ducis, populos ultimi occidentis inuaſerat, ut inde peregrinam toto mundo cerneres legationem, quo uix crederes peueniſſe rumorẽ. Alexander uero apud Babyloniam, cũ adhuc ſanguinem ſitiens, male caſtigata auiditate, miniſtri inſidijs uenenũ potaſſet, interijt. O dura mens hominum, & cor ſemp inhumanũ. Ego ipſe qui hæc pro aſſerenda omnium temporum alternata calamitate percenſeo, in relatu tãti mali, quo uel ipſa morte uel formidine mortis accepta totus mũdus intremuit, nũquid nõ lachrymaui oculis: nunqd nõ corde cõdo-

*Alexãdri interitus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



luiſ: nunqd nõ reuolués hæc, ꝓpter com
muné uiuẽdi ſtatũ, maioꝝ miſerias meas
feci: cũ tñ ſi qñ de meipſo refero, ut igno
tos primum barbaros uiderim, ut infe-
ſtos declinauerim, ut dominátibus eblan
ditus ſim, ut infideles præcauerim, ut inſi
diantes ſubterfugerim, poſtremo ut per-
ſequẽtes in mari ſaxis, ſpiculiſq́ꝫ appeten-
tes, manibus etiam penè iam apprehen-
dentes, repentina nebula circunfuſus eua
ſerim, cunctos audientes me, in lachry-
mas commoueri uelim, & tacitus de non
dolentibus doleam, reputás duritiem eo
rũ, qui, quod non ſuſtinuere, non credũt.
Maurinꝰ Hiſpanus — Hiſpanus Maurinus ad ſupplicandum
Alexandro Babyloniá adijt, cruentumq́ꝫ
ultro dominum ne hoſté exciperet, per
Aſſyriam Indiamq́ꝫ quæſiuit: terrarum
metas luſtrans, & utriq; infeliciter notus
oceano, & tamen tam uiolentæ neceſſita
tis memoria, uel obliuione defecit, uel ui
luit uetuſtate. Et nos perpetuæ recordati
oni hæſurum putamus, quod plurima or
bis parte ſecura, unum angulum fugax la
*Quam — tro uiolauit: * quaſi uero Gothorum &
Sueuorum pacem, ut nõ dicam uerſa ui



ce Indus uel Aſſyrius, ſed etiam, uel ipſe
qui hoſtem patitur, Hiſpanus orauerit.
At uero ſi illa Alexádri tempora laudan-
da potius propter uirtuté, qua totus or-
bis obtentus eſt, quàm deteſtáda propter
ruinam, qua totus orbis euerſus eſt, iudi-
cantur: inueniẽtur & modo plurimi, qui
hæc laudanda cenſeant, quod multa uice
runt, & miſerias aliorum felicitatem ſu-
am reputent. Sed dicet quiſpiam: Iſti ho
ſtes Romani ſunt. Reſpõdebitur: Hoc &
tunc toto orienti de Alexandro uideba-
tur: taleſq́ꝫ & Romani alijs uiſi ſunt, dum
bellis quietos ignotoſq́ꝫ petiuerunt. Sed
illi acquirere regna, iſti euertere ſtudent.
Separata ſunt hoſtis excidia & iudicia ui
ctoris: ſiquidem & illi prius eos bellis af
flixerunt, quos poſtea legibus ſuis ordi-
narunt: & hi nunc hoſtiliter turbant re-
gna, quæ * quod non permiſerit deus, ſi — *In quo non
edomita obtinerent, ritu ſuo componere
molirentur, dicẽdi poſteris reges magni,
qui nunc nobis ſæuiſſimi hoſtes adiudi-
cantur. Quolibet autem geſta talia nomi-
ne cenſeantur, hoc eſt, ſiue dicantur miſe
riæ, ſiue uirtutes, utraq; prioribus com-

Universidad de Deusto Biblioteca



parata, in hoc tempore minora ſunt: atque pro nobis ita utraque faciunt in comparatione Alexãdri atq; Perſarum, ſi uirtus nunc uocanda eſt, minor eſt hoſtium: ſi miſeria, minor eſt Romanorum.

*Hetruſci, Vmbri, Samnites & Galli in Romanos coniurant, ſed aſtu Romanorum ſuperantur. Ingens peſtis Romam inuadit.*

*Caput* XXI.

ANno ab urbe condita CCCCL. Fabio Maximo V. Decio Muræna IIII. conſulibus, quatuor fortiſſimi florentiſſimiq; populi Italiæ in unũ agmen fœdusq; coiẽrunt. Nanque Hetruſci & Vmbri, Samnites & Galli, uno agmine cõſpirãtes, Romanos delere conati ſunt. Tremefacti hoc bello Romanorum animi, & labefactata fiducia eſt, nec auſi ſunt tantum ſperare de uiribus. dolo diuiſere hoſtes, tutius rati pluribus ſe bellis implicare quàm grauibus. Itaq; cũ quibuſdam ſuis ad populãdos hoſtiles agros, in Vmbriam Hetruriamq; præmiſſis, Vmbrorum Hetruſcorumq; exercitũ redire ad tuitionem ſuorum coẽgiſſent, cum Samnitibus & Gallis bellum inire properarunt.

*Hetruſcorũ & Vmbrorũ, Samnitũ & Gallorum in Romanos coniuratio.*



In quo bello cum Gallorum impetu premerẽtur Romani, Decius cõſul occiſus eſt. Fabius tamen poſt magnam Decianæ partis ſtragem, tandem uicit. Eo prælio quadraginta millia Samnitum ſiue Gallorum cæſa ſunt: Romanorum uero ſeptem millia, ex Decij tantummodo parte, qui occiſus eſt, extincta referũtur. Fuiſſe autem abſq; Hetruſcis & Vmbris, quos aſtu Romani bello auocauerunt, Gallorum & Samnitum peditum centum quinquaginta millia trecenta triginta, equitum uero quadragintaſeptẽ millia, Liuius refert: & carpentarios mille in armis contra aciem ſtetiſſe Romanam. Sed ut ſæpe dictum eſt, ſemper Romanorum aut domeſticam quietem extraneis bellis interpellatam, aut externos euẽtus morbis interioribus aggrauatos, tãtum, ut omnimodis ingentes animi undecunque premerentur. Hanc cruentam triſtemq; uictoriam peſtilẽtia ciuitatis onerauit, & triũphales pompas obuiæ mortuorum exequiæ polluerũt. Nec erat cui de triũpho gaudiũ ſuaderetur, cũ tota ciuitas aut ægris ſuſpiraret, aut mortuis.

*Decij interitus.*

*Cæſorum numerus.*

*Liui. 10. ab urbe cõdita, ſecus habet*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Romani contra Samnites primo uincuntur, & uincunt. Intolerabilis Romanos peſtilentia aſſlixit. Rurſum Samnites ſuperant, & cadũt. Curio conſule bellum in Sabinos infeliciter geſtum. Romani à coniuratis cum Gallis, fœdam cladem accipiunt.*

*Caput* XXII.

SEquitur annus quo Romani inſtaurato à Samnitibus bello uicti ſunt, atq; in caſtra fugerunt. Poſtea uero Samnites nouum habitum animumq́; ſumentes, hoc eſt, de argentatis armis ac ueſtibus, paratoq́; animo, niſi uincãt, mori bello ſeſe offerunt. Aduerſum quos Papyrius conſul cum exercitu miſſus, cum à pullarĳs auguribus, uana coniectantibus cõgredi prohiberetur, irridens eos tam feliciter confecit bellum, quàm conſtanter arripuit. Nam in hoc prælio duodecim millia hoſtium cæſa, tria millia capta referũtur. Sed hanc quoque iſtius uere laudandam uictoriam, quam uani auſpices impedire non potuerunt, oborti ſubito corrupere morbi. Nam tanta ac tam intolerabilis peſtilentia tunc corripuit ciuitatem, ut propter eam quacunq; ratione

*Samnites bellum in Romanos reſtaurãt*

*Cæſi capti quot.*

*Peſtis Romæ.*



ſedandam, libros Sibyllinos conſulẽdos putarint, horrẽdumq́; illum Epidaurium colubrum, cum ipſo Aeſculapĳ lapide aduexerint: quaſi uero peſtilentia aut antè ſedata non ſit, aut poſt orta non fuerit. Præterea altero ab hinc anno Fabius Gurges conſul, male aduerſus Samnites pugnauit. Nanq; amiſſo exercitu, uictus in urbem refugit. Itaque cum ſenatus de ſubmouẽdo eo deliberaret, pater eius Fabius Maximus ignominiam filĳ deprecatus, legatum ſe filio iturum ultro obtulit, ſi illi depellendæ ignominiæ, & gerendi iterum belli facultas daretur. Qua impetrata, prælioq́; cõſerto, cum ſubito pugnantem filium conſulem, inſiſtente Pontio Samnitum duce, & infeſtis hoſtium telis concluſum uideret, in medium ſe agmen, pius ſenex equo uectus, ingeſſit. Quo facto permoti Romani, tota ibi incubuere acie, donec ipſum ducem Pontium, deleto hoſtili exercitu, uictum oppreſſumq́; ceperunt. Cæſa ſunt in eo prælio Samnitũ uiginti millia, capta autem quatuor millia cum rege ſuo: tandemq́; Samniticum bellum, quod per · XLIX.

*Fabius Gurges.*

*Fabius Maxim⁹.*

*Samnitũ quot cæſi & capti.*

* 59.

annos multa Romanorum clade trahebatur, capti ducis deſtitutiõe finitum eſt.

Sabini innumeri cæſi & capti.

Anno ſubſequente cum Sabinis Curio conſule bellum geſtum eſt, ubi quot millia hominum interfecta, quot capta ſint, ipſe conſul oſtendit: qui cum in ſenatu magnitudinem acquiſiti agri Sabini, & multitudinẽ capti populi referre uellet, numerum explicare non potuit. Anno ab urbe condita CCCC.LXIII. Dolabella & Domitio conſulibus, Lucani, Brutij, Samnites quoque cum Hetruſcis & Senonibus Gallis facta ſocietate, cum rediuiuum contra Romanos bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos miſere legatos. Quos cum Galli interfeciſſent, Cæcilius prætor ob ulciſcendam legatorum necem & comprimendum multorum hoſtium agmen, cum exercitu miſſus, ab Hetruſcis Galliſq; oppreſſus interijt. Septem præterea tribuni militũ in ea pugna occiſi, multi nobiles trucidati, tredecim millia etiam militũ Romanorum illo bello proſtrata ſunt. Ita autem quotieſcunq; Galli exarſerunt, totis opibus ſuis Roma detrita eſt, ut ſub præ-

Cæcilius prætor.



ſenti nunc cõcurſatione Gothorum, magis debeat meminiſſe Gallorum.

*Veneno Alexandro rege Macedoniæ perempto, duces eius totum inter ſe orbem diuiſerunt, ſeſeq; mutuis bellis conſumpſerunt.*

Caput XXIII.

AT ego nunc reuocor, ut p̃ hæc eadẽ tempora quibus Romani iſta perpeſſi ſunt, & quæ inter ſe bella geſſerint Macedonum duces, reuoluam: qui mortuo Alexandro ſortiti diuerſas prouincias, mutuis ſe bellis conſumpſerunt: quorum ego tumultuoſiſſimum tempus ita mihi ſpectare uideor, quaſi aliqua immenſa caſtra per noctem de ſpecula montis aſpectans, nihil in magni campi ſpatio præter innumeros focos cernam, ita per totum Macedoniæ regnum, hoc eſt, per uniuerſam Aſiam & plurimam Europæ partem, Libyæq; uel maximá, horrendi ſubito bellorum globi colluxerũt: qui cum ea præcipue loca, in quibus exarſere, populati ſunt, reliqua om̃ia terrore rumoris, quaſi fumi caligine turbauerunt. Sed nequaquam tantorum regum ac regnorum bella excidiaq; explicabo,

*Alexandro mortuo, uarij bellorum tumultus euenere.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Alexãder duodecim annis regnauit.

Quæ cuiq; ducum orbis portio obuenerat. Iuſtin. 13. & Curt. ult. aliter

niſi prius ipſa cum regibus regna prodidero. Igitur Alexander p duodecim annos trementē ſub ſe orbem ferro preſſit. Principes uero eius XIIII. annis dilaniauerunt, & ueluti opimam prædam à magno leone proſtratam, auidi diſcerpſere catuli: ſeq; ipſos in rixam inuicem irritatos prædæ æmulatione fregerunt. Itaque prima Ptolemæo Aegypti & Aphricæ Arabiæq; pars ſorte prouenit. Cōfinem huic prouinciæ Syriam Laomedon Mitylenæus, Ciliciam Philotas, & Philo Illyrios accipiunt. Mediæ maiori Acropatus, minori ſocer Perdiccæ præponitur. Suſiana gens Scyno, Phrygia maior Antigono Philippi filio aſſignatur. Lyciā & Pamphyliam Learchus, Cariam Caſſander, Lydiam Menander ſortiuntur. Leonatus minorem Phrygiam accepit. Thracia & regiones Pontici maris Lyſimacho, Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data; ſumma caſtrorum Seleuco Antiochi filio ceſſit, ſtipatoribus regis ſatellitibusq; Caſſander filius Antipatri præficitur. In Bactriana ulteriore & Indiæ regionibus præfecti priores q ſub Alexādro eſſe cœ-



perant, permanſerunt. Seras inter duos amnes Hydaſpem & Indum conſtitutos, Taxiles habuit. In colonias in Indis conditas, Phiton Agenoris filius mittitur. Parapomenos fines Caucaſi montis, Axiarches accepit. Arachoſii Gedroſiiq;, Sybyrti decernuntur. Drangas & Argæos Statanor, Bactrianos Amyntas ſortitur, *Sagilianos Scythæus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanios, Phrataphranes Armenios, Neoptolemus Perſas, Peuceſtes Babylonios, Arthous Pelaſgos, Archelaus Meſopotamiam adepti ſunt. Igitur cauſa & origo bellorum epiſtola Alexandri regis fuit, qua iuſſit omnes exules patriæ libertatiq; reſtitui. Potentes enim ciuitatum Græciæ, timentes ne exules recepta libertate ultionem meditarentur, à rege Macedonum defecerunt. Primi Atheniēſes, cōtracto XXX. M. exercitu & CC. nauibus, bellū cum Antipatro, cui Græcia ſorte obuenerat, gerunt: per Demoſthenem quoq; oratorē Sicyona, Argos & Corinthum, cæteraſq; ciuitates ſibi ſocias adiungunt, Antipatrum obſidiōe cingūt, Ibi dux eorum Leoſthenes telo ē mu-

*Arianos. Sogdianos.*

Leoſthe-

Universidad de Deusto Biblioteca



*nes occi-ditur, Leonatꝰ, itẽ Perdicca.*

ris iacto perfoſſus, occiditur. Atheniẽſes
Leonato, q Antipatro auxilium ferebat,
occurrũt, eiuſq; copijs cõminutis ipſum
interficiunt. Perdicca uero bellum Aria-
rato Cappadocum regi intulit, eumq; ui-
cit, in qua uictoria nil præter uulnera &
pericula conquiſiuit. nam omnes ante ir-
ruptionem urbis ſuæ, ſuccenſis domibus
ſuis, ſe ſuaq; omnia concremauerant. Poſt
hæc bellum inter Antigonum & Perdic-
cam oritur grauiſſime, multis prouincijs
& inſulis ob auxilia uel negata, uel præſti
ta dilaceratis. Diu deliberatũ, utrũ in Ma
cedoniã bellũ transferretur, an in Aſia ge
rere?: nouiſſime ipſe Perdicca Aegyptũ
cum ingenti exercitu petit. Sic Macedo-
nia in duas partes diſcurrẽtibus ducibus
in ſua uiſcera armatur. Ptolemæus Aegy
pti uiribus & Cyrenenſibus copijs inſtru
ctus, occurrere bello Perdiccæ parat. In-
ter hæc Neoptolemus & Eumenes cru-
entiſſimo inter ſe prælio digladiati ſunt.
Victus Neoptolemus, ad Antipatrum fu
git: quem ut Eumenem de inſperato op-
primat, perurget: quod Eumenes futurũ
ratus, inſidiantes inſidijs capit. in eo bello



Polypercon occiditur. Neoptolemus &
Eumenes mutuis uulneribus confoſſi: ſed
Neoptolemus interijt, Eumenes uictor
euaſit. Perdicca cum Ptolemæo acerbiſſi-
mo bello congreſſus, amiſſis copijs, ipſe
quoq; interfectus eſt. Eumenes, Phiton,
& Illyrius, & Alceta frater Perdiccæ, à
Macedonibus hoſtes pronunciantur, bel
lumq; aduerſum eos ab Antigono decer-
nitur. Itaq; Eumenes & Antigonus colla
tis aduerſum ſe maximis copijs, conflixe-
runt: Eumenes uictus, in quoddam caſtel
lum munitiſſimũ fugit, unde auxilia An
tipatri tunc potentiſſimi per legatos po-
poſcit: quo nũcio territus Antigonus, ab
obſidione diſceſſit. Sed nec ſic Eumeni
ſpes firma aut ſalus certa. Quare ultimo
conſilio Argyraſpidas, ob arma deargen
tata ſic dictos, hoc eſt, milites q ſub Alex-
andro militauerãt, in auxiliũ rogat. Qui
faſtidioſe ducem in diſponendo bello au-
dientes, ab Antigono uicti, caſtriſq; pri-
uati, & uxores & liberos, ſimulq; omnia
quæ ſub Alexandro acquiſiuerant, perdi-
derunt. Qui poſtea turpiter per legatos
reddi ſibi quæ perdiderant, uictorem ro-

Universidad de Deusto Biblioteca



*Vinctus Eumenes ad Antigonũ protrahitur.*

gant. Antigonus autem ſe redditurũ pol
licetur, ſi ſibi uinctum Eumenem pertra
herent. Ita illi ſpe recuperationis illecti,
dedecoriſſima ꝓditione ducem ſuũ, cui-
us ſigna pauloante ſecuti fuerant, captiui
ipſi captũ catenatumq́ꝫ duxerunt, & mox
cũ fœdiſſima ignominia in exercitu An-
tigoni diſpſi ſunt. Interea Eurydice Ari- *Eurydice*
dei regis Macedonũ uxor, multa ſub no-
mine uiri nefaria egit per Caſſandrum: *Caſſãder.*
quem flagitioſe cognitum, ad ſummum
faſtigium ꝑ omnes honoꝝ gradus pro-
uexerat, qui ex libidine mulieris multas
Græciæ ciuitates afflixit. Tunc Olympias *Olympias*
mater Alexãdri regis, hortãte Polyper-
conte, cum ab Epiro in Macedoniam pro
ſequente Aeacida rege Moloſſorum ueni
ret, & ab Eurydice finibus prohiberetur,
adnitentibus Macedonibus, Arideum re
gẽ & Eurydicen iuſſit occidi: quanquam
& ipſa Olympias continuo meritas cru-
delitatis pœnas luit. Nam cum muliebri
audacia multas principum cædes ageret,
audito aduentu Caſſandri, diffiſa Macedo
nibus, cum * Rhoxane nuru ſua & nepote ** Araxa*
Hercule, in urbẽ * Pydnam concedit: ibiq́ꝫ ** Bictuam*



continuo ꝑ Caſſandrum capta, interfecta
eſt. Filius Alexandri Magni cum matre *Olympiadis interitus.*
in arcem Amphipolitanam cuſtodiẽdus
eſt miſſus. Perdicca, Alceta & Polypercõ-
te, cæteriſq́ꝫ ducibus, quos commemora-
re longum eſt, diuerſæ partis occiſis, fini-
ta bella inter ſucceſſores Alexandri uide
bantur. Tum Antigonus ardens cupidi- *Antigoni cupiditas*
tate dominandi, liberare bello Herculem
regis filium ab obſidione ſimulat. His co
gnitis, Ptolemæus & Caſſander inita cũ
Lyſimacho & Seleuco ſocietate, bellum
terra mariq́ꝫ enixe inſtruunt. Antigonus
in eo bello cum filio Demetrio uincitur.
Caſſander Ptolemæo in uictoria parti-
ceps factus, cum Apolloniam rediret, in-
cidit in Abderitas: qui propter intoleran *Abderitæ*
dæ multitudinis ranas & mures, relicto
patrio ſolo & antiquis habitaculis, emi-
grantes, nouas ſedes prætenta interim pa
ce requirebant. Sed Caſſander & uirtutẽ
& multitudinem gentis agnoſcẽs, ne ad-
acti neceſſitate Macedoniam bello quate-
rent atq; inuaderent, receptos in ſocieta-
tem, in ultimis Macedoniæ finibus collo
cat. Inde cum iam Hercules Alexandri fi

Universidad de Deusto Biblioteca



lius, XIIII. eſſet annorum, timẽs ne eum Macedones quaſi legitimũ regem præoptarent, occidendum tacite cum matre curauit. Ptolemæus iterum cum Demetrio nauali prælio conflixit, & cum penè omnem claſſem atq; exercitum perdidiſſet, uictus in Aegyptũ refugit. Hac uictoria elatus Antigonus, regem ſe cum Demetrio filio appellari iubet: quod exemplum omnes ſecuti, regium nomẽ ſibi dignitatemq; ſumpſerunt. Igitur Ptolemæus & Caſſander cæteriq; alterius factionis duces, cum decipi ſe ab Antigono ſigillatim uiderẽt, per epiſtolas ſe inuicem confirmãtes, cocũdi in unum tẽpus locumq; condicunt, & bellum aduerſus Antigonum communibus uiribus inſtruũt. Caſſander finitimorum bellis implicitus, Lyſimachum clariſſimum inter omnes ducem, cum ingẽti manu pro ſe ſocijs in auxilium miſit. Seleucus quoq; ex Aſia maiore deſcendens, nouus Antigono hoſtis acceſſit. Hic ſiquidem Seleucus plurima per orientem inter ſocios regni Macedonici bella geſſit. Principio Babylonẽ bello expugnauit & cepit, Bactrianos nouis

*Ptolemæus cõtra Demetriũ uincitur.*

*In Antigonum cõiuratio*

*Seleucus.*



motibus aſſurgentes perdomuit. Tranſitum deinde in Indiã fecit: quæ poſt mortem Alexandri, uelut detracto excuſſoq; à ceruicibus iugo, præfectos eius occiderat, Sadrocotto quodam ad uindicãdam libertatem duce: qui poſtea crudeliter in ciues agens, quos de externa dominatione defenderat, ipſe ſeruitio premebat. Cum hoc ergo Sadrocotto Seleucus, q̃uis multa & grauia bella geſſiſſet, nouiſſime firmatis regni conditionibus, & pacta pace, diſceſſit. Adunatis itaque copijs Ptolemæi ſociorumq; eius, pugna committitur: cuius quanto potentior apparatus, tanto grauior ruina fuit. Nam in ea tunc totius penè Macedonici regni uires conciderunt. In ipſo bello Antigonus occiſus eſt: ſed finis belli huius, initium alterius fuit. Nam cum uictoribus de præda non conueniſſet, iterum in duas factiones diducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lyſimacho iungitur. Caſſandro defuncto, filius Philippus ſuccedit. Sic quaſi ex integro noua Macedoniæ bella naſcũtur. Antipater Theſſalonicen matrem ſuam, Caſſandri uxorem, quamuis miſe-

*Sadrocottus.*

*Antigonus occiditur.*

*Antipater matrẽ interimit*

Universidad de Deusto
Biblioteca



rabiliter pro uita precantem, manu ſua
transuerberauit. Alexander frater eius
dum bellum aduerſus fratrem ob ultio-
né matris inſtruit, à Demetrio, cuius au-
xilium petierat, circũuentus occiditur.
*Dori
Lyſimachus cum Doricetis regis Thra-
cum infeſtiſſimo bello urgeretur, aduer-
ſus Demetrium pugnare nõ potuit. De-
Demetri⁹
metrius augmento Græciæ & totius Ma
cedoniæ elatus, in Aſiam tranſire diſpo-
ſuit. Ptolemæus autem & Seleucus &
Lyſimachus experti priore certamine,
quantæ uires eſſent concordiæ, iterũ ſoci
etate facta, adunatiſq; exercitib⁹, bellum
Pyrrhus reg. Mac. affectat.
in Europam transferunt aduerſus De-
metrium. His ſe comitẽ & belli ſocium
Pyrrhus rex Epiri iungit, ſperãs Deme-
trium Macedonia poſſe depelli, nec ſpes
*corre pto.
fruſtra fuit: quippe exercitu eius* corru-
pto, ipſoq; in fugam acto, regnum Mace
doniæ Pyrrhus inuaſit. Deinde Lyſima-
chus generum ſuum Antipatrum inſidi-
antem ſibi, interfecit, filiumq; ſuum Aga
Lyſima- chia ciui- tas ter-
thoclem ultra humanum morem pero-
ſus occidit: quibus quidẽ diebus Lyſima
chia ciuitas formidoloſiſſimo terræmo-



ræmotu periit.
tu euerſa, oppreſſoq; populo ſuo, crude-
le ſepulchrum fuit. Lyſimachum autem
Lyſima. et Seleucus bello iam ſenes congrediuntur.
aſſiduis ſe parricidijs cruentantem omẽs
ſocij deſeruerunt, & ad Seleucum defici
entes, pronum iam regem æmulatione
regni, ut bellum Lyſimacho inferret, hor
tati ſunt. Res fœdiſſimi ſpectaculi erat,
duos reges, quorum Lyſimachus annos
natus LXXIIII. Seleucus autẽ LXXVII.
de eripiendis regnis alterutrum concur
rere, in acie ſtare, arma gerere. Vltimum
hoc quidem bellum Alexandri commili
tonum fuit, ſed quod ad exemplum mi-
ſeriæ humanæ fuerit reſeruatum: quip-
pe cum orbem terrarum extinctis iam
XXXIII. ducibus Alexandri, ſoli poſſide
rent, & anguſtiſſimos ſenectutis ac uitæ
ſuæ terminos non aſpicientes, anguſtos
eſſe imperio ſuo totius mundi terminos
Lyſima. occiſus.
arbitrabãtur. In eo bello Lyſimachus uel
amiſſis uel interfectis prius ante hanc pu
gnam XV. liberis, poſtremus occiſus eſt.
Sic Lyſimachus ſolutio pugnæ Macedo-
nicæ fuit. Sed ne Seleucus quidem tanta
uictoria impune eſt lætatus: nam neque
ipſe poſt LXXVII. annos quietem natu-

ralis mortis inuenit, ſed extortam ſibi infeliciter uitam, uelut immatura morte finiuit: quippe inſiſtente Ptolemæo, cuius ſororem Lyſimachus in matrimonio habuerat, inſidijs circũuentus & occiſus eſt.

*Ptolemæus Seleucum interimit.*

Hæc ſunt inter parentes & filios, fratres & ſocios conſanguinitatis ſocietatisq; cõmercia. Tanti apud illos diuina atque humana religio pendebatur. Erubeſcant ſane de recordatiõe præteritorũ, qui nunc interuentu ſolius fidei Chriſtianæ, ac medio tantum iurationis ſacramento uiuere ſe cum hoſtibus, nec p atihoſtilia ſciunt: quibus indubitatiſſime probatur, quod non ſicut illi antea cæſa iungebant fœdera porca, ſed quia nunc inter barbaros ac Romanos creatorem ac dominum ſuum conteſtantes, tantum fide adhibita in ſacramentum ſeruant euangelia, quantum tunc nec inter parentes ac filios potuit ſeruare natura. Nũc autem finis Macedonici belli, finis etiam libri fiat, præſertim cum iam ab hinc Pyrrhi bella incipiant, & mox Punica conſequantur.



# PAVLI OROSII HISPANI ADVERSVS PAGANOS HISTORIARVM LIBER IIII.

## PRAEFATIO.

DIXISSE Aeneã Vergili' refert, cum poſt pericula ſua ſuorumq; naufragia reſiduos ægre ſocios ſolaret: Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. Hæc ſententia ſemel apte ficta, ſemper uim ſui triplicem diuerſiſſimis effectibus refert: cum & præterita tanto gratiora habẽtur in uerbis, quanto grauiora referuntur in geſtis: & futura dum deſiderabilia faſtidio præſentium fiunt, ſemper meliora creduntur: ipſis autem præſentibus ob hoc nulla in parte mi-

*Sententia Vergilij in .1 Aen.*

*Præſentibus moue*

*...mur pluſ- quã futuris aut præteritis.*

ſeriarum iuſta comparatio adhiberi poteſt, quia multo maiore moleſtia afficiũt, quantulacunq; ſint iſta, quæ ſunt, quàm illa quæ ſiue tranſacta ſiue uentura: & ſi magna dicuntur, interim omnino tunc non ſunt: ueluti ſi quis nocturnis pulicibus titillatus, atque ex eo uigilijs anxius, alias forte, quas aliquando ex ardentiſſimis febribus diu ſuſtinuit, uigilias recordetur, proculdubio impatientius feret iſtorum inquietudinem, quàm illarum recordationem. Sed quamuis apud omnium ſenſus pro captu temporum ita uideri queat, nunquid tamen aliquis exiſtet, qui uel in ipſa anxietate pronunciet grauiores pulices eſſe quàm febres: aut acerbius accipiat ſe uigilare ſanum, quàm dormire nõ potuiſſe moriturum? Quæ cum ita ſint, delicatis iſtis & querulis noſtris utcunque concedo, ut hæc, quibus nunc, quia ſic expedit, interdum mouemur ſentiendo, grauia putent. Non tamen conniueo, ut etiam aſſerant comparando grauiora. Quemadmodum ſi quis molliſſimis è ſtratis cubiculoq; percõmodo matutinus egrediens, nocturno gelu lacuna-

*cohibeo*



rium dorſa obriguiſſe herbaſq; incanuiſſe proſpiceret, & inopinato uiſu admonitus diceret, frigus eſt hodie: hic mihi nequaquam reprehendẽdus uideretur, quia uel communi uſu, uel proprio ſenſu locutus eſſet. At ſi trepidus in cubiculum recurrens, ſtratiſq; ſeſe adoperiens, uel magis abdens, clamaret tantum omnino frigus eſſe, quãtum nec in Apennino aliquãdo fuerit, cum Annibal elephãtos, equos, plurimamq; exercit⁹ ſui partem, niuibus clauſus atq; oppreſſus amiſit, hunc ego puerilibus licentijs nauſeantem, nõ modo dicentem iſta non ferrem, ſed etiam ab ipſis ſtratis, ocyus ſui teſtibus, in populum publicumq; protraherem: eiq; foras producto, infantes in eo atq; ex eo gelu ludentes, iucundantes, ſudanteſq; monſtrarem, ut uerboſa nugacitas delicatis uitiata nutrimentis, non in tempore uiolentiam, ſed in ſe eſſe ſegnitiem doceretur: & in comparatione rerum dijudicanda, non maiores parua toleraſſe, ſed ſe nec parua tolerare ſufficere probaretur. Quod euidentius ipſis in memoriam reuolutis præteritorum cladibus, approbabo, Pyrrhi bello in primis,

*Attende ſcitiſſimã comparationem in delicatos meticuloſiores.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſicut ordo eſt, prodito, cuius cauſa & origo hæc fuit.

*De bello Tarentinorum, quibus Pyrrhus Epirota auxilio fuit aduerſus Romanos.*

*Caput .I.*

Romanorum claſſem inuadūt Tarētini.

ANno ab urbe cōdita CCCCLIIII. Tarentini Romanam claſſem forte prætereuntem, è ſpectaculo theatri proſpectam hoſtiliter inuaſerunt, quinque tantum nauibus uix per fugam elapſis, cætera retracta in portum claſſis & profligata eſt, præfecti nauium trucidati, omnes bello utiles cæſi, reliqui precio uenditi ſunt. Continuo miſſi Tarentum à Romanis legati, ut de illatis quererentur iniurijs, pulſati ab eiſdem, auctas inſuper iniurias retulerunt. His cauſis bellum ingens exortum eſt. Romanos qui quantiq; hoſtes circunſtreperent pmetientes, ultima adegit neceſſitas, proletarios quoque in arma cogere, hoc eſt, eos qui in urbe ſufficiendæ ſemper prolis cauſa uacabāt, militiæ aſcribere: quippe cum fruſtra de prole cura ſit, niſi rebꝰ præſentibus cōſulatur. Itaq; irruit in uniuerſos Tarentinorum fines cum Leuino

Proletarij.

P. Valerius Leuinus cōſul



conſule Romanus exercitus, igni ferroq; uaſtat omnia, plurima expugnat oppida, iniuriam inſolenter acceptam crudeliter uindicat. Continuo Tarentinos plurimis finitimorū præſidijs fultos maxime Pyrrhus auxit, qui etiam in ſe ob magnitudinem uirium cōſiliorumq;, ſummam belli nomenq; traduxit: nam Tarentum, utpote ex Lacedæmonijs conditam cognatamq; Græciæ ciuitatē, uindicaturus, totas uires Epiri, Theſſaliæ & Macedoniæ, elephantes etiam uſq; in id tempus inuiſos Romanis, numero XX. in Italiam primus inuexit, terra, mari, uiris, equis, armis, beluis, ad poſtremum uiribꝰ ſuis doliſq; terribilis: ſed Delphici illius uaniſſimi ſpiritus, & mendaciſſimi nebulonis, quem uatem magnum ipſi ferūt, reſponſo circunuentus ambiguo, exitum fecit * qualem non putabat illum conſuluiſſe. Itaque apud Heracleam Campaniæ urbem, fluuiumq; Lyrim, prima inter Pyrrhum regē & Leuinum conſulem pugna cōmiſſa eſt. Conſumptus eſt grauiſſimo certamine dies, utrinque omnibus mori intentis, fugere neſcijs. Introductos au

*Pyrrhus Tarentinis auxilio uenit.*

**eius qui nō cōſuluiſſet. Ita.*

Universidad de Deusto Biblioteca

tem inter concurrentia agmina elephantos, forma truces, odore graues, mole terribiles, ut uidere Romani, nouo pugnandi genere circunuenti & territi, equis maxime pauitantibus, diffugerunt. Sed poſtquam

*Minutius*

Minutius quartæ legionis primus haſtatus, protentam in ſe manũ beluæ gladio deſecuit, & conturbatam dolore uulneris auerti bello, atq; in ſuos ſæuire cõpulit, eiusq; immoderato diſcurſu perturbari ac permiſceri cœperunt, finis pugnæ etiã beneficio noctis impoſitus eſt. Victos fuiſſe Romanos turpis fuga prodidit, quorum tunc cecidiſſe peditum re-

XIIII. feruntur undecim millia octingẽti octoginta, capti autem trecẽti & decẽ. Equites uero cæſi ducenti quadragintatres, capti DCCCII. ſignaq; amiſſa XXII. Nam

*Cæſorum captiuorumq; numerus.*

*Mos ueterum ſcriptorum.*

quantus ẽ diuerſo numerus ſociorũ Pyrrhi fuerit extinctus, memoriæ traditum non eſt: maxime quia ſcriptorũ ueterum mos ẽ ex ea parte quæ uicerit, occiſorum non commemorare numerum, ne uictoriæ gloriam maculent damna uictoris: niſi forte cum adeo pauci cadunt, ut admirationem terroremq; uirtutis augeat



paucitas perditorum, ſicut in prima belli Perſici congreſſione apud Alexãdrum Magnũ fuit: cui inter quadringenta ferè millia hoſtium interfecta, nouem tãtummodo in exercitu eius pedites defuiſſe referũtur. Sed Pyrrhus atrocitatem cladis, quã hoc bello exceperat, dijs ſuis hominibusq; teſtatus eſt, affigens titulum in templo Tarentini Iouis, in quo hæc ſcripſit: Qui antehac fuere inuicti uiri, pater optime Olympi, hos ego in pugna uici, uictusq; ſum ab eiſdem. Et cum à ſocijs increparetur, cur ſe uictum diceret qui uiciſſet, reſpondiſſe fertur: Ne ego ſi iterum eodem modo uicero, ſine ullo milite Epirũ reuertar. Interea Romanus exercitus poſtquàm uictus clàm fugit è caſtris, miſerabilem belli cladem grauioribus monſtris auctã accumulatamq; pſenſit. Nam pabulatores forte progreſſos, uelut hoſtilis quædam oborta tempeſtas, cum horribili fragore cæli correptos, diris fulminibus exuſſit: quippe XXXIIII. eorũ idem turbo proſtrauit, XXII. ſemineces relicti, iumenta exanimata & capta quàm plurima, ut merito contigiſſe nõ in ſignum ua

*Multi Romanorũ oborta cæli tẽpeſtate periclitãtur.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſtationis futuræ, ſed uaſtatio ipſa referatur. Secũda inter Pyrrhum & Romanos cõſules pugna in Apuliæ finibus fuit: ubi clades belli ad utroſq;, ſed maxĩe ad Pyrrhũ, uictoria ad Romanos cõceſſit. Nam cum diu obnixe cunctis in mutuam cædem ruẽtibus, anceps belli pẽderet euentus, Pyrrhus trãsfixo brachio, ſaucius prior ceſſit è prælio. Sed & Fabricius legatus tunc uulneratus eſt. Elephanti prima pugna uulnerati, atq; in fugam cogi poſſe deprehenſi: deinde ſubiectis inter poſteriora ac mollia ignibus exagitati, ardẽtes inſuper machinas furore trepido circunferentes, exitio ſuis fuere. Cæſa ſunt in ca pugna quinq; millia Romanorũ: de exercitu uero Pyrrhi uiginti millia ꝓſtrata ſunt. Regis ſigna ablata quadragintatria, Romanorum undecim amiſſa ſunt.

*Secunda pugna cũ Pyrrho.*

*Pyrrhus uulneratur*

*Quot cæſi & capti*

.LIII.

Pyrrhus bello fractus, Agathocle mortuo rege Syracuſano, ad Siciliæ accerſitus imperium, Syracuſas conceſſit.

*Romani horrenda peſte corripiuntur. Cum Pyrrho tertium bellum geritur, ſed fugatur & interit.* Caput .II.

SEd Romanorũ miſeria nullis ceſſat



inducijs. Conſumitur morborum malis intercapedo bellorum: & cum foris ceſſatur a prælio, agitur introrſum ira de cælo. Nam Fabio Gurgite iterum, Gaio Genutio Clepſina conſulibus, peſtilẽtia grauis urbem ac fines eius inuaſit: quæ cum omnes, tũ præcipue mulieres pecudesq; corripiens, necatis in utero fœtibus, futura prole uacuabat, & immaturis partub⁹ cum periculo matrũ extorti abortus proijciebantur: adeo ut defectura ſucceſſio, & defuturum animãtium genus, adempto uitalis partus legitimo ordine, crederet. Interea reuerſum ex Sicilia Pyrrhũ Curius conſul excepit, tertiumq; id bellũ contra Epirotas, apud Lucaniam in Aruſinis campis geſtum eſt. Itaq; primo concurſu, cum Pyrrhi milites Romanorum impreſſionem trepidarent, circunſpectantesq; fugam bello cedere molirẽtur, Pyrrhus elephantos ex ſubſidijs iuſſit induci. Romani aſſueti iam pugnare cum beluis, cum malleolos ſtupa inuolutos, ac pice oblitos, uncis inſup & aculeis tenaces præparauiſſent, eosq; flãmatos in terga beluarum turresq; uibrarent, non difficile

*Peſtilẽtia Ro.*

*Curius Dentatus coſ.*

*Tertium bellum cõtra Pyrr.*

*Ars contra elephantos*

Univerſidad de Deuſto Biblioteca



furentes ardenteſq; beluas in eorum excidia, quorum ſubſidia fuerant, retorſerũt.

Eutro. 23 mil.

Octoginta nanq; millia peditum in illo prælio habuiſſe regem dicunt, equitum uero ſex millia. Ex his cæſa referũtur triginta tria millia, capti autem ſunt mille trecenti.

Pyrrhus apud Argos interijt.

Pyrrhus quinto demum anno, quam uenerant, ab Italia uictus aufugit: qui poſt multa grauiſſimaq; bella, quæ geſſit, in Græcia apud Argos Achaiæ florentiſſimam urbem, Spartani regni auiditate ſeductus, ſaxo ictus occubuit.

Sextilia uiua defoſſa.

Tunc quoq; apud Romanos Sextilia uirgo Veſtalis, conuicta damnataq; inceſti, ad portam Collinam uiua defoſſa eſt.

*Romani Tarentinos denuo impugnantes, cũ Carthaginienſibus uincũt, deinde in octauam legionem crudeliter animaduertunt.*

Caput III.

ANno ab urbe condita CCCCLXXV. Tarentini Pyrrhi morte cõperta, iterũ noua aduerſus Romanos arma ſolicitant. Carthaginienſium auxilia poſcũt per legatos, atq; accipiunt. Conſerto prælio, uicere Romani: ubi iam tunc Carthaginienſes quamuis nondum hoſtes adiu-



dicati, uinci tamẽ à Romanis ſe poſſe ſenſerunt. Sequẽti anno magnam uiſcerum ſuorum partem ſeueritas Romana concidit. Nam aduentante dudum Pyrrho, octaua legio diffidens Romanæ ſpei, nouum ſcelus auxit. Rhegynos omnes, quibus ſubſidio præerat, interfecit: prædam ſibi omnem atq; ipſum oppidum uendicauit. Hoc facinus in tam ſceleratos defectores puniendũ Genutio cõſuli iuſſum eſt: qui obſeſſa Rhegynorũ urbe captiſq; omnibus, ipſe quidem in reliquos perfugas, & latrones exercuit digna ſupplicia: Romanos uero milites integræ legionis Romam miſit: qui populi iuſſu medio foro uirgis cæſi, ſecuriq; percuſſi ſunt. Viſa ſibi eſt tunc Roma uincere, cũ legionem ſuam integram occidit: quæ ſine dubio uicta fuiſſet, ſi eã hoſtili prælio perdidiſſet.

Genutius COS.

*De horrendis quibuſdam prodigijs. De bello in Picentes utrinq; cruento.*

Caput IIII.

ANno ab urbe cõdita CCCCLXXVII. obſcœna & dira prodigia uel uiſa Romæ, uel nunciata ſunt. Aedes ſalutis ictu fulminis diſſoluta, pars muri ſub

Aedes ſalutis diſsipatur.

Universidad de Deusto Biblioteca



eodem loco de cælo, ut dicunt, tacta eſt. Lupi tres ante lucem ingreſſi urbem, ſemeſum cadauer intulerũt, ſparſumq; mẽbratim in foro ipſi ſtrepitu hominum exterriti, reliquerũt. Apud Formias multis ictibus fulminum mœnia undiq; ambuſta & diſſoluta ſunt. Apud agrum Calenum repente flamma, ſciſſo hiatu terræ eructata, tribus diebus & trib⁹ noctibus terribiliter exæſtuãs, quinq; agri iugera, exhauſto penitus ſucco hubertatis, in cinerem extorruit, ita ut non fruges ſolum, ſed & arbores cũ imis ſtirpibus abſumpſiſſe referatur.

*Muri ſulmine corruunt.*

Sequenti ab hinc anno, Sẽpronius conſul aduerſus Picentes duxit exercitũ. Et cum directe intra iactum teli utraq; acies conſtitiſſet, repente ita cũ horrendo fragore terra tremuit, ut ſtupore miraculi utrunq; pauefactum agmen hebeſceret. Diu attoniti utrinq; populi, hæſitauere. Præiudicata incepti conſcientia, tandem procurſu concito iniere certamen. Triſte adeo id bellum fuit, ut merito dicatur, tandem humanum tantorum hominum ſanguinem ſuſcepturã etiam cum gemitu horriſono tunc terram tre-

*Sẽpronius COS. contra Picentes.*

*Terræmotus.*



muiſſe. Romani qui pauci admodum eo prælio euaſere, uicerunt.

*Rurſum prodigia uiſa, Volſcinienſium libertini conſpirant aduerſus dominos, quibus Romani ſubuenerunt. Roma nunquam calamitatibus immunis, iterum peſte corripitur.*

*Caput V.*

ANno ab urbe condita CCCCLXXX. inter multa prodigia, ſanguis è terra, lac uiſum eſt manare de cælo. Nã & plurimis locis ſcaturiẽs è fontibus cruor fluxit, & de nubibus guttatim in ſpeciem pluuiæ lacte demiſſo, diri, ut ipſis uiſum eſt, terram imbres irrigauerunt. Eo tempore Carthaginiẽſes dato aduerſum Romanos auxilio Tarentinis, cum à ſenatu per legatos arguerentur, turpiſſimam rupti fœderis labem præſumptam, accumulauere periurio.

*Carthag. perfidia.*

Tũc etiam Volſcinienſes Hetruſcorum florentiſſimi, luxuria penè periere. Nam cum licẽtia in conſuetudinẽ prorogata, ſeruos ſuos paſſim liberos facerent, conuiuiis allegarent, coniugiis honeſtarẽt, libertini in partem poteſtatis recepti, plenitudinem per ſcelus uſurpare moliti ſunt; & liberati ſeruitutis

*Libertinorũ Volſcinienſiũ ſcelus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſugo, ambitu dominationis arſerunt: &
quos dominos ſubditi æquanimiter di-
lexerunt, eos iam liberi, quos dominos
fuiſſe meminerãt, execrati ſunt. Itaq; con-
ſpirantes in facinus libertini, quoꝝ tanta
manus fuit, ut ſine cõtrouerſia auſu poti-
renť, correptá urbẽ ſuo tantũ generi uẽ-
dicant: patrimonia, coniugiaq; domino-
rum ſibi per ſcelus uſurpãt, extorres do-
minos procul abigunt, qui miſeri, exules
egentesq; Romam deferuntur: ubi oſten-
tata miſeria, querelaq; defleta, p Roma-
norum ſeueritatem & uindicati ſunt &
reſtituti. Anno ab urbe condita CCCC
Peſtilẽtia ingens Romæ. LXXXI. peſtilentia ingens apud Romam
cõflagrauit, cuius atrocitatem ſignifica-
re cõtentus ſum, quia uerbis implere nõ
poſſum. Si enim ſpatium temporis, quo
manſit inquiritur, ultra biennium uaſtã-
do porrecta eſt: ſi depopulatio quam ege-
rit, cenſus indictus eſt, qui non quantum
hominum deperiſſet, ſed quãtum ſuper-
* adfecerit. fuiſſet inquireret: ſi uiolentia qua *id fece-
rit, Sibyllini libri teſtes ſunt, qui eam cæ-
* tentatæ uiolatio- leſti ira impoſitam reſponderunt. Sed
ne quenquã quaſi * tentatio cauillationis



offendat, quod cum Sibylla iratos deos
dixerit, nos iram cæleſtem dixiſſe uidea-
mur, audeat & intelligat, qđ hæc etſi ple-
rũq; p aërias poteſtates fiunt, tamẽ ſine ar-
bitrio omnipotentis dei omnino non fi-
unt. Eodem tempore Capparonia uirgo
ueſtalis inceſti rea, ſuſpendio periŋt: cor-
ruptor eius, conſcŋq; ſerui, ſupplicio affe-
cti ſunt. Ecce continuatim quæ et quanta
numeramus, accidiſſe annis ſingulis plu-
rima, inter quos certe raro aut pene nul-
lo nihil triſte geſtum eſt. Et hoc cũ ŋdem
ſcriptores, propoſito ſibi magis laudan-
di negocio, cauerent numeroſitates miſe-
riarum, ne eoſdem quibus hæc et de qui-
bus ſcribebantur offenderẽt, auditoresq;
ſuos exemplis præteritorum terrere po-
tius, quàm inſtruere uiderẽtur. Porro au-
tem nos in ultimo temporũ poſiti, mala
Romanorum ſcire non poſſumus, niſi p
eos, qui laudauere Romanos. Ex quo in-
telligi datur, quanta illa fuerint, quæ ſtu-
dio propter horrorẽ repreſſa ſunt, cum
tanta inueniantur, quæ tenuiter inter lau-
des emanare potuerunt.

*Margin:* nis off. Peſtẽ per aërem eti am diuino arbitrio fieri. Capparonia uirgo laqueo ſuperimit

*Carthago ab Eliſſa condita, peſtem quibus uñ*

*ctimis expiarit: eius exercitus in Sardinia crudeli peſte cõfectus. Hannonis factio & interitus. Carthaginienſes Siciliam uaſtantes, rex eius Agathocles ac deinde Pyrrhus miſere affecit.* Caput VI.

*Carthaginem Eliſſa.i. Dido condidit ante Romam.*

ET quoniam ex hoc iam Punica bella ſuccedunt, res ipſa exigit ut de Carthagine, quæ ante urbem Romam duos & ſeptuaginta annos ab Eliſſa condita inuenitur, deq; eius cladibus ac domeſticis malis, ſicut Pompeius Trogus & Iuſtinus exprimunt, uel pauca referantur. Carthaginienſes uelut uernaculum atq; inteſtinum ſemper inter ſe malum habuere diſcordiam: qua infeliciter exagitante, nulla unquam tempora uel foris proſpera, uel domi quieta duxerunt.

*Humana uictima peſtis expiata.*

Sed cum inter cætera mala etiam peſtilentia laborarẽt, homicidijs pro remedijs uſi ſunt: quippe homines ut uictimas immolabãt, ætatemq; impuberem, quæ etiam hoſtium miſericordiam prouocaret, aris admouebant. De quo ſacrorum, imò ſacrilegiorũ genere quid potiſſimum diſcutiendum ſit, non inuenio. Si enim huiuſmodi ritus aliqui dæmões præcipere auſi ſunt, ut mor-



tibus hominum, occiſione hominum ſatisfieret, intelligendum fuit ſe operarios atq; adiutores peſtilentiæ cõduci: ut ipſi, quos illa non corripuiſſet, occiderent: ſanas enim atq; incorruptas offerri hoſtias mos eſt, ita ut illi non ſedarent morbos, ſed præuenirent. Itaq; Carthaginienſes aduerſis dijs ꝓpter iſtiuſmodi ſacra, ſicut Pompeius Trogus & Iuſtinus fatẽtur, ſicut etiam apud nos conſtat, propter præſumptionem impietatemq; ipſorum irato deo, cum in Sicilia diu infeliciter dimicaſſent, tranſlato in Sardiniam bello, iterum infelicius uicti ſunt: propter quod ducem ſuum Mazeum & paucos qui ſuperfuerant milites, exulare iuſſerunt.

*Mazeus (Iuſti. Mache⁹) dux Carthaginienſ. in exilium miſſus.*

Exules ueniam per legatos petentes repulſi, patriam bello & obſidione cinxerunt. Ibi tunc Mazeus dux exulum, Cartalonem filium ſuum ſacerdotem Herculis, quod ſibi uelut inſultans purpuratus occurrerat, in crucẽ ſub oculis patriæ, ita ut erat dignus, cum purpuris infuliſq; ſuſpẽdit.

*Mazeus Cartalonem filiũ ſuſpendit.*

Poſt paucos autem dies urbem ipſam cepit, qui cum, interfectis plurimis ſenatorum, cruẽte dominaret̃, occiſus eſt. Hæc

Universidad de Deusto Biblioteca



temporibus Cyri Perſarum regis geſta ſunt. Poſt hæc uero Himilco rex Carthaginienſium cum in Sicilia bellum gereret, repēte horribili peſte exercitum amiſit. Nec mora, morbis populo cateruatim cadente, cito quiſq; correptus, mox mortuus, iam nec ſepeliebatur: cuius mali nuncius cum attonitam tam repentino luctu Carthaginem repleuiſſet, nō ſecus ac ſi capta eēt, turbata ciuitas fuit. Omnia ululatibus perſonabant, clauſæ ubiq; ianuæ, cūcta priuata publicaq; officia dānata, uniuerſi ad portum decurrunt, egredientesq; de nauibus paucos qui cladi ſupſuerant, de ſuis pcontabantur. Poſtquam de clade ſuorū dicētibus illis uel gementibus miſeri intelligunt, tunc toto littore plangentium uoces, tunc infelicium matrum ululatus & flebiles querelæ audiebantur. Inter hæc exiens, procedit & ipſe de naui ſua imperator, ſordida & ſeruili tunica diſcinctus, ad cuius conſpectum plangentia iungūtur agmina. Ipſe quoq; manus ad cælum tendens, nūc ſuam, nūc publicam infelicitatem accuſat & deflet: ad poſtremum uociferans p urbem, tandem

*Himilco rex Car.*

*Exercit' Carthag. peſte miſere confectus.*



dem ingreſſus domū, cunctos qui lachrymantes perſequebantur, ultimo dimiſit alloquio: ac deinde obſeratis ianuis, excluſiſq; etiam filijs, gladio dolorem uitamq; finiuit. Hæc Darij temporibus geſta ſunt. Poſt hæc Hanno uir quidam Carthaginienſis, priuatis opibus reipub. uires ſuperans, inuadendæ dominationis hauſit cupiditatem. Cui rei conſilium utile ratus eſt, ut ſimulatis unicæ filiæ nuptijs, omes ſenatores quorum dignitatē obſtituram inceptis ſuis arbitrabatur, inter pocula ueneno necaret. Quæ res per miniſtros prodita, ſine ultione uitata eſt, ne in uiro tam potenti plus negocij res faceret cognita, quam cogitata. Hoc cōſilio eluſus Hāno, alio machinamēto facinus aggredi parat. Seruitia concitat, quibus repente incautam urbem opprimeret. Sed cum ante ſtatutā cædibus diem proditum ſe præuentumq; intellexiſſet, caſtellū quoddam cum uiginti millibus ſeruorum armatus occupat. Ibi dum Aphros regemq; Maurorum concitat, captus eſt: ac primo uirgis cæſus, deinde effoſſis oculis, & manibus cruribusq; fractis, uelut à ſingulis mē

*Himilco mortē ſibi cōſciuit.*

*Hannonis factio.*

*Hanno q̄bus cruciatibus affectus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bris pœna exigeretur, in cõſpectu popu-
li necatus eſt. Corpus uerberibus lacerũ,
cruci ſuffixum eſt, filij cognatiq; omnes
ſupplicio traditi: ne quis eum eiuſdem fa
miliæ unquam aut imitari, aut ulciſci me
ditaretur. Hæc temporibus Philippi ge-
ſta ſunt. Poſt hæc Carthaginiẽſes cum
Tyrum urbem autorem originis ſuæ, ab
Alexandro Magno captam euerſamq; di
diciſſent, timentes tranſitũ eius in Aphri-
cam futurum, Amilcarem quendam co-
gnomento Rhodanum, uirum facundia
ſolertiaq; præcipuum, ad perſcrutandos
Alexandri actus direxerunt: qui per Par
menionem quaſi transfuga exceptus, de-
hinc in militiam regis admiſſus, omnia ci
uibus ſuis per tabellas ſcriptas, & poſt ce
ra ſuperlitas enunciabat. Hunc mortuo
Alexãdro Carthaginem reuerſum, quaſi
urbem regi uindicaſſet, non ingrato tan-
tum animo, uerumetiam crudeli inuidia
necauerunt. Deinde cum aſſidua, nec un-
quam ſatis ꝓſpera aduerſus Siculos bella
gererent, & Syracuſas urbem Siciliæ tũc
florentiſſimam obſidione cinxiſſent, per
Agathoclem Siciliæ regem miro circun

*Tyrus autor originis Carthaginienſium.*

*Agathocles rex Siciliæ.*



uenti ingenio, uſq; ad extrema deſperati-
onis adacti ſunt. Nanq; Agathocles cum
apud Syracuſas à Carthaginienſibus obſi
deretur, ac ſe neq; bello parem inſtructu
copiarum, neq; obſidionis patientem ſti-
pendiorum ſufficiẽtia uideret, bene pro-
uiſo, ac melius diſſimulato conſilio, in
Aphricam cum exercitu tranſiit: ibi ſuis
quid moliatur, aperit: deinde quid facto
opus ſit, docet. Ilicò unanimiter naues pri
mũ, in ꝗbus uenêre incendũt, ne qua ſpes
refugiendi foret. Deinde cum omnia in
quæ direxiſſet, ꝓſterneret, uillas caſtellaq;
incenderet, Hannonem quẽdam cum tri
ginta millibus Pœnorũ obuium habuit,
quem cum duobus millibus ſuorum in-
terfecit. Ipſe autem duos in eo bello tan-
tum perdidit. Qua pugna & Aphrorum
animis incredibiliter fractis, & ſuorum
in immenſum auctis, urbes caſtellaq; ex-
pugnat, prædas ingentes agit, hoſtium
multa millia trucidat. Caſtra deinde ad
quintum lapidem à Carthagine ſtatuit,
ut damna rerum opulẽtiſſimarum uaſta
tionemq; agrorum, & incendia uillarum
de muris ipſius urbis ſpecularentur. Ad-

ſcitur præſentibus malis triſtior fama. Nam & apud Siciliam deletus cum imperatore Aphrorum exercitus nunciat, quem reuera incautum ac pene ocioſum Andro Agathoclis frater oppreſſerat. Hoc per totam Aphricam rumore diſpſo, nō tributariæ tantum urbes ab his, uerumetiam ſocij reges deficiebant: inter quos rex quoque Cyrenarum Ophellas, pactus eſt cum Agathocle communionem belli, dum regnum Aphricæ ardenter affectat. Sed poſtquam in unum exercitus & caſtra iunxerunt, per Agathoclem blandimentis & inſidijs circũuentus, occiſus eſt. Carthaginienſes, contractis undiq; copijs, in bellum exarſere. Quibus Agathocles habens ſecũ Ophellæ copias congreditur, eoſq; magno utriuſq; exercitus ſanguine & graui ꝑlio ſuperat. Hoc certaminis diſcrimine tanta deſperatio Pœnis illata eſt, ut niſi in exercitu Agathoclis orta ſeditio fuiſſet, tráſfugiturus ad eum Amilcar dux Pœnorũ cum exercitu fuerit. Ob quam noxam in medio foro iuſſu Carthaginienſium patibulo affixus, crudele ſpectaculum ſuis

*Carthag. exercitus deletus. Andro Agatho. frater.*

*Ophellas rex Cyrenarum.*

*Agathocles Pœnos ſuperat. Amilcaris ſupplicium.*



præbuit. Deinde cum poſt mortẽ Agathoclis Carthaginienſes Siciliam inſtructa claſſe uaſtarēt, à Pyrrho rege Epiri ab Italia accerſito, terreſtri naualiq; certamine ſæpe ſuperati, nouiſſime ad Romana bella cõuerſi ſunt. Proh dolor, legunt ne iſta de ueteribus, qui de recẽtibus conqueruntur? Imò legunt, & ea non æquitate, ſed æmulatione conijciunt. Maximo enim illo & ineffabili, quem nec ipſi decernunt, ſtimulo compunguntur, non ꝓpter tempora mala, ſed propter tempora Chriſtiana: & deriuatio eſt inuidi hulceris, ut quicquid agitur ſub execrabili, atrocius eſſe uideatur: ſicut etiã inter nos ſæpe inimicorum oculis uideri ſolet, eos quos execrantur, nihil non prauum, nihil non turpe, nihil non * obſcœnũ, nihil non uulneroſum dicto factoue agere: & hoc tamen ſimpliciter. In tantũ enim captum cor obliquat inuidia, ut rectum natura nō uideat, de quorum numero ſunt iſti: ſed multo miſeriores, quia inimici dei, ac perinde inimici ueritatis: de quibus flentes hæc dicimus, & quos miſericorditer, ſi patiantur arguimus, ut ſanemus, qui ul

*Apoſtrophe ad lectorem.*

** ſubcistũam, nihil nō in uulnus ſuum dicit.*

tioſo oculo hæc uidēt, atq; ideo duplicia illis uidentur, quæ uident: & confuſi caligine nequitiæ, in id cadunt, ut minus uidendo plus uideant, cum tamen id quod eſt, ita ut eſt, uidere nō poſſint: qui grauiora arbitrãtur flagella patris, quàm hoſtis incendia: qui acerbiorem uocant blandientem, admonentem, & redimentem deum, quàm perſequentem, dominantem, trucidantemq; diabolum. Quanquam ſi de patre intelligerent, de caſtigatiōe gauderent: & ſi præuideretur fructus eruditionis, eſſet diſciplina tolerabilis: ac ꝓpter ſpem, quæ nūc gentibus data eſt, antè uero non fuerat, leuiora ducerent, & ſi grauiora paterentur: quanquá contemptum miſeriarum poſſunt etiam à ſuis diſcere, apud quos ſumma mala pro ſummis bonis æſtimata ſunt, tantum, ut gloriam famæ celebrem atq; illuſtrem cōſequerentur: per quos colligi datur, quanta nobis, quibus æternitas beata promittitur, ſint toleranda pro uita, cum illi tanta potuerint tolerare pro fama.

*Miſeriarum contemptum etiā ethnici docuerunt, ſed alio ſcopo quàm Chriſtiani.*

*Romanorum aduerſus Syracuſanos & Pœnos res geſtæ, bellorumq; uariorum ſucceſſus. Seruorum ſociorumq; naualium coniuratio.* Caput VII.



ANno ab urbe condita CCCC. LXXXIII. Appio Claudio, & Quinto Fabio cōſulibus, Mamertinis, quorum Meſſana nobilis Siciliæ ciuitas erat, auxilio contra Hieronem Syracuſanum regem, & Pœnorum copias Hieroni iunctas, Appium Claudium conſulem cum exercitu miſere Romani: qui tam celeriter Syracuſanos Pœnoſq; ſuperauit, ut ipſe quoque rex rerū magnitudine perterritus, antè ſe uictum quàm congreſſum fuiſſe prodiderit: qui ex infractis uiribus amiſſaq; fiducia, cū pacem ſupplex rogaret, ducentis argēti talētis iuſſu conſulum multatus, accepit. Conſules itaque Agrigentum Siciliæ ciuitatem adeuntes, ibi præſidia Pœnorum operibus ualloq; cinxerunt. Cumq; incluſus ea obſidione ſenior Annibal imperator Pœnorum ad ſummam egeſtatem redactus eſſet, Hanno imperator nouus Carthaginienſiū, cū equitibus mille quingentis, & triginta millib⁹ peditū, triginta etiá ele-

*Appius Claudi. Quintus Fabius, conſul. Mamertini. Meſſana. Hiero rex Syraſanus. Pœni uincūtur. Romani Agrigentū expugnant. Annibal ſenior. Hāno imperator Carthaginienſis.*

phãtis ex improuiſo interceſſit, expugnationeq́; ciuitatis pauliſp diſtulit: ſed continuo ciuitas capta eſt. Pœni maximo bello uicti & profligati, undecim elephanti in poteſtatem redacti, Agrigentini ſub corona omnes uenditi ſunt. Annibal ſenior facta cum paucis eruptione, diffugit. Cn. Cornelio Aſina, & C. Duillio conſulibus, cum Annibal ſenior oram Italiæ maritimam inſtructa ſeptuaginta nauium claſſe uaſtaret, Romani & ipſi claſſem fabricari atq; inſtrui præcipiũt, quod Duillius conſul celeriter impleuit. Nam intra LX. diem quàm arbores cæſæ erant, centum XXX. nauium claſſis deducta in ancoris ſtetit. Cornelius Aſina conſul alter cũ ſedecim nauibus Liparam inſulam petit, ubi ab Annibale, quaſi ad colloquium pacis euocatus, Punica fraude captus, atq; in uinculis necatus eſt. Quod ubi Duillius alter cõſul audiuit, cum triginta nauibus aduerſus Annibalem profect⁹ eſt. Commiſſo nauali prælio, Annibal amiſſa naui, qua uehebatur, ſcapha ſubductus aufugit, triginta naues eius & una captæ, tredecim merſæ, tria millia hominum oc

*Cn. Cornelius, C. Duillius cõſules*

*Corneli⁹ captus.*

*Annibal aufugit.*

*Cæſi et capti quot.*



ciſa, ſeptem millia capta referuntur. Poſtea Carthaginienſes Caio Aglio Floro, & Lucio Cornelio Scipione conſulibus, Hannonem in locũ Annibalis ſubrogatum pro Sardis & Corſis defenſandis, nauali prælio præfecerunt: qui à Scipione cõſule uictus, amiſſo exercitu, ipſe confertiſſimis hoſtib⁹ ſe immiſcuit, ibiq; interfectus eſt. Eodem anno tria millia ſeruorum, & quatuor millia naualium ſociorum in urbis Romæ excidium coniurarũt: & niſi maturata proditio cõſilium præueniſſet, deſtituta præſidio ciuitas, ſeruili manu periiſſet.

*Aquilius Florus, Corne. Scipio. Conſul.*

*Interitus Han. Coniuratio ſeruorum naualiumq; ſociorum.*

*Romani Camerinam urbem temere petunt. Annibal ſenior à ſuis lapidatur. Regulus Liparam Melitamq; uaſtat. Clupea ſe Romanis dedit. Regulus ingentis magnitudinis ſerpente confecto, à Carthaginienſibus uictoriam refert.* Caput VIII.

ANno ab hoc proximo, Calatinus cõſul Camerinam Siciliæ urbem petens, temere in anguſtias deduxit exercitum, quas Pœnorũ copiæ iamdudum præſtruxerant. Cui cũ omnino nulla uel obſiſtendi uel euadẽdi facultas eſſet, Cal

*Calatin⁹ cos.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Calphurnius Flãma.*

phurnij Flammæ uirtute & opera liberatus eſt: qui lecta tercentum uirorum manu, inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupauit, & in ſe Pœnos omnes pugnando conuertit, donec Romanus exercitus obſeſſas anguſtias, hoſte non urgente, tranſiret. Cæſi ſunt in eo prælio omnes trecẽti, ſolus Calphurnius quamuis multis confoſſus uulnerib⁹, & cadauerib⁹ obtectus, euaſit.

*Annibal ſenior lapidibus obrutus.*

Annibal ſenior à Carthaginienſibus iterum claſſi præpoſitus, infeliciter cum Romanis nauali prælio congreſſus & uictus eſt, ab exercitu ſuo, ſeditione orta, lapidibus coopertus interijt.

*Attilius Regulus Liparam Melitãq; euertit.*

Attilius conſul Liparam Melitamq; inſulas Siciliæ nobiles peruagatus, euertit.

*Bellum in Aphricã trãslatũ.*

Conſules in Aphricam iuſſi trãsferre bellum, cum trecentis triginta nauibus Siciliam petierũt, quibus Amilcar Pœnorum imperator & Hanno claſſi præfectus occurrit. Conſerto nauali prælio Carthaginienſes in fugam uerſi, ſexaginta quatuor naues pdiderũt.

*Clupea Romanis dedita.*

Victores cõſules in Aphricam conuerſi ſunt, primamq; omniũ Clupeam urbem in deditionem receperunt. Inde Carthaginem petentes, trecenta aut



eo amplius caſtella populati ſunt, infeſtaq; Carthagini ſigna circũtulerunt.

*Manlius ex Aphrica uictor decedit.*

Mãlius conſul ab Aphrica cum uictrici claſſe decedens, uigintiſeptem millia captiuorum cum ingentibus ſpolijs Romam reuexit.

*Regulus in Carthaginienſes.*

Regulus bellum Carthaginienſe ſortitus, iter cũ exercitu faciẽs, haud procul à flumine Bagrada caſtra conſtituit: ubi cum plurimos militum aquandi neceſſitate ad flumen deſcendẽtes ſerpẽs miræ magnitudinis deuoraret, Regulus ad expugnandam beſtiam cum exercitu profectus eſt: ſed nihil in tergo eius proficientibus iaculis, atq; omni telorum ictu irrito, quæ per horrendum ſquamarum cratem quaſi per obliquam ſcutorum teſtudinem labebantur, mirũq; in modum ne corpus læderẽt ipſo corpore pellebantur, cum inſuper magnã multitudinem morſu comminui, impetu proteri, halitu etiam peſtifero exanimari uideret, balliſtas deferre imperauit, per quas ſaxũ murale ſpinæ eius incuſſum, compagem totius corporis diſſoluit.

*Serpens miræ magnitudinis.*

*Serpens quomodo ingreditur.*

Talis ſiquidem eſt natura ſerpentis, ut cum pedibus carere uideatur, coſtis tamen & ſqua-

Universidad de Deusto Biblioteca



mis quaſi unguibus, coſtis quaſi cruribus innitatur. Non enim ut uermis, cui ſpinæ rigor non eſt, & indirectum corpuſculi ſui partes gradatim porrigendo contractas, contrahendo porrectas motū explicat, ſed alternis inteta conatibus latera ſinuoſa circūfert, ut per exteriorem ſpinæ curuaturam rigentem coſtarum aciem tendat, coſtis autem natura ad ſummum rectis ſquamarum ungulas figat: quod uiciſſim & celeriter agēdo non ſolum plana perlabitur, ſed etiam conuexa conſcendit, tot ueſtigijs inſtructa, quot coſtis. Huius itaq; rei cauſa eſt, ut ſi in qualibet corporis parte ab aluo uſq; ad caput ictu aliquo collidatur, debilis reddita, curſum habere non poſſit: quia ubicunq; illi ictus inciderit, ſpinam ſoluit, per quam coſtarum pedes & motus corporis agebantur: unde etiam hic ſerpens, qui tandiu tot iaculis inuulnerabilis obſtitit, ad unius ſaxi ictum debilis ceſſit, ac mox circumuentus telis facile oppreſſus eſt.

*Corij ſerpentini portentoſa magnitudo.*

Corium autem eius Romam deuectum, quod fuiſſe centum uiginti pedum ſpatio ferūt, aliquandiu cūctis miraculo fuit.

*Regulus*

Regulus ad-



uerſus tres imperatores, id eſt, Aſdrubales duos & accitū ex Sicilia Amilcarem, atrociſſimum bellum geſſit, in quo cæſa ſunt Carthaginiēſium ſeptemdecim millia, capta autē quinq; millia, elephanti decem & octo abducti, oppida octogintaduo in deditionem ceſſere Romanis.

*Carthaginienſes bello oppreſſit.*

*Carthaginienſes negata ſibi pace, auxilia undiq; contraxiſſe, ac Xantippo Lacedæmonio duce Romanos ſtrauiſſe, Regulū cepiſſe, eiuſq; iniuriam Aemilium & Fuluium ultos fuiſſe.*

*Caput* IX.

CArthaginienſes fracti bellis, & cladibus exinaniti, pacem à Regulo popoſcerunt: ſed cum intolerabiles & duras conditiones pacis audiſſent, tutius rati ſeſe armatos mori quàm miſeros uiuere, precio non ſolum Hiſpanorum uel Gallorum auxilia, quæ iam dudum plurima habebant, ſed etiam Græcorum comparanda duxerunt. Itaq; Xantippū Lacedæmoniorum regem cum auxilijs accitum, ducem bello præfecerunt. Xantippus inſpectis Pœnorum copijs atq; in cāpum deductis, longe in melius mutato apparatu, pugnam cum Romanis conſeruit. In-

*Xātippus rex Lacedæmoniorum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Cæſi & capti.*
*Regulus capitur.*

gens ibi ruina uirium Romanarum fuit,
nam triginta millia Romanorum in illa
tunc congreſſione proſtrata ſunt. Re-
gulus ille dux uir nobilis cum quingen-
tis uiris captus eſt, & in catenas cõiectus,
decimo demũ anno Punici belli nobilem
triumphum Carthaginiẽſibus præbuit.
Xantippus tam audacis facti conſcius, re-
rum inſtabilium mutationem timens, ili
cò ex Aphrica migrauit in Græciam. Igi

*Paulus Aemilius Fuluius Nobili.*

tur Aemilius Paulus & Fuluius Nobili-
or conſules, audita captiuitate Reguli &
clade exercitus Romani, trãſire in Aphri
cam cum claſſe CCC. nauium iuſſi, Clu-

**Et confe ſtim Car.*

peam petunt. *Eò Carthaginienſes cum
pari claſſe confeſtim uenerunt, nec differ-
ri potuit nauale certamen. CIIII. naues
Carthaginiẽſium demerſæ, triginta cum

*Cæſi & capti.*
**Depreſ- ſis.*

pugnatoribus captæ, præterea triginta-
quinq; millia militum ex ipſis cæſa ſunt:
Romanorum autem nouem nauibus *de
prehenſis, mille centum periẽre milites.

*Hãnones duo impe ratores Pœnorũ,*

Conſules apud Clupeos caſtra poſuerũt.
Duo Hannones imperatores Pœnorum
eò rurſus cum exercitu magno conuene-
runt, prælioq; commiſſo, nouem millia



militum perdiderunt. Sed & tunc apud
Romanos nunq̃ diuturna felicitas erat, &
qualeſcunq; ſucceſſus magnis continuo
malorum molibus obruebantur. Cum

*Naufra- gium Ro manorũ.*
*Amilcar in Numi- das & Mauros.*

itaq; Romana claſſis ad Italiá prædis onu
ſta remearet, infando naufragio euerſa
eſt: nam ex trecentis nauibus, ducentæui-
ginti perierũt, octoginta uix abiectis one
ribus liberatæ ſunt. Amilcar dux Pœno-
rum cum exercitu in Numidiam Mauri
taniamq; miſſus, poſtquam hoſtiliter cru
enteq; in uniuerſos egit, quòd Regulum
libenter ſuſcepiſſe dicerẽtur, mille argen
ti talentis, & uiginti millia boũ reliquos
cõdemnauit. Principes autem omnium
populorum patibulo ſuffixit. Tertio an-
no, ſicut ſemp indomitus furor cito peri-
culorum obliuiſcitur, Seruilius Cepio &

*Seruilius Cepio Sẽ- pronius Blæſus COS.*
*Aphricã populan- tur.*

Sempronius Blæſus conſules ducentis ſe
xaginta nauibus in Aphricam trãſgreſſi,
uniuerſam oram maritimam, quæ circa
Syrtes iacet, depopulati ſunt, atq; in ſupe
riora ꝑgreſſi, captis euerſiſq; ciuitatibus
plurimis, ingentem prædam ad claſſem
deuexerunt. Inde cum ad Italiam redirẽt,
circa Palinuri promõtorium, quod à Lu

*Naufragium Romanorũ.*

canis mõtibus in altum excurrit, illiſi ſco
pulis, centum quinquaginta naues onera
rias nobilemq; prædam crudeliter acqui
ſitam, infeliciter perdiderũt. Vicit aliquã
do apud Romanos improbiſſimam cupi
ditatem enormitas miſeriarum: nam pa-
tres, quibus nauticæ rei iam pertæſum
erat, decreuêre ne amplius quàm ſexagin
ta nauium claſſis ad ſubſidium haberetur
Italiæ, quod quidem decretum continuo
adacti indomita cupiditate, ruperunt.

*Cotta cõſul.*

Præterea Cotta conſul in Siciliam tranſ
greſſus, plurimis prælijs aduerſus Pœnos
& Siculos terra mariq; pugnauit, & per
totam Siciliam partim hoſtium, partim
etiam ſociorum *inhumanas ſtrages reli
quit. Lucio Cæcilio Metello, Caio Fu-
rio Placido conſulibus, Haſdrubal nouus
Carthaginienſium imperator cum ele-
phantis centum triginta, & equitum pe-
ditũq; amplius triginta millibus, Lilybæ
um uenit ex Aphrica, & continuo cum
Metello cõſule apud Panhormũ pugnã
conſeruit. Sed Metellus uim magnam
beluaꝝ timẽs, prius eas magno uſus con
ſilio uel in fugam, uel in mortem egit, &

** inhumatas* — *Lu. Cæcilius.* — *C. Furius Pla.* — *Vincitur Aſdrubal* — *Metellus.*



ſic facile quamuis magnã uim hoſtium
ſuperauit. Viginti millia Carthaginien-
ſium in eo prælio cæſa ſunt. Elephãti quo
que uigintiſex interfecti, centum & qua-
tuor capti: & ꝑ Italiam ducti, maximum
Italicis gentibus ſpectaculũ præbuerunt.
Haſdrubal cum paucis Lilybæum profu
git, atq; abſens à Pœnis capitis damnatus
eſt.

*Quod Pœni pace ſibi negata, Regulum crudeliter interemerunt. Romanos parum feliciter in Siciliam ſemel atq; iterum pugnantes, tandem uiciſſe.* Caput X.

*Legati Pœnorũ pacis cauſa unà cũ Attilio Romam eunt.*

POſt hæc feſſi tot malis Carthaginien
ſes, pacem eſſe petendam à Romanis
decreuerũt. Ad quam rem Attilium Re
gulum antea ducem Romanum, quem
iam ꝑ quinq; annos captiuum detinebãt,
inter cæteros legatos præcipue mitten-
dum putauerunt: quem non impetrata
pace ab Italia reuerſum, reſectis palpe-
bris, illigatum in machina, uigilando ne-
cauerunt. Alter deinde Attilius Re-
gulus, & Manlius Volſco, ambobis con-
ſules, cum claſſe ducentarum nauium &
quatuor legionibus Lilybæum profecti

*Interitus Attilij.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Cæſi & capti.*

ſunt: quod oppidum in promontorio ſitum, Romani obſidere conati, ſuperueniente Annibale, qui Amilcaris fuit filius, uicti, maiore exercitus ſui parte perdita, ipſi ægre euaſerunt. Poſt hos Claudius conſul cum claſſe centumuiginti nauium ad Drepani portum contra hoſtem profectus, ibiq; mox exceptus claſſe Pœnoꝝ, ſuperatus eſt. Et ipſe quidem cum triginta nauibus Lilybæum in caſtra confugit: reliquæ omẽs, hoc eſt, XC. aut captæ, aut demerſæ fuerunt: octo millia militum cæſa, uiginti millia capta referuntur. Caius quoq; Iunius collega Claudij, uniuerſam claſſem naufragio amiſit.

*Punica claſſis Italiam uaſtat.*

Anno etiam conſequẽti claſſis Punica in Italiam tranſijt, eiusq; plurimas partes longe lateq; uaſtauit. Interea Luctatius cum claſſe ducentarum nauium in Siciliam tranſuectus, dum apud Drepanum ciuitatẽ pugnam inter primores Siciliæ cieret, tranſfixo femore, ægerrime, cum iam obrueretur, ereptus eſt. Porro autem Pœni cum quadringẽtis nauibus magniſq; copijs ad Siciliam, duce Hannone, concurrunt.

*Luctatius Catulus Conſul.*

Nec tamẽ Luctatius ſegnior, imò conſilia Pœ-



noꝝ celeritate mira præuenit. Poſtquam proxme ſibi utrorunque claſſes apud Aegades inſulas, per totam noctem intertextis propemodum ancoris conſtiterunt, orta luce, prior Luctatius ſignum bello dedit. Crudeſcente pugna, uictus Hanno nauem auertit, & dux fugæ primus fuit. Aliquanta cũ eo pars exercitus ſui Aphricam petunt, alij confugẽre Lilybæum, ſexagintatres Punicæ naues captæ ſunt, centum uigintiquinq; demerſæ, trigintaduo millia hominum capta, cæſa quatuordecim millia fuere. Romanorum autem duodecim naues demerſæ ſunt. Luctatius deinde ad Erycinam ciuitatẽ, quam Pœni tenebant, uenit: ibiq; duo millia Carthaginienſium, cõſerta pugna, interfecit.

*Hãnonis fuga, capti utrinq; & cæſi*

*Carthaginienſes conditionibus precioq; pacem impetraſſe, calamitoſam Tiberis inundationem, igniſq; cuiuſdam uaſtationem Romæ fuiſſe. De bello in Phaliſcos.*

## Caput VI.

*Pacẽ Pœni exorãt*

TVnc Carthaginienſes præcipiti feſtinatione ad Luctatium conſulem, ac deinde Romam mittũt, orant pacem, quam conditionibus antè propoſitis ilicò

Universidad de Deusto Biblioteca



conſequuntur. Conditiones autem erant, ut Sicilia Sardiniaq; decederent, proq; impenſis bellicis puri argenti tria millia talentorum Euboicorum, æquis portionibus, per annos uiginti penderent. Huius pacis conditio eſt habita poſt annum tertium & uigeſimum, ex quo bellum Punicum primum fuerat inchoatum. Quis rogo duarum ciuitatum unum bellũ per annos uigintitres geſtum fando explicet? quot reges Carthaginienſium, quot conſules Romanorum, quot agmina exercituum, quãtum numerum nauium contraxerit, profligarit, oppreſſerit? & tum demum, ſi illa ad plenum perpenſa uideantur, de præſentibus iudicetur.

*Penſionibus*

Anno ab urbe condita D.VII. repentina ſubuerſio ipſius Romæ, præuenit triumphum Romanorum: neque enim temere dixerim, quando nõ uel modicam lætitiam, Romæ ſuperueniens repente q̃ grauiſſimus luctus, oppreſſerit. Siquidẽ Quinto Luctatio Catulo, Aulo Manlio conſulibus, diuerſæ ignium aquarũq; clades penè abſumpſere urbem. Nam Tiberis inſolitis auctus imbribus, & ultra

*Tiberis pernicioſa inundatio.*



opinionem uel diuturnitate uel magnitudine redundans, omnia Romæ ædificia in plano poſita deleuit. Diuerſæ qualitates locorum, ad unam conuenere perniciem: quoniam & quæ ſegnior redundatio tenuit, madefacta diſſoluit: & quæ curſus torrentis inuenit, impulſa deiecit. Aquarum grauiſſimam cladem, grauior ignis ſecuta uaſtatio eſt: q ignis incertum unde ſurrexerit, plurimas ciuitatis partes peruagatus, cum hominum domorumq; miſerabilem ſtragẽ fecit, tum etiam tantum opum uno incendio conſumpſit, quantum plurimæ & peregrinæ uictoriæ conferre uix poſſent. Dehinc cum oĩa in circuitu fori popularetur, ædem Veſtæ corripuit. Et ne ſibi quidem dijs ſubueniẽtibus, ignem illum qui æternus putabatur, temporarius ignis oppreſſit: unde etiam Metellus dum arſuros deos eripit, uix brachio ſemiuſtulatus aufugit. Tito Sempronio Graccho, & Caio Valerio Fulcone conſulibus, cum Phaliſcis bellauere Romani, eoq; prælio quindecim millia Phaliſcoꝝ interfecta ſunt.

*Ignis incertæ originis plurima uaſtat.*

*Metelli pietas in deos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*hoſtes, cæſos: Sardiniam rebellantem, ſubactam Pœnos ægre pacem impetraſſe, Iani portas uno anno fuiſſe clauſas.*

Caput XII.

EOdem anno Galli ciſalpini noui extitere hoſtes, aduerſum quos uaria ſorte bellatum eſt: nam in primo conflictu, Valerio conſule, tria millia quingenti cecidere Romani: ſecundo quatuordecim millia Gallorum cæſa, duo millia capta ſunt, ſed ob priorem cladem triumphus cõſuli denegatus eſt. T. Manlio Torquato, C. Attilio Bubulco cõſulibus, Sardinia inſula rebellauit, autoribus Pœnis, unde mox Sardi ſubacti & oppreſſi ſunt. Carthaginienſibus autem uiolatoribus pacis, quam ipſi popoſciſſent, inferri bellum decretum eſt. Contrà Carthaginienſes pacem ſuppliciter popoſcerunt: & cum bis miſſis legatis nihil profeciſſent, poſt etiam decem principibus bis æque ſupplicantibus, nec impetrarent, nouiſſime Hannonis, hominis minimi inter legatos, oratione meruerunt. Hoc anno porta Iani gemini clauſa eſt, quia nuſquam eodem anno bellum erat, quod ſub

*Capti & cæſi.*

*T. Manl. Torqua. C. Attil. Bubul.*

*Sardinia rebellis opprimitur à Romanis.*

*Fidifragi Carthagínienſes.*

*Iani portæ obſerantur.*



Numa ſolum Pompilio rege prouenerat. Hic demum nobis tacendum eſt, & quia tempora quidem cõferri noſtra nullo modo poſſunt, ſilentio tranſmitti expedit, ne obtrectatores dierum uitæ ſuæ, ad inſultandum potius ſibi hoc ſtrepitu ſuſcitemus. Ecce portæ Iani clauſæ fuerũt, foris bellum Romanorum non fuit, oẽm ſobolem ſuam in gremio ſuo conquieſcentem Roma continens, nõ •ſuperauit.

ἀποστροφά.

•*ſuſpirauit*

Et hoc quando? poſt primum bellum Punicum: poſt quantum temporis? poſt annos quadringẽtos •ſexaginta: quãdiu? anno uno: & quid altero ſubſecutum eſt? ut de cæteris taceam, bellum Gallicum, & Annibal cum bello Punico ſecundo. Heu mihi cognouiſſe hæc & denudaſſe. •Quinetiam me pudet pax iſta unius anni, uel magis umbra pacis, lenimentum miſeriarum, an incentiuum malorum fuit? ſtillicidium iſtud olei, in medium magnæ flammæ cadens, extinxit fomitem tanti ignis, an aluit? Parum aquæ frigidæ ardentiſſimis hauſtum in febribus, ſanauit ægrotum, an potius incendit? per annos prope DCC, id eſt, ab Hoſtilio Tullo

•XL. •L

*•Quam etiam*

Universidad de Deusto Biblioteca



*A Tullo ad Augustum una tantum æſtate pacem Romæ fuiſſe.*

uſque ad Cæſarem Auguſtum, una tantummodo æſtate, Romana ſanguinem uiſcera non ſudarunt; & inter plurimas magnorum ſeculorum ætates miſera ciuitas, uere miſera mater, uix uno tempore à timore luctuum, ut non dicam ab ipſis luctibus conquieuit. Hoc ſi quiſquam hominum tam parum in uita ſua quietis habuiſſet, nũquid uel uixiſſe diceretur? Aut ſi quiſquam per totum annum doloribus & cruciatibus angatur, medio autem anni ipſius ſpatio unum tantum diem tranquillum, & ſine conflictationibus tranſigat, nunquid ex eo leuamentum malorum accipiet, ac non totum annum miſerijs deputabit? Sed illi, inquit, hũc annũ ꝑ glorioſo ſigno infatigabilis uirtutis collocauerunt, atq; utinam pro obliuione calamitatis cõtinuæ præteriſſent. Nam ſicut in corpore hominis ita demũ dignoſcitur lepra, ſi uariatim inter ſanas cutis partes color diuerſus appareat: at ſi ita ſe ubiq; diffundat, ut omnia unius coloris quamuis adulteri faciat, perit illa diſcretio: ita ſi labor continuus æquali tolerantia, ſine reſpirandi appetitu perfluxiſſet,



intentio uoluntatis & electio conſuetudinis diceretur. Cum autem in hoc pauxillulum ocij tantopere uel maiorum gaudia, uel minorum ſtudia reclinantur, profecto diſcernitur, & quam iucunditatem habuerit hæc breuitas, & quam amaritudinem illa prolixitas: hoc eſt, & quies illa quàm grata fuiſſet, ſi diuturna mãſiſſet: & hæc inceſſabilis miſeria quàm etiã uitanda fuerit, ſi uitari quacũq; arte potuiſſet.

*De interitu Amilcaris, & bello Romanorum in Illyrios, eiusq; cauſa. De bello in Gallos ciſalpinos. Item in Inſubres Gallos. De prodigijs uarijs. De noua Gallorum clade, belloq; in Iſtros.* Caput XIII.

*Amilcaris interitus.*

ANno ab urbe condita D.XVII. Amilcar dux Carthaginienſium, ab Hiſpanis in bello, cum aliud bellum aduerſus Romanos clã pararet, occiſus eſt.

*Roman. in Illyrios bellũ.*

Sequenti anno legati Romanorũ ab Illyrijs interfecti ſunt. Poſt cum ipſis Illyrijs atrociſſimum bellum geſtum eſt, in quo multis oppidis, populiſq; deletis, reliqui ſe Fuluio Poſthumioq; conſulibus dediderunt. Tertio deinceps anno miſeram ciuitatem ſacrilegis ſacrificijs male

*Fuluius & Poſthumius COSS.*

potentes funeſtauere pontifices. nanq; decemuiri conſuetudinem priſcæ ſuperſtitionis aggreſſi, Gallum uirum & Gallam fœminam cum muliere ſimul Græca in foro boario uiuos defoderunt. Sed obligamentum hoc magicum in contrarium continuo uerſum eſt. nãq; diras illas quas fecerant externorum mortes, fœdiſſimis ſuorum cædibus expiauerunt. ſiquidem Lucio Aemilio Catulo, C. Attilio Regulo conſulibus, magna formidine conſternatus ſenatus defectiõe ciſalpinæ Galliæ, cum etiam ex ulteriore Gallia ingẽs aduentare exercitus nunciaretur, maxime geſſatorum, quod nomen non gentis, ſed mercenariorum Gallorum eſt. Itaq; permoti conſules, totius Italiæ ad præſidium imperij contraxere uires. Quo facto, in utriuſq; conſulis exercitu octingenta millia armatorum fuiſſe referuntur, ſicut Fabius hiſtoricus, qui eidem bello interfuit, ſcripſit. Ex quibus Romanorũ & Campanorum fuerunt peditum trecenta quadraginta octo millia ducenti, equitum uero uiginti ſex millia ſexcenti, cætera multitudo ſociorum fuit. Commiſſo prælio

*Sceleſta Romanorum ſacrificia.*

*L. Aemilius & C. Attilius Regulus.*

*Geſſatores Galli.*

*Quam numeroſiß. Ro. exercitus in Gallos.*

*Fabius hiſtori.*



apud Aretium, Attilius cõſul occiſus eſt, & octoginta millia Romanorum: nec ſaltem tanta, quanta eos terrere debuit, cæſa ſui parte, fugerunt. nã tria millia eorum tũc interfecta hiſtorici tradũt: quod ideo ignominioſius turpiusq; eſt, tam paucis amiſſis, tanta agmina diffugiſſe: quia ſe in alijs uictorijs nõ uiribus animorum præualuiſſe, ſed bellorum prouentibus prodiderunt. Quis enim rogo in exercitu Romanorum crederet numerum iſtum fuiſſe ſaltem, non dico fugiſſe? Poſt hæc ſecundum cum Gallis prælium geſtum eſt, in quo plane quadraginta millia trucidata ſunt Gallorum. Sequenti anno Manlius Torquetus & Fuluius Flaccus cõſules, primi trans Padum Romanas duxere legiones. Pugnatum eſt ibi cum Inſubribus Gallis, quorũ interfecta ſunt uigintitria millia, quinq; millia capta ſunt. Eo deinde anno, q huic ꝓximus fuit, dira miſerã urbẽ terruere ꝓdigia. Miſerã utiq;, quæ hic fremitu hoſtiũ, inde nequitia dæmonum terrebatur. nãq; in Piceno flumen ſanguine effluxit, & apud Tuſcos cælum ardere uiſum eſt, & Arimini nocte multa lu-

*Attilij interitus.*

*Cæſi & capti.*

*Turpis Romanorũ fuga.*

*Gallorũ cædes.*

*Dira prodigia uiſa*



Universidad de Deusto Biblioteca

cē clarā effulſiſſe, ac tres lunas diſtātibus
cæli regiōibꝰ exortas apparuiſſe. Tūc quo
*Terræmotus in Caria & Rhodo.*
que magno terræmotu Caria & Rho-
dus inſulæ adeo concuſſæ ſunt, ut laben-
tibꝰ uulgo tectis, ingēs quoq; ille Coloſ-
ſus rueret. Eodē anno Flaminius coſ. con
*Flaminius COS. Gallos ſuperauit.*
tēptis auſpicijs, q̄bus pugnare ꝓhibebat̄,
aduerſum Gallos cōflixit, & uicit. In quo
bello nouē millia Galloꝝ cæſa, decē & ſe
ptem millia capta ſunt. Poſt hoc Claudiꝰ
*Claudius item.*
cōſul geſſatoꝝ triginta millia deleuit, ubi
*Viridomari interitus.*
etiā ipſe Viridomaꝝ regē in primā aci-
em ꝓgreſſus occidit: & inter multa Inſu-
briū, quos ad deditionē coēgerat, oppida
*Mediolanum capitur.*
Mediolanū quoq; urbē florentiſſimā ce-
pit. Deinde Iſtri noui hoſtes excitati ſunt,
quos Corneliꝰ Minutiuſq; cōſules multo
quidem Romanoꝝ ſanguine ſubegerūt.
Emergit hic paululum antiquus ille Ro-
manorum improbæ laudis etiam de par
ricidijs appetitus. Nam Fabius Cenſori-
us Fabium Buteonem filium ſuum furti
inſimulatum, interfecit: dignum ſcilicet
facinꝰ, quod pater uel parricidio plectē
dum duceret, quod ne leges quidem, ni-
ſi multa pecuniæ, aut ad ſummum exilij,



circa quemlibet hominum cenſuerunt.

*De bello Punico ſecundo. Annibal ingentes ſtrages in Romanos edidit, per Gallos uiam aperiens.* Caput XIIII.

*Annibal Saguntum delet.*
ANno ab urbe condita DXXXIIII.
Annibal Pœnorū imperator, Sa-
guntum florentiſſimam Hiſpaniæ ciuita
tem, amicam populi Romani, primum
bello petitam, deinde obſidiōe cinctam,
& fame excruciatam, oīaq; fortiter cō-
templatione fidei, quam Romanis deuo
uerant, digna indignaq; tolerātem, VIII.
*vide Eutro. lib. 3.*
demum menſe deleuit. Legatos Roma-
norum ad ſe miſſos, iniurioſiſſime etiam
à cōſpectu ſuo abſtituit. Exinde odio Ro
mani noīs, q̄d patri Amilcari, cū eſſet no
uē annos natꝰ, fideliſſime, aliâs infideliſſi-
mꝰ, ante aras iurauerat, Publio Cornelio
Scipiōe, & Publio Sēpronio Lōgo cōſuli
bus, Pyrenæū montem trāſgreſſus, inter
ferociſſimas Gallorum gētes ferro uiam
aperuit, & nono demum die à Pyrenæo
ad alpes peruenit: ubi dū montanos Gal
los repelleret ab aſcenſu, obnitentes bel-
lo ſuperat, atq; inuias rupes igni ferroq;
reſcindit: qua triduum cōmoratus, quin-

Universidad de Deusto Biblioteca



ta demum die cū maximo labore ad pla
na peruenit. Fuiſſe tunc exercitum eius
cētum millium peditum, & triginta mil
lium equitū definiunt. Scipio conſul An
nibali primus occurrit, commiſſoq́ præ
lio apud Ticinum, ipſe grauiter uulnera
tus, per Scipionem filium admodū præ
textatū, qui poſt Aphricanus cognomi
natus eſt, ab ipſa morte liberatus euaſit.
Cæſus eſt ibi pene omnis Romanus exer
citus. Pugnatum eſt deinde eodem con
ſule ad flumen Trebiam, iterumq́ Roma
ni pari clade ſuperati ſunt. Sempronius
cōſul cognito collegæ caſu, à Sicilia cum
exercitu rediјt, qui ſimiliter apud eūdem
fluuium congreſſus, amiſſo exercitu, pe
ne ſolus euaſit. In eo tamen prælio etiam
Annibal ſauciatus eſt: qui poſtea cum in
Hetruriam primo uere tranſiret, in ſum
mo Apennino tempeſtate correptus, bi
duo continuo immobiliter cum exercitu
niuibus concluſus & onuſtus, obriguit:
ubi magnus hominum numerus, iumen
ta quàm plurima, elephanti autem pene
omnes frigoris acerbitate perierunt. At
uero alter tunc Scipio frater cōſulis Sci

*Annibalis copiæ quantæ.*

*Scipio uulneratus.*

*Annibal uulnerat'*



pionis, in Hiſpania plurima bella geſſit.
Magonem quoq; Pœnorum ducem, bel
lo uicit & cepit.

*Mago dux Pœnorum.*

*Multa miraq; tum prodigia paßim apparuiſſe quod Annibal aſtu ad internecionem pene Flaminij conſ. exercitum ceciderit.*

Caput XV.

DIris tunc etiam Romani prodigijs
territi ſunt. Nam & ſolis orbis mi
nui uiſus eſt, & apud Arpos parmæ in cæ
lo uiſæ, ſol quoque pugnaſſe cum luna:
apud Capenas interdiu duas lunas ortas,
in Sardinia ſangnine duo ſcuta ſudauiſſe:
Phaliſcis cælum ſcindi, uelut magno hia
tu uiſum: apud Antium metentibus cru
entas ſpicas in corbē decidiſſe. Igitur An
nibal ſciens Flaminium conſulem ſolum
in caſtris eſſe, quo celerius imparatū ob
rueret, primo uere progreſſus, arripuit
propiorem, ſed paluſtrem uiam: & tum
forte Sarnus late redundans, pēdulos &
diſſolutos campos reliquerat: (de qui
bus dictū eſt, Et quæ rigat æquora Sar
nus) in quos cum exercitu Annibal pro
greſſus, nebulis maximæ quæ de palude
exhalabant, proſpectum auferētibus, ma

*Varia prodigia.*

*Annibal quomodo Flaminiū circumuenerit.*

Universidad de Deusto Biblioteca



gnam partem ſociorum iumentorumq́ perdidit. Ipſe autem uni elephanto qui ſolus ſuperfuerat ſuperſedens, uix difficultatem itineris euaſit: ſed oculum, quo iam dudum ægrotauerat, uiolentia frigoris, uigiliarum ac laboris amiſit. Vbi uero ꝓximus caſtris Flaminij conſulis fuit, uaſtatione circumiacentium locorum Flaminium in bellum excitauit. Hæc pugna ad Traſimenum lacum facta eſt: ubi exercitꝰ Romanus infeliciſſime arte circunuẽtus Annibalis, funditus trucidatus eſt: ipſe quoq; conſul occiſus, uigintiquinq; millia Romanorũ in eo prælio cæſa, ſex millia capta referũtur. De exercitu uero Annibalis duo millia ceciderunt. Famoſum hoc apud Traſimenum lacum certamen fuit, tanta clades Romana, maxime cum ita intentus pugnantium ardor extiterit, ut grauiſſimum terræmotum, qui tunc forte tã uehemẽs factus eſt, ut urbes diruiſſe, montes trãstuliſſe, diſcidiſſe rupes, & flumina retrorſum coëgiſſe referaƭ, pugnãtes omnino non ſenſerint. Factam ad Traſimenum ruinã, ſequitur pugna Cannenſis, quamuis Fabij Maximi dictatoris

*Annibal alterum oculum perdidit.*

*Pugna ad Traſimenum.*

*Terræmotus ingẽs.*

*Fabius Maximus dictator.*



tempus medium fuerit, q impetum Annibalis cunctando tardauit.

*De miſeranda Romanorum clade ad Cannas, de conſilio relinquendi Italiam, quomodo Romani reſpirarint, exercitumq́; repararint. Item de uarijs prælijs.*

*Caput XVI.*

ANno ab urbe cõdita D. XL. Lucius Aemilius Paulus, & Publius Terẽtius Varro conſules, contra Annibalem miſſi, impatientia Varronis conſulis infeliciſſime apud Cannas Apuliæ uicũ, oẽs Romanæ ſpei uires penè perdiderũt. Nã in ea pugna quadragintaquatuor millia Romanorum interfecta ſunt, quanquam & de exercitu Annibalis magna pars cæſa eſt, nullo tamen Punico bello Romani adeo ad extrema internecionis adducti ſunt. Perijt enim in eo conſul Aemilius Paulus, conſulares autem & prætorij uiri uiginti interfecti ſunt, ſenatores uel capti uel occiſi ſunt triginta, nobiles uiri trecenti, pedeſtrium militum quadraginta millia, equitum tria millia quingenti. Varro conſul cum quinquaginta equitibus Venuſium fugit, Nec dubium eſt, ul-

*Romana clades apud Cannas.*

timum illum diem Romani ſtatus futu-
rum fuiſſe, ſi Annibal mox poſt uictori-
am ad peruadendam urbem cōtendiſſet.
Annibal in teſtimoniū uictoriæ ſuæ tres
modios annulorum aureorum Cartha-
ginem miſit, quos ex manibus interfecto-
rum equitum Romanorū ſenatorumq;
detraxerat. Vſqueadeo autē ultima de-
ſperatio reipublicæ apud reſiduos Roma
nos fuit, ut ſenatores de relinquenda Ita-
lia, ſedibusq; quærendis conſilium incun
dum putarint. Quod autore Cæcilio Me
tello confirmatum fuiſſet, niſi Cornelius
Scipio tribunus tunc militum, idem qui
poſtea Aphricanus, diſtricto gladio deter
ruiſſet, ac potius pro patriæ defenſiōe in
ſua uerba iurare coēgiſſet. Romani ad
ſpem uitæ, quaſi ab inferis reſpirare auſi,
dictatorem Decium Iunium creant: qui
delectu habito ab annis decem & ſeptem,
immaturæ inordinatæq; militiæ quatuor
legiones undecunq; contraxit. Tūc etiam
ſeruos ſpectati roboris ac uoluntatis, uel
oblatos, uel ſi ita opus fuit, publico pre-
cio emptos ſub titulo libertatis, ſacramen
to militia adegit, Arma quæ deerāt, tem

*Annulorum tres modij collecti ex occiſis Romano. Cōſilium Romanorū derelinquēdā Italia.*



plis detraxerunt, egenti ærario priuatæ
opes refuſæ ſunt. Ita equeſter ordo, ita
plebs trepida, oblita ſtudiorū, in commu
ne conſuluit. Iunius quoq; dictator anti-
quum Romanæ miſeriæ recolēs ſtatum,
pro ſupplemento exercitus edicto, uelut
aſylo patefacto, homines quicunq; ſcele-
ribus ac debitis obnoxij eſſent, impunita
te permiſſa, militiæ mancipauit, quorum
numerus ad ſex millia uirorū fuit. Cam-
pania uero uel potius omnis Italia ad An
nibalem, deſperata penitus Romani ſta-
tus reparatione, defecit. Poſt hoc Luci
us Poſthumius prætor aduerſum Gallos
pugnare iuſſus, cū exercitu cæſus eſt. De-
inde Sempronio Graccho & Quinto Fa
bio Maximo conſulibus, Claudius Mar-
cellus ex prætore proconſul deſignatus,
Annibalis exercitū prælio fudit, primusq;
poſt tantas reipublicæ ruinas ſpem fecit,
Annibalem poſſe ſuperari. Scipiones au-
tem in Hiſpania, Haſdrubalē pœnorum
imperatorem ad Italiam exercitum com
parantem, grauiſſimo bello oppreſſerūt.
Nam trigintaquinq; millia militum de
exercitu eius uel cæde uel captiōe minu-

*Aſylum reparatū*

*L. Poſthumius à Gallis cæſus.*

*Annibal cæditur.*

*Scipiones Haſdrubalem opprimunt.*

Universidad de Deusto Biblioteca



erunt. Celtiberos milites, cum primum externam manum Romani in caſtris habere cœperunt, precio ſolicitatos, ab hoſtium ſocietate in caſtra ſua duxerunt. Sempronius Gracchus proconſul, ab hoſpite ſuo Lucano quodam inductꝰ in inſidias, occiſus eſt. Centenius Penula centurio, decerni ſibi ultro bellum aduerſum Annibalem petijt: à quo cum octo millibus millitum, quos in aciẽ eduxerat, cæſus eſt. Poſt hunc Cneus Fuluius prætor ab Annibale uictus, amiſſo exercitu, uix euaſit. Pudet recordationis. Quid eñ dicã improbitatem magis, an miſeriam Romanoꝝ? imò ueriꝰ uel improbam miſeriã, uel miſerã improbitatem? Quis credat eo tẽpore, quo ærariũ populi Romani egenã ſtipẽ priuata collatiõe poſcebat, miles in caſtris, non niſi aut puer, aut ſeruꝰ, aut ſceleratꝰ, aut debitor, & ne ſic quidem numerus idoneus erat, ſenatus in curia omnis pene nouitius uidebatur: poſtremo cum ita imminutis fractiſq; omibus deſperaretur, ut conſiliũ de relinquenda Italia ſubiretur, eo tempore cũ unum domeſticum bellum, ut diximꝰ, ferri uix

*Sempronius occiditur. Penula & Fuluius ab Annibale uincuntur.*



ullo modo poſſet, tria inſuper tranſmarina bella quis credat fuiſſe ſuſcepta: unum in Macedonia contra Philippum potentiſſimum Macedoniæ regem, alterum in Hiſpania contra Haſdrubalem Annibalis fratrem, tertium in Sardinia contra Sardos & alterum Haſdrubalem Carthaginiẽſium ducem, extra hoc quartum Annibalis, quo in Italia premebantur: & tamen fortis in alterutrum deſperatio, in meliora profecit. nã in his omnibus deſperãdo pugnarunt, pugnando uicerũt. Ex quo euidenter oſtenditur, nec tempora tunc fuiſſe trãquilliora ocijs, ſed homines miſerijs fortiores.

*Romanos in extrema deſperatione quatuor grauiſſima bella ſuſtinuiſſe.*

*Claudius Marcellus Syracuſas capit. Annibal ad Anienem Romanos terret, nec obruendi copia datur.* Caput XVII.

ANno ab urbe condita D.XLIII. Claudiꝰ Marcellus Syracuſas opulentiſſimam urbem Siciliæ ſecunda oppugnatione ui cepit: quam cum iampridem obſediſſet, Archimedis Syracuſani ciuis admirabili ingenio præditi machinis repulſus, expugnare non potuit. Decimo anno poſtquam Annibal in Italiam

Universidad de Deusto Biblioteca



*Romani metu Annibalis aduenientis cōſternati.*

**Sueſſanumq́;*

uenerat, Cn. Fuluio & Publio Sulpitio conſulibus, Annibal de Campania mouit exercitum: & cum ingenti clade omnium per Sidicinum * Sinueſſanūq́; agrum uia Latina profectus, ad Aniené fluuium tribus millibus ab urbe conſedit, incredibili totius ciuitatis metu, cum ſenatu populoq́; diuerſis curis trepido, matronæ quoq; amentes pauore per propugnacula currerent, & conuehere in muros ſaxa, primæq́; pro muris pugnare geſtirét. Ipſe autem cum expeditis equitibus uſq; ad portam Collinam infeſtus acceſſit, deinde omnes copias in aciem direxit. Sed & conſules Fuluius & Publius non detrectauere pugnam. At ubi expoſitæ utrinque acies conſtiterunt, in conſpectu Romæ præmiū uictoriæ futuræ, tantus ſubito ſe imber è nubibus grandine mixtus effudit, ut turbata agmina, uix armis retētis, in ſua ſe caſtra colligerent. Deinde cū ſerenitate reddita in campum copiæ atq; in aciem rediſſent, rurſum uiolentior fuſa tēpeſtas, maiore metu mortaliū audaciā coërcuit, territosq́; exercitus in tētoria refugere coëgit. Tunc conuerſus in



*Annibalis dictū.*

*Roma ab Annibalis impetu diuinitus ſeruata.*

religionem Annibal, dixiſſe fertur, potiundæ ſibi Romæ modo uoluntatem non dari, modo poteſtatem. Reſpondeát nūc mihi obtrectatores ueri dei hoc loco, Annibali à capeſſenda ſubruendaq́; Roma utrum Romana reſtitit fortitudo, an diuina miſeratio: an forſitan conſeruati iſti dedignantur fateri, quod Annibal & uictor extimuit, & cedens probauit? At ſi iſtam diuinam tutelam per pluuiam de cælo ueniſſe manifeſtū eſt, ipſam autem pluuiam opportunis & neceſſarijs temporibus non niſi per Chriſtum, q eſt uerus deus miniſtrari, etiam ab huiuſmodi ſatis certo ſciri, nec negari poſſe exiſtimo, maxime nunc, quando ad documentum potentiæ eius cum ſiccitate turbante, pluuiam poſcere aſſidue contingit, & alternis uicibus nunc gentiles, nunc Chriſtiani rogāt: nec unquam etiam ipſis teſtibus factum eſt, ut optati imbres ſuperueniát niſi in die, quo rogari Chriſtum & Chriſtianis rogare permittitur: proculdubio conſtat, urbem Romam per hunc eūdem uerum deum, qui eſt Chriſtus Ieſus, ordinantem ſecundum placitū ineffabilis iu-

Universidad de Deusto Biblioteca



dicĳ ſui, & tunc ad futuræ fidei credulitatem ſeruatam fuiſſe, & nunc pro parte ſui incredulam caſtigatã. At uero in Hiſpania ambo Scipiones à fratre Haſdrubalis interfecti ſunt. In Campania Capua capta eſt à Quinto Fuluio procõſule, principes autem Capuanorum ueneno mortem ſibi conſciuerunt. Senatum omnem Capuæ, etiam prohibente ſenatu Romano, Fuluius *ſupplicio necauit. Interfectis in Hiſpania Scipionibus cum omnibus incuſſo pauore cunctãtibus, Scipio ſe admodum adoleſcens ultro obtuliſſet, & *pudẽda penuria eẽt ærarĳ, Claudio Marcello & Valerio Leuino autoribus, qui tunc conſules erant, aurum argentumq́ ſignatum ad quæſtores palam omnes ſenatores in publicum contulerunt, ita ut nihil præter annulos ſingulos, bullaſq́ ſibi ac filĳs, & deinde filiabus uxoribuſq́ ſingulas tantum auri uncias, & argenti non amplius quàm ſingulas libras relinquerent.

**Sulpitius neca.*

** prouidenda*

### *De uarĳs cladibus inter Romanos & Pœnos utrinq; acceptis, modo huc, modo illuc uictoria inclinante.* Caput XVIII.



Scipio annos nat⁹ uigintiquatuor, imperium in Hiſpania procõſulare ſortitus, ultionem patris præcipue & patrui animo intendens, Pyrenæum tráſgreſſus primo impetu Carthaginem nouam cepit: ubi ſtipẽdia maxima, præſidia ualida, copiæ auri argentiq; magnæ Pœnorum habebãtur: ibi etiam Magonem fratrem Annibalis captum, cum cæteris Romam miſit. Leuinus conſul ex Macedonia rediens, Agrigentum urbẽ Siciliæ expugnauit: ibiq; Hannonem Aphrorum ducem cepit, quadraginta ciuitates in deditiõem accepit, uigintiſex expugnauit. Annibal in Italia Cneum Fuluium proconſulem, præterea tribunos undecim & ſex millia militum interfecit. Marcellus cõſul cum Annibale triduum cõtinuum dimicauit. Primo die pari pugna diſceſſum ẽ, ſequẽti uictus conſul, tertio die uictor octo millia hoſtium interfecit: ipſumq; Annibalem cum reliquis fugere in caſtra compulit. Fabius Maximus coſ. Tarentũ, quæ à Romanis deſciuerat, iterum expugnauit & cepit: ibiq; ingentes copias Annibalis cum ipſo duce eius Carthalone dele-

*Scip. adoleſcens in Hiſpania procõſul.*

*Marcelli cum Annibale pugna & uictoria.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



uit,triginta millia hominũ captiuorum
uẽdidit,precia in fiſcũ retulit. Sequẽti
anno in Italia Claudi⁹ Marcellus cõſul ab
Annibale cum exercitu occiſus eſt. Sci-
pio in Hiſpania Pœnorum ducem Ha-
ſdrubalem uicit,& caſtris exuit.Præterea
octoginta ciuitates,aut deditione,aut bel
lo in poteſtatem redegit. Aphris ſub co-
rona uenditis,ſine precio dimiſit Hiſpa-
nos.Annibal utrunq; conſulem Marcel-
lum & Criſpinum inſidijs circunuentos,
interfecit.Claudio Nerone & Marco Li-
uio Salinatore conſulibus,cum Haſdru-
bal Annibalis frater ab Hiſpanijs p Gal-
lias ad Italiam ueniret,iuſſuſq; à Cartha-
ginienſibus,ut fratri cum copijs iungere
tur,magna ſecum auxilia Hiſpanorũ Gal
lorumq; deduceret,cum maturato aduen
tu deſcendiſſe iam ex Alpibus conſulibus
ꝓditus fuiſſet,ab exercitu Romano,igno
rante Annibale, præuentus, cum omni
exercitu ſuo interfectus eſt. Diu quidem
incertus belli euentus fuit,elephantis ma
*Velites à* ximè Romanã infeſtantibus aciem, qui à
*uolitãdo* militibus Romanis occiſi ſunt,quos à uo
*dicti.* litando uelites uocant;quod genus mili-



tiæ pauloantè fuerat repertum , ut lecti
agilitate iuuenes,cum armis ſuis poſt ter
ga equitum ſederent:& mox cum ad ho
ſtem uentum eſſet,equis deſilirent,& con
tinuo pedites ipſi ex alia parte equitibus,
per quos aduecti fuerant dimicantibus,
hoſtem perturbarent.Ab his ergo uelitibus
bus elephanti retroacti,cum regi iam à ſu
is non poſſent,fabrili ſcalpro intra aures
adacto,necabantur.Id genus occidendæ,
cum opus eſſet,beluæ,idem dux Haſdru
bal primus inuenerat.Fuit hoc ꝓlio Pœ-
nis Metaurus flumen, ubi Haſdrubal eſt
uictus, quaſi Traſimenus lacus: & Ceſe-
na Piceni ciuitas,ut uicus ille Cannenſis.
Nam. ſexaginta tria millia de exercitu **.LVIII.**
Haſdrubalis ibi occiſa ſunt , capta ſunt
quinq; millia quadringẽti. Quatuor mil
lia ciuium Romanorum inter eos reper-
ta atq; reuocata ſunt, quod uictoribus cõ
ſulibus ſolatio fuit. Nam & ab exercitu eo
rum octo millia ceciderunt, Annibali ca-
put fratris ſui Haſdrubalis, ante caſtra ꝓ *Annibali*
iectũ eſt. Quo uiſo & ſimul clade Pœno- *fratris*
rum cognita, anno XIII. quàm in Italiam *caput ob*
uenerat,refugit in Brutios. Poſt hæc an- *iectum.*

Universidad de Deusto Biblioteca



no continuo inter Annibalem & Romã-
nos quies à tumultu bellorum interceſſiſ-
ſe uiſa eſt, quia inquietudo morborum in
caſtris erat, & grauiſſima peſtilẽtia uter-
que exercitus angebatur. Interea Scipio
uniuerſa Hiſpania à Pyrenæo uſq; ad oce
anum in prouinciã redacta, Romam ue-
nit. conſul cum Licinio Craſſo creatus, in
*Hanno occiditur* Aphricam tranſiit: Hannonem Amilca-
ris filium, ducem Pœnorum interfecit,
exercitumq; eius partim cæde, partim ca
ptiuitate diſperdidit: nam undecim mil-
lia Pœnorum eo prælio occidit. Sempro
nius conſul cum Annibale congreſſus &
uictus, Romam refugit. Scipio in Aphri
ca aggreſſus hyberna Pœnorum atq; alia
Numidarum, quæ utraque haud procul
ab Vtica erant, nocte concubia fecit in-
cendi. Pœni trepidi cum caſu accidiſſe
ignem putarent, inermes ad extinguen-
dum concurrerunt: quare facile ab arma-
tis oppreſſi ſunt. In utriſq; caſtris quadra-
ginta millia hominũ igni ferroq; cõſum-
pta ſunt, capta quinq; millia. duces ipſi mi
ſerabiliter ambuſti, ægre effugerũt. Ha-
ſdrubal imperator Carthaginem profu-



gus uenit. Itaque Siphax & Haſdrubal *Siphax dux Car. capitur.*
mox plurimũ reparauere exercitum, at-
que iterum cũ Scipione congreſſi ſunt,
uictiq; fugerunt. Siphacem fugiẽtem Læ
lius & Maſſiniſſa ceperunt, cætera multi-
tudo Cirtam confugit, quam Maſſiniſſa
oppugnatam in deditionem recepit. Si-
phacem ad Scipionẽ catenis uinctũ de-
duxit, quem Scipio cum ingentibus ſpo
lijs plurimiſq; captiuis Romam perdu-
cendum Lælio tradidit.

*Annibalem in Aphricam reuocatum, à Scipi
one ſuperatum, fugatumq; fuiſſe: & Cartha-
ginienſibus pacem conceßiſſe Romanos.*

*Caput* XIX.

ANnibal in Aphricam redire iuſſus
eſt, ut feſſis Carthaginiẽſibus ſub-
ueniret. Flens reliquit Italiam, omnibus
Italici generis militibus qui ſequi nollẽt,
interfectis: cui ad Aphricanum littus ꝓ-
pinquanti, iuſſus quidam è nauticis aſcen
dere in arborem nauis, atq; inde ſpecula-
ri, quam regionem teneret, ſepulchrum
dirutum ſe proſpexiſſe reſpondit. Abo-
minatus dictum Annibal, deflexo curſu
ad Leptim oppidũ, copias expoſuit: ubi

Universidad de Deusto Biblioteca



continuo refecta multitudine, Carthaginem uenit. deinde Scipiōis colloquium petijt. Ibi cū diu ſe attoniti mutua admiratione duo clariſſimi duces ſuſpexiſſent, infecto pacis negocio, prælium conſertum eſt: quod diu magnis ducum artib⁹ diſpoſitum, magnis copiarum molibus geſtum, magnis militum uiribus cōſummatum, Romanis uictoriam contulit. Octoginta elephanti ibi uel capti uel occiſi ſunt, Carthaginienſiū interfecta ſunt uiginti millia quingenti. Annibal omnia & ante prælium & in prælio expertus, cum paucis, hoc eſt, uix quatuor equitibus, inter tumultū elapſus, Adrumetum cōfugit. Poſtea Carthaginem poſt annos ſex & triginta, quàm inde paruus cum patre exierat, uenit: conſultantiq; ſenatui, nullam eſſe ſpem reſiduam, niſi in petenda pace, perſuaſit. Caio Cornelio Lentulo, Publio Aelio Peto conſulibus, Carthaginienſibus pax per Scipionem uoluntate ſenatus populiq; conceſſa eſt. Naues tamen plus quàm quingentæ in altum p̄ductæ, in cōſpectu ciuitatis incenſæ ſunt. Scipio iam tunc cognomento Aphrica-

*Præliū inter Annibalem & Scipionē.*



nus, triumphās urbē ingreſſus eſt, quem Terentius qui poſtea comicus, ex nobilibus Carthaginienſium captiuis, pileatus (quod indultæ ſibi libertatis inſigne fuit) triumphantem poſt currum ſecutus eſt.

*Terētius comicus.*

*De bello Macedonico, in quo cum uarijs ac diuerſis Romani, præcipue aduerſus Macedones & Antiochum Syriæ regem, uarie pugnauerunt.* *Caput XX.*

ANno ab urbe condita D.XLV. bellum Punicum ſecundum finitum eſt, quod geſtum eſt annis ſeptemdecim, cui Macedonicū continuo ſucceſſit, quod Quintius Flamini⁹ coſ. ſortitus, poſt multa & grauiſſima prælia, quibus Macedones uicti ſunt, pacem Philippo dedit. Deinde cum Lacedæmonijs pugnauit, uicto Nabide duce ipſorum, nobiliſſimos obſides Demetrium Philippi filium & Armenem Nabidis filium, ante currum duxit. Romani captiui, q̄ ſub Annibale per Græciam uenditi fuerant, uniuerſi recepti, capitib⁹ raſis ob deterſam ſeruitutem, currum triumphātis ſecuti ſunt. Eodem tempore Inſubres, Boij atq; Cenomanni,

*Hæc eadē fere Eutrop. li. 4*

*Nabis dux Lacedæmoniorum uictus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



cōtractis in unum uiribus, Amilcare Pœno duce, qui in Italia remanſerat, Cremonam Placentiamq; uaſtantes, difficilimo
Eutrop. bello à Lucio Fuluio p̄tore ſuperati ſunt.
*Furio. Poſtea Flaminius proconſul Philippum regem, & cum eo Thracas, Macedones, Illyrios, multasq; præterea gentes, quæ in auxilium ei uenerant, bello ſubegit. Victi Macedones, caſtra amiſerunt. octo millia hoſtium eodem die cæſa, quinq; millia capta Polybius ſcribit. Valerius dicit quadraginta millia trucidata. Claudius uero
Cæſorum numerus. trigintaduo millia interfecta commemorat. Sed hæc uarietas ſcriptorū utiq; fallacia eſt. Fallaciæ autem cauſa, profecto adulatio eſt, dū uictoris laudes accumulare, uirtutemq; patriæ extollere uel præſentibus uel poſteris ſtudent: alioquin inquiſitus non fuiſſet numerus, nec qualiſcunq; fuiſſet expreſſus. Quod ſi glorioſum eſt duci & patriæ plurimos hoſtium pereniiſſe, quanto magis lætum patriæ, & duci beatum poteſt uideri ſuorum uel nullos uel pauciſſimos perdidiſſe. Ita lucidiſſime patet, quod ſimili impudentia mentiendi, qua occiſorum hoſtiū numero ad-

Fallacia ſcriptorum, ſeu uarietas.



ſcitur, ſociorū quoq; amiſſorum damna minuuntur, uel etiam omnino reticētur. Igitur Sempronius Tuditanus in Hiſpania citeriore, bello oppreſſus, cum omni exercitu Romano interfectus eſt. Conſul Marcellus in Hetruria à Boiis oppreſſus, magnam partem exercitus perdidit, cui poſtea Furius alter conſul auxilio acceſſit: atq; ita uniuerſam Boiorum gētem igni ferroq; uaſtātes, propemodum uſque ad nihilum deleuerunt. Lucio Valerio Flacco, M. Porcio Catone conſulibus, Antiochus rex Syriæ bellum contra populum Romanum inſtruens, in Europam trāſiit ex Aſia. Tunc etiam Annibal propter excitandi belli rumores, qui de eo apud Romanos ferebantur, exhiberi Romæ a ſenatu iuſſus, clàm ex Aphrica profectus, ad Antiochum migrauit: quē cum apud Epheſum inueniſſet cunctantem, mox in bellum impulit. Tunc etiam lex quæ ab Oppio tribuno plebis lata fuerat, ne qua mulier plus quàm ſemiunciam auri haberet, neue uerſicolore ueſtimēto, nec uehiculo per urbem uteretur, poſt uiginti annos abrogata eſt. Publio Scipione

Aphricano iterum, & Tito Sempronio
Longo conſulibus, apud Mediolanum de
cem millia Gallorum cæſa, ſequente au-
tem prælio undecim millia Gallorum,
Romanorum uero quinq; millia occiſa
ſunt. Publius Digitius prætor in Hiſpa-
nia citeriore, penè omnem amiſit exerci-
tum. Marcus Fuluius prætor Celtiberos
cum proximis gentibus uicit, regemq́;
eorum cepit. Minutiꝰ à Liguribus in ex-
tremum periculi adductus, & inſidijs ho
ſtium circũuentus, uix Numidarum eq̃-
tum induſtria liberatus eſt. Scipio Aphri
canus inter cæteros legatꝰ ad Antiochũ
miſſus, etiam cum Annibale colloquium
familiare habuit. Sed infecto pacis nego
cio, ab Antiocho diſceſſit. In utraq; Hi-
ſpania per Flaminiũ Fuluiumq́; præto-
res, bella multum horrida cruẽtaq; utriſ-
que populis geſta ſunt. Publico Cornelio
Scipione, Marco Acilio Glabrione con-
ſulibus, Antiochus quamuis Thermopy-
las occupaſſet, quarum munimine tuti-
or propter dubios belli euentus fieret, ta
men commiſſo bello, à conſule Glabrio
ne ſuperatꝰ, uix cum paucis fugit è præ-

*Gallorũ & Rom. cædes.*

*Antiochi clades.*



lio, Epheſumq́; p̃uenit. Is habuiſſe fertur
armatorum ſexaginta millia, ex quibus
quadraginta millia cæſa, capta autẽ plus
quàm quinq; millia referuntur fuiſſe. Al
ter conſul Scipio cum Boiorum gente
conflixit, in quo prælio uiginti millia ho
ſtium interfecit. Sequenti anno Scipio
Aphricanus habẽs in auxilio Eumenem
Attali filium aduerſus Annibalem, qui
tũc Antiochi claſſi præerat, bellũ nauale
geſſit. Antiochus, uicto Annibale atq; in
fugam acto, ſimulq́; omni exercitu amiſ-
ſo, pacem rogauit: filiumq́; Aphricani,
quem utrum explorantem, an in prælio
cepiſſet, incertum eſt, ultro remiſit. In Hi
ſpania ulteriore Lucius Aemilius procõ
ſul, à Luſitanis cum uniuerſo exercitu cæ
ſus interijt. Lucius Bebius in Hiſpaniam
proficiſcens, à Liguribus circunuentus,
cum uniuerſo exercitu occiſus eſt: unde
adeo ne nũcium quidem ſuperfuiſſe con-
ſtat, ut internecionem ipſam Romæ Maſ
ſilienſes nũciare curauerint. Fuluius coſ.
de Græcia in Gallogræciam, quæ nunc
eſt Galatia, trãſuectus, ad Olympũ mon
tem p̃uenit, ad quem uniuerſi Gallogræ

*Bebius profligatus.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



ci cum coniugibus & liberis confugerãt, ibiq; acerbiſſimum bellum geſſit: nãq; de ſuperioribus locis ſagittis & ſaxis grandibus cæteriſq; telis Romani grauiter cõtriti, tandem uſq; ad cõgreſſum hoſtium proruperunt, quadraginta millia Gallogræcorum eo prælio interfecta referuntur. Martius cõſul aduerſus Ligures profectus, ſuperatuſq;, quatuor millia militum amiſit: & niſi uictus refugiſſet celeriter in caſtra, eandẽ internecionis cladem, quam Bebius dudum ab eiſdem hoſtibus acceperat, ꝑtuliſſet. Marco Claudio Marcello, Quinto Fabio Labeone conſulibus, Philippus rex, qui legatos populi Romani interfecerat, propter Demetrij filij ſui, quem legatum miſerat, uerecundiſſimas preces, ueniam meruit: eundemq; continuo uelut Romanis amicum, ſuiq; proditorem, fratre quoq; ipſius ad parricidium patris miniſtro, nihil de utroq; miſerum mali ſuſpicantem, ueneno necauit. Eodẽ anno Scipio Aphricanus ab ingrata ſibi urbe diu exulans, apud * Lynternum oppidũ morbo periĳt. Iiſdẽ etiã diebus Annibal apud Pruſiã Bithyniæ regẽ,

*Scipionis exilii & interitus.*

**Amiternum*



cum à Romanis repoſceret, ueneno ſeſe necauit. Philopomenes dux Achiuorũ à Meſſanis captus, occiſuſq; eſt in Sicilia. Tunc Vulcani inſula, quæ ante non fuerat, repente in mari edita cum miraculo omnium, uſq; ad nunc manet. Quintus Fuluius Flaccus prætor, in citeriore Hiſpania maximo ꝑlio uigintitria millia hominum fudit, quatuor millia cepit. Tiberius Sempronius Gracchus in Hiſpania ulteriore centum * quinquaginta oppida uacuata quaſſataq; bellis, ad deditionem coegit. Eadem tempeſtate etiam Lucius Poſthumiꝰ in citeriore Hiſpania quadraginta millia hoſtium bello interfecit. Gracchus prætor ibidem iterum ducenta oppida expugnauit & cepit. Lepido & Mutio conſulibus, Baſternarum gens ferociſſima, autore Perſeo Philippi filio, prædarum ſpe ſolicitata, & tranſeundi Iſtri fluminis facultate, ſine ulla pugna uel aliquo hoſte deleta eſt. Nam tunc forte Danubius, qui & Iſter, craſſa glacie ſuperſtratus, pedeſtrem facile tranſitum patiebatur. Itaque cum improuide toto & maximo ſimul agmine inæſtimabilis ho

*Philopomenes.*

*Inſula Vulcani emerſa.*

**quinq;*

*Baſternæ quomodo deleti.*

Universidad de Deusto Biblioteca



minum, uel equorum multitudo tranſiret, enormitate ponderis & concuſſione gradientium concrepans gelu, & glacialis cruſta diſſiluit: uniuerſumq; agmen, quod diu ſuſtinuerat, medijs gurgitibus uicta tandem & comminuta deſtituit: atque eadem rurſus fragmentis impedientibus ſupducta, ſubmerſit. Pauci ex omnibus ſupducta, ſubmerſit. Pauci ex omnibus populo per utranq; ripam uix conciſis euaſere uiſceribus. Publio Licinio Craſſo & Caio Caſſio Longino conſulibus, Macedonicum bellum geſtum eſt, merito inter maxima bella referendum. Nam in auxilio Romanorũ tota primum Italia, deinde Ptolemæus rex Aegypti, & Ariarates Cappadociæ, Eumenes Aſiæ, & Maſſiniſſa Numidiæ fuerũt. Perſeum & Macedonas ſecuti ſunt Thraces cum rege Cotyn, & uniuerſi cum rege Gentio Illyrij. Itaq; aduenienti Craſſo conſuli Perſeus occurrit: cõmiſſoq; prælio, miſerabiliter uicti fugere Romani. Sequenti pugna penè pari clade partis utriuſq;, in hyberna diſceſſum eſt. Deinde Perſeus profligato multis prælijs exercitu Romano, in Illyrium tranſgreſſus, Sulcanum oppi

*Macedonicũ bellũ maximũ.*



dũ defenſum præſidijs Romanis pugnando cepit: ubi magnam Romanorum præſidiorum multitudinem partim occidit, partim ſub corona uendidit: partim ſecũ in Macedoniam duxit. Poſtea cum eo Lucius Aemilius Paulus conſul dimicauit, & uicit. Nam uiginti millia peditum in eo prælio interfecit. Rex cum equitatu ſubterfugit, ſed continuo captus atq; in triumpho cum filijs ante currum actus eſt: & pòſt apud Albam in cuſtodia defecit. Filius eius iunior fabricam ærariam ob tolerandam inopiam Romæ didicit, ibiq; conſumptus eſt. Plurima præterea & ſatis diuerſis prouentibus bella multarum ubiq; gentium geſta ſunt, quæ breuitatis cauſa prætermiſi.

*Scipionem Aphricanum Hiſpaniam uaſtaſſe. Scipionem Naſicam theatri ædificationem diſſuaſiſſe. Galbam parum honeſte Luſitanis impoſuiſſe.* *Caput* XXI.

ANno ab urbe cõdita DC. Lucio Licinio Lucullo, & Aulo Poſthumio Albino conſulibus, cũ omnes Romanos ingens Celtiberorum metus inuaſiſſet, & ex omnibus non eſſet, qui ire in Hiſpani-

Universidad de Deusto Biblioteca



am uel miles uel legatus auderet, Publius Scipio, qui poſtea Aphricanus eſt dictus, ultro ſeſe militaturũ in Hiſpaniam obtulit, cum tamen in Macedoniam ſorte iam deputatus eſſet. Itaq; profectus in Hiſpaniam, magnas ſtrages gentium dedit, ſæpius etiam militis quàm ducis uſus officio. Nam & barbarum prouocantem ſingulariter congreſſus occidit. Sergius autem Galba prætor, à Luſitanis magno prælio uictus ē: uniuerſoq; exercitu amiſſo, ipſe cum paucis uix elapſus euaſit. Eodem tempore cenſores theatrum lapideum in urbe conſtrui cenſuerunt: quod ne tunc fieret, Scipio Naſica grauiſſima oratione obſtitit, dicens, inimiciſſimum hoc fore bellatori populo ad nutriẽdam deſidiam, laſciuiæq; commentum: adeoq; mouit ſenatum, ut non ſolũ uendi omnia theatro cõparata iuſſerit, ſed etiam ſubſellia ludis poni prohibuerit, Quamobrem intelligant noſtri (quibus quicquid extra oblectamentum libidinis occurrit, offenſio eſt) propter hoc quod ſe infirmiores eſſe hoſtibus ſuis ipſi ſentiunt & fatentur, theatra incuſanda, non tẽpora: nec blaſ-

*P. Scipio Aphri. in Hiſpanos*

*Sergius Galba à Luſitanis uictus.*

*Scipio Naſica theatri ſtructurã impedit.*



phemandum deum uerum, qui uſq; nũc ea prohibet, ſed abominãdos deos uel dæmones ſuos, qui iſta petierunt, profundo quidem ſatis malignitatis ſuæ argumento tale ſacrificium flagitantes, quo nõ magis fuſo cruore pecudum, quàm profligata uirtute hominum paſcerentur. Nam utiq; tunc nec hoſtes, nec fames, nec morbi, nec prodigia deerant, imò tunc plurima erant, ſed theatra non erant, in quibus quod incredibile dictu eſt, ad aram luxuriæ uirtutum uictimæ trucidantur. Carthaginienſibus aliquãdo uiſum eſt, homines immolare: ſed male præſumpta perſuaſio, breui prætermiſſa eſt. à Romanis uero exactum eſt, ut ſemetipſos perditiõi impenderent. *Factum eẽ ſic fatentur, & clamant, ut fiat: qui pro mactanda gregis ſui pecude fortaſſe offenderentur, pro interficiẽda cordis ſui uirtute lætãtur: quin potius Naſicæ erubeſcãt, qui Chriſtianis exprobrandũ putant: & non nobis de hoſtibus quos ſemper habuerunt, ſed illi de theatro, quod haberi prohibuerat, cõqueruntur. Igitur in Hiſpania Sergius Galba prætor Luſitanos citra Tagum flumẽ ha

**factum eſt, fit, amatur, & clamatur, ut*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bitantes,cum uoluntarios in deditionẽ
recepiſſet, per ſcelus interfecit: ſimulans
enim de commodis eorum ſe acturũ fo-
re,circumpoſitis militibus,cunctos iner-
mes incautosq; ꝓſtrauit: quæ res poſtea
uniuerſæ Hiſpaniæ ꝓpter Romanorum
perfidiam,cauſa maximi tumultus fuit.

*De tertio bello Punico. Coſſ. ad delẽdam Car-
thaginem profectos, fugatos fuiſſe. Interim
de ſitu eiuſdem.* Caput XXII.

ANno ab urbe cõdita DC.II. Lucio
Cenſorino & Marco Manlio con-
ſulibus,tertium Punicum bellũ exortum
eſt.Igitur cum ſenatus delendam Cartha
ginem cenſuiſſet, profecti in Aphricam
conſules,& Scipio tũc tribunus militum
prope Vticam maioris Aphricani caſtra
tenuerunt.Ibi Carthaginienſibus euoca- *Cartha. armorũ uis Roma. tradita.*
tis,iuſſisq; ut arma & naues traderẽt,nec
moratis,tanta uis armorum repente tra-
dita eſt,ut facile tota ex his Aphrica potu
iſſet armari.Sed Carthaginienſes poſt-
quam arma tradiderunt, & relicta urbe
ſecedere procul à mari decem millia paſ
ſuum iuſſi ſunt,dolorẽ ad deſperationem
contulerunt,aut defenſuri ciuitatem, aut



cum ipſa per ipſam ſepeliendi: ducesq; ſi
bi duos creauerunt Haſdrubales, armaq;
primum facere aggreſſi, æris ferriq; ino
piam,auri argẽtiq; metallis ſuppleuerũt.
Conſules oppugnare Carthaginem ſta- *Carthaginis deſcriptio.*
tuũt,cuius ſitus huiuſmodi fuiſſe dicitur:
Viginti millia paſſuum muro amplexa,
tota pene mari cingebat, abſq; faucibus,
quæ III. millibus paſſuum aperiebantur.
Is locus murum triginta pedes latum ha
buit,ſaxo quadrato,in altitudinem cubi-
torum quadraginta. Arx,cui Byrſæ no- *Byrſa.*
men erat,paulo amplius quàm duo mil-
lia paſſuum tenebat.Ex una parte murus
communis erat urbis & Byrſæ imminẽs
mari,quod mare ſtagnum uocabãt,quo-
niam obiectu protentæ linguæ ſtagnaba
tur. Conſules igitur quamuis aliquãtam
muri partem quaſſatam machinis diruiſ
ſent,tamen à Carthaginienſibus uicti ac
repulſi ſunt:quos fugientes Scipio,repul
ſo intra muros hoſte,defendit.Cẽſorinus
in urbẽ rediit.Manlius omiſſa Carthagi-
ne,ad Haſdrubalẽ arma cõuertit. Scipio
Maſſiniſſa mortuo,inter Maſſiniſſæ filios
tres Numid. regnũ diuiſit:quo circa Car

Universidad de Deusto
Biblioteca



thaginē reuerſo, Manlius Terzagā urbē expugnauit atq; diripuit. Duodecim millia ibi Aphrorꝝ cæſa, ſex millia capta ſunt. *Aphro. clades.* Haſdrubal Pœnorꝝ imperator, Maſſiniſſæ nepos, ſubſelliorꝝ fragmētis in curia à ſuis ꝓpter ſuſpicionē ꝓditiōis occiſus eſt. Iuuētius prætor in Macedonia aduerſus pſeudo Philippū cōgreſſ⁹, cū maxima clade toti⁹ Romani exercitus interfectus eſt. *Iuuentius prætor in Macedonia occiſus. tertio.*

De Carthaginis miſeranda deletione ac deditione Caput XXIII.

ANno ab urbe condita DC. VI. id eſt, anno L. poſt bellum Punicum ſecundum, Cn. Cornelio Lentulo, Lucio Mumio coſs. P. Scipio ſuperioris anni coſ. delere Carthaginem ſuprema ſorte molitus, Cothonem ingreditur: ubi dum ſex continuis diebus noctibusq; pugnatur, ultima Carthaginiēſes deſperatio ad deditionē traxit, petētes, ut quos belli clades reliquos fecit, ſaltē ſeruire liceat. *Miſerabilis Cart. ſors & deditio.* Primum agmen mulierum ſatis miſerabile, pōſt uirorꝝ magis deforme deſcendit. Nā fuiſſe mulierum uigintiquinq; millia, uirorū triginta millia, memoriæ traditum eſt. Rex Haſdrubal ſe ultro dedit. Trāſfu-



gæ, q Aeſculapij templum occupauerāt, uoluntario præcipitio dati, igne conſumpti ſunt. Vxor Haſdrubalis ſe duosq; filios ſecū uirili dolore & furore fœmineo in medium iecit incendium: eundem nūc mortis exitum faciens nouiſſima regina Carthaginis, quem quondam prima feciſſet. *Reginæ Cartha. primæ & ultimæ idem exitus.* Ipſa autem ciuitas decem & ſeptem diebus continuis arſit, miſerumq; ſpectaculum de uarietate conditionis humanæ uictorib⁹ ſuis præbuit. Diruta eſt autem Carthago, omni murali lapide in puluerem cōminuto, DCC. poſt anno quàm condita erat. Multitudo omnis captiuorum, exceptis paucis principibus, uenum data eſt. Ita IIII. quàm inceptum fuit anno, bellū Punicum tertium terminatum eſt. Sed mihi quamlibet ſtudioſe quærenti, ueruntamen homini tardioris ingenij, nuſquam omnino cauſa belli Punici tertij, quam intantum Carthago accēderit, ut iuſte euerti decerneret, eluxit. Illudq; me uel maxime mouet, quod ſi ita, ut in ſuperioribus bellis euidens in aſſurgentem cauſa & dolor accendebat, conſultatione nō opus erat. *Conſulta de euertēda Carthagine.* At uero cum alij Ro

Universidad de Deusto Biblioteca



manorum propter perpetuam Romæ ſecuritatem delendam eſſe decernerent, alij uero propter perpetuam Romanæ uirtutis curam, quæ ſibi ſemper ex ſuſpicione æmulæ urbis impẽderet, ne uigor Romanus bellis ſemper exercitus, in languidam ſegnitiem ſecuritate atque ocio ſolueretur, incolumem Carthaginem ſtatui ſuo permittendam eſſe cenſerent: cauſam non ex iniuria laceſſentium Carthaginienſium, ſed ex inconſtantia torpeſcentium Romanorum ortã inuenio. Quod cum ita ſit, cur Chriſtianis temporibus imputãt hebetationem ac rubiginem ſuam, qua foris craſſi, intus exeſi ſunt? qui porro ante ſexcentos ferè annos, ſicut ſui prudentes timenteſq; prædixerãt, cotem illam magnam ſplendoris & acuminis ſui Carthaginem perdiderunt. Itaque finem uolumini faciam, ne forſitan collidendo uehementius, diſcuſſa ad tempus rubigine, ubi neceſſariũ acumen elicere non poſſum, ſuperuacuã aſperitatem inueniam, quanquam obuiantem aſperitatem nequaquam expaueſcerem, ſi interioris ſpem acuminis inuenirem.

*Carthago cos Romanæ rubiginis*



# PAVLI OROSII HISPANI ADVERSVS PAGANOS HISTORIARVM LIBER V.

*Romanorum per aliorum clades uigorem, plus damni quàm commodi ſecum traxiſſe. Item ſua tempora prioribus potiora.*

## Caput I.

SCIO aliquantos poſt hæc deiceps permoueri poſſe, quod uictoriæ Romanæ multarum gentium & ciuitatum ſtrage crebreſcũt: quanquam ſi diligenter* appendant, plus damni inueniẽt accidiſſe, quàm commodi. neq; enim paruipendenda ſunt tot bella ſeruilia, ſocialia, ciuilia, fugitiuorum, nullorum utiq; fructuum, & magnarum tamen miſeriarum. Sed cõniueo, ut quem-

*attẽdãt

admodum uolunt, ita fuiſſe uideatur. unde arbitror eſſe dicturos: Ecquid his temporibus beatius, quibus continui triumphi, celebres uictoriæ, diuites prædæ, nobiles pompæ, magni ante currum ſæpe reges, & longo ordine uictæ gentes agebantur? Quibus breuiter reſpondebitur, & ipſos de temporibus ſolere cauſari, & nos pro eiſdem temporibus inſtituiſſe ſermonem, quæ tempora non uni tãtum urbi attributa, ſed orbi uniuerſo conſtat eſſe communia. Ecce quàm feliciter Roma uincit, tam infeliciter quicquid extra Romam eſt, uincitur. Quanti igitur pendenda eſt gutta hæc laborioſæ felicitatis, cui aſſcribitur unius urbis beatitudo in tanta mole infelicitatis, per quam agitur totius orbis euerſio? Aut ſi ideo felicia putantur, quia unius ciuitatis opes auctæ ſunt, cur non potius infeliciſſima iudicentur, qbus miſerabili uaſtatiõe multarum ac bñ inſtitutaꝝ gẽtiũ potẽtiſſima regna ceciderũt? An forte aliud tũc Carthagini uidebatur, cũ poſt annos C.XX. quibꝰ modo belloꝝ clades, modo pacis cõditiones perhorreſcens, nũc rebelli intentiõe, nũc



ſupplicijs belli pacem, nũc pace mutabat bella: nouiſſimeq; miſeris ciuibus paſſim ſe in ignem ultima deſperatione iacientibus, unus rogꝰ tota ciuitas fuit, cui etiam nũc ſitu paruæ, mœnibus deſtitutæ, pars miſeriarum eſt audire quid fuerit. Edat Hiſpania ſententiam ſuam, cum per annos ducentos ubiq; agros ſuos ſanguine ſuo rigabat, importunumq; hoſtẽ ultro oſtiatim inquietantem, nec repellere poterat, nec ſuſtinere: cum ſe ſuis diuerſi urbibus ac locis fracti, cæde bellorum, obſidionum fame exinaniti, interfectis cõiugibus ac liberis ſuis, ob remedia miſeriarum concurſu miſero ac mutua cæde iugulabant. Quid tunc de ſuis temporibus ſentiebat, ipſa poſtremo dicat Italia: cur per annos quadringentos Romanis utiq; ſuis cõtradixit, obſtitit, repugnauit, ſi eorum felicitas, ſua infelicitas non erat: Romanoſq; fieri rerũ dominos, bonis communibus non obſtabat? Non requiro de innumeris diuerſarum gentium populis, diu antea liberis, tunc bello uictis, patria abductis, precio uenditis, ſeruitute diſperſis, quid tunc ſibi maluerint, quid

de Romanis opinati ſint, quid de tempo
ribus iudicarint? Omitto de regibus ma
gnarum opum, magnarum uirium, ma-
gnæ gloriæ, diu potentiſſimis, aliquando
captis, ſeruiliter catenatis, ſub iugum miſ
ſis, ante currū actis, in carcere trucidatis:
quorū tam ſtultum eſt exquirere ſenten-
tiam, quàm durum nō dolere miſeriam.
Nos, nos inquam ipſos, uitæq́ noſtræ ele
ctionem, cui acquieſcimus, conſolamur.
Maiores noſtri bella geſſerunt, bellis fati
gati, pacem petentes, tributa obtulerunt.
*Tributū, precium pacis.* Tributum, precium pacis eſt. Nos tribu-
ta dependimus, ne bella patiamur: ac per
hoc in portu, ad quem illi tādem pro eua
dendis malorum tempeſtatibus confuge
runt, nos conſiſtimus & manemus. Igitur
noſtra tempora uiderimus utrū felicia,
certe feliciora illis ducimus: quia quod il
li ultimo delegerunt, nos continue poſſi-
demus. Inquietudo enim bellorum, qua
illi attriti ſunt, nobis ignota eſt. In ocio au
tem, quod illi poſt imperium Cæſaris, na
tiuitatemq́ Chriſti tenuiter guſtauerūt,
nos naſcimur & ſeneſcimus: quod illis
erat debita penſio ſeruitutis, nobis eſt li-



bera collatio defenſionis: tantumq́ inter-
eſt inter præterita præſentiaq́ tempora,
ut quod Roma in uſum luxuriæ ſuæ fer-
ro extorquebat à noſtris, nunc in uſum
communis reipublicæ cōferat ipſa nobiſ-
cum. Aut ſi ab aliquo dicitur, tolerabilio
res parentibus noſtris Romanos hoſtes
fuiſſe, quàm nobis Gothos eſſe; audiat &
intelligat, quanto aliter q̄ circa ſeipſum
agitur, ſibi eſſe uideatur. Olim cum bella
toto orbe feruebant, quæq́ prouincia ſu-
is regibus, ſuis legibꝰ, ſuiſq́ moribus ute
batur: nec erat ſocietas affectionum, ubi
diſſidebat diuerſitas poteſtatum. Poſtre-
mo ſolutas & barbaras gentes quis tan-
dem ad ſocietatem adduceret, quas diuer
ſis ſacrorum ritibus inſtitutas, etiam reli
gio ſeparabat? Si quis ergo tunc acerbita
te malorū uictus, patriam cum hoſte de-
ſeruit, quem tandem ignotum locū igno
tus adijt? Quam gentem generaliter ho-
ſtem hoſtis orauit? Cui ſe congreſſu pri-
mo credidit, non ſocietate nominis inui-
tatus, non communione iuris adductus,
non religiōis unitate ſecurus? An parum
exempli dederūt, Buſiris in Aegypto pe- *Buſiris.*

Universidad de Deusto Biblioteca



regrinorum infeliciter incurrentium imi
piſſimus immolator, crudeliſſima circa
aduenas Dianæ Tauricæ litatura, ſed ma-
*Dianæ Tauricæ litatura Thraciæ ſacra crudelia.* gis crudelia ſacra, Thracia cum Polymne
ſtore ſuo uſq; ad propinquos hoſpites ſce
lerata: Et ne antiquitatibus uidear immo
rari, teſtis eſt Roma de Pompeio interfe
cto, teſtis ē Aegyptus de interfectore Pto
lemæo.

*Oroſio, utpote Chriſtiano homini, ubiq; patria & undiq; ſecurus acceſſus.*

Caput .II.

Mihi autem prima qualiſcunq; mo
tus perturbatiōe fugienti, de con-
fugiēdi ſtatiōe ſecuro, ubiq; patria, ubiq;
lex & religio mea eſt; nunc me Aphrica
tā libēter excepit, quàm cōfidenter acceſ
ſi: nūc me, inquam, iſta Aphrica pace ſim
plici excepit, ſinu ꝓprio, iure communi:
de qua aliquādo dictum, & uere dictum
*Vergi. I. Aene.* eſt: Hoſpitio prohibemur arenæ, Bella ci
ent, primáq; uetant conſiſtere terra: nunc
ultro ad ſuſcipiendos ſocios religionis &
pacis ſuæ, beneuolum late gremium pan
dit, atque ultro feſſos quos foueat, inui-
tat. Latitudo orientis, ſeptētrionis copi



oſitas, meridiana diffuſio, magnarum in-
ſularū largiſſimæ tutiſſimæq; ſedes, mei
iuris & nominis ſunt: quia ad Chriſtia-
nos & Romanos, Romanus & Chriſtia
nus accedo. Nō timeo deos hoſpitis mei,
non timeo religionem eius necē mea: nec
habeo talem quem pertimeſcam locum,
ubi & poſſeſſori liceat perpetrare quod
uelit, & peregrino non liceat adhibere
quod conuenit: ubi ſit ius hoſpitis, quod
meum non ſit. Vnus deus q temporibus,
quibus ipſe innoteſcere uoluit, hāc regni
ſtatuit unitatem, ab omnibus & diligitur
& timetur. Eædē leges quæ uni deo ſub-
iectæ ſunt, ubiq; dominantur: ubicunque
ignotus acceſſero, repentinā uim tāquam
deſtitutus non pertimeſco. Inter Roma-
nos, ut dixi, Romanus, inter Chriſtianos
Chriſtianus, inter homines homo, legibꝰ
imploro rempub. religione cōſcientiam,
communione naturam. Vtor tempora-
rie omni terra quaſi patria: quia quæ uera
eſt, & illa quam amo patria, in terra peni
tus non eſt. Nihil perdidi, ubi nihil ama-
ui: totumq; habeo, quando quem diligo,
mecum eſt: maxime quia & apud omnes

Universidad de Deusto Biblioteca



idem eſt, qui me non modo notũ om̃ibus, uerum & proximum facit: nec egentem
Pſal. 22. deſerit, quia ipſius eſt terra & plenitudo eius, ex qua omnib⁹ omnia iuſſit eſſe communia. Hæc ſunt noſtrorum temporum bona, quæ in totum, uel in tranquillitate præſentium, uel in ſpe futurorum, uel in præſagio communi non habuêre maiores: ac per hoc inceſſabilia bella geſſerũt, quia mutandarum ſedium communione non libera, perſiſtendo in ſedibus ſuis, aut infeliciter necati ſunt, aut turpiter ſeruierunt. Quod clarius promptiusq; ipſis ueterum geſtis per ordinem explicitis, aperietur.

*De bello Achaico & Corinthi uaſtatione.*
*Caput* III.

ANno ab urbe cõdita ſexcenteſimo ſexto, hoc eſt, eodẽ anno, quo Carthago deleta eſt, Cn. Cornelio Lẽtulo & Lucio Mumio coſs. ruinam Carthaginis, euerſio Corinthi ſubſecuta eſt: duarum potentiſſimarũ urbium paruo unius temporis interuallo per diuerſas mundi partes miſerabile colluxit incendiũ. Nã cum Metellus ꝓtor Achæos Bœotiosq; cõiun-



ctos, duobus bellis, hoc eſt, primo apud Thermopylas, iterũ in Phoceis deuiciſſet: quorũ priore bello occiſa eſſe uiginti millia, ſecundo ſeptem millia cæſa, Claudius hiſtoricus refert. Valeri⁹ Antias in Achaia pugnatũ, & uiginti millia Achæorum cum duce ſuo Dieuo, cecidiſſe cõfirmat. Polybius uero Achiuus, quamuis tunc in Aphrica cum Scipione fuerit, tamen q̃a domeſticam cladem ignorare nõ potuit, ſemel in Achaia pugnatum Critolao duce aſſerit. Dieuum uero adducentẽ ex Arcadia milites, ab eodem Metello prætore oppreſſum cũ exercitu docet. Sed de uarietate diſcordantium hiſtoricorum aliquãta iam diximus, quorum ſufficiat detecta hæc & male nota mendaciorum nõta: quia parum credendum eſſe in cæteris euidenter oſtendũt, qui in his quoq; quæ ipſi uidêre, diuerſi ſunt. Igitur poſt extincta totius Achaiæ præſidia, deſtitutarum urbium euerſionem Metello prætore meditante, conſul Mumius repentinus cum paucis uenit in caſtra: qui dimiſſo ſtatim Metello, Corinthum ſine mora expugnauit, urbem toto tũc orbe longe omnium

Universidad de Deusto Biblioteca



opulẽtiſſimam: quippe quæ uelut officina omnium artificum atq; artificiorum, & emporium commune Aſiæ atq; Europæ, per multa retro ſecula fuit. Permiſſa crudeliter etiam captiuis prædandi licentia, ſic omnia cædibus ignibusq; completa ſunt, ut de murorum ambitu quaſi e camino in unum apicem coartatum exundaret incendium. Itaq; plurima parte populi ferro flammisq; conſumpta, reliqua ſub corona uendita eſt. Vrbe incenſa, muri funditus diruti ſunt. Muralis lapis in puluerem redactus, præda ingens erepta eſt. Sane cum propter multitudinem & uarietatem ſtatuarum ſimulacrorumq; in illo ciuitatis incendio permixta in unum auri argentiq; atq; æris omnia ſimul metalla fluxiſſent, nouum genus metalli factum eſt: unde uſq; in hodiernum diem, ſiue ex ipſo, ſiue ex imitatione eius æs Corinthium, ſicut memoriæ traditum eſt, & Corinthia uaſa dicuntur.

*De bello in Hiſpania cũ Viriato, deq; Luſitanorum, & Salaſcorum Gallorum cruento conflictu, & ingenti Romæ peſtilentia, alijsq; bellis, nempe Romanorum*



*cũ Numantinis, itẽ Mithridatis.* Ca. IIII.

Iſdem conſulibus, Viriatus in Hiſpania, genere Luſitanus, homo paſtoralis & latro, primum infeſtando uias, deinde uaſtando prouincias, poſtremo exercitus prætorum & conſulũ Romanorum uincẽdo, fugando, ſubigẽdo, maximo terrori Romanis omnibus fuit: ſiquidẽ Iberum & Tagum maxima & diuerſiſſimorum locorum flumina late tranſgredienti & peruaganti, Caius Vetilius prætor occurrit; qui continuò cæſo uſq; ad internecionẽ penè omni exercitu ſuo, uix ipſe prætor cũ paucis fuga lapſus, euaſit. Deinde Caium Plautium prætorem idem Viriatus prælijs multis fractũ fugauit. Pòſt etiam Claudius Vnimanus cum magno inſtructu belli, contra Viriatum miſſus, quaſi pro abolenda ſuperiore macula, turpiorem auxit ipſe infamiam. Nam congreſſus cũ Viriato, uniuerſas quas ſecum deduxerat copias, maximasq; uires Romani exercitus amiſit. Viriatus trabeas, faſces, cæteraq; inſignia Romana in montibus ſuis trophæa præfixit. Eodem tempore trecenti Luſitani cum mille Roma-

*Viriatus Luſita.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Luſitanorũ cũ Romanis cõgreſſus & cædes.*

nis in quodam ſaltu contraxere pugnam, in qua ſeptuaginta Luſitanos, Romanos autem trecentos uiginti cecidiſſe Claudius refert. Et cum uictores Luſitani, ſparſi ac ſecuri abirent, unus ex his longe à cæteris ſegregatus, cum à circunfuſis equitibus pedes ipſe deprehenſus, unius eorum equo lácea perfoſſo, ipſius equitis ad unũ gladij ictum caput deſecuiſſet, ita omnes metu perculit, ut proſpectátibus cunctis, ipſe cõtemptim atq; ocioſus abſcederet.

Appio Claudio, Quinto Cæcilio Metello conſulibus, Appius Claudius aduerſus Salaſcos Gallos congreſſus, & uictus, *decem millia militum perdidit. Reparata pugna, quinq; millia hoſtium occidit.

** quinq;*

*Triũphãdi lex.*

Sed cum iuxta legẽ, qua cõſtitutum erat, ut quiſquis quinq; millia hoſtium pereміſſet, triumphandi haberet poteſtatem, iſte quoq; cum triumphũ expetiſſet, propter damna uero ſuperiora non impetrauiſſet, infami impudentia atq; ambitione uſus, priuatis ſumptibus triumphauit. Lucio Cæcilio Metello, Q. Fabio Maximo Seruiliano conſulibus, inter cætera prodigia androgynus Romæ uiſus, iuſ-



*Androgynus Romæ uiſus.*

ſu haruſpicum in mare merſus eſt: ſed nihil impiæ expiationis procuratio profecit. Nam tanta ſubito peſtilẽtia exorta eſt, ut miniſtri quoq; faciendorum funerum primum non ſufficerẽt, deinde nõ eſſent. Itaq; magnæ domus uacuæ uiuis, plenæ mortuis remanſerũt. Largiſſimæ introrſum hæreditates, & nulli penitus hæredes. Deniq; iam non ſolum in urbe uiuendi, ſed etiam appropinquandi ad urbem negabatur facultas: tam ſæui per totã urbem tabeſcentium ſub tectis, atq; in ſtratis ſuis cadauerum putores exhalabãtur. Expiatio illa crudelis, & uiam mortibus hominum morte hominis inſtruens, tandem Romanis inter miſerias ſuas erubeſcentibus, quàm miſera & uana eſſet innotuit. Antè enim in ſuffragiũ præueniẽdæ cladis eſt habita, & ſic peſtilentia ſubſecuta eſt: quæ tamen ſine ullis ſacrificiorum ſatisfactionibus, tantummodo ſecũdum mẽſuram arcani iudicij expleta correptione, ſedata eſt. Quã ſi artifices illi circumuentionum haruſpices, ſub ipſa (ut aſſolent) declinatione morborum forte celebraſſent, proculdubio *ſubſidijs & ritib'

**ſibi, dijs &*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſuis reductæ ſanitatis gloriam uendicaſſent. Ita miſera & ad ſacrilegia male religioſa ciuitas, mẽdacijs, quib⁹ liberari non poterat, eludebatur. Igitur Fabius conſul contra Luſitanos & Viriatum dimicans, Bacciam oppidũ, quod Viriatus obſidebat, depulſis hoſtibus liberauit, & in deditionem cum plurimis alijs caſtellis recepit. Fecit facinus etiam ultimis barbaris Scythiæ, nõ dicam Romanæ fidei & moderatiõi, execrabile. Quingẽtis enim principibus eorum, quos ſocietate inuitatos, deditionis iure ſuſceperat, manus præcidit. Pompeius ſequentis anni conſul, fines Numantinorũ ingreſſus, accepta maxima clade diſceſſit, non ſolum exercitu penè omni profligato, uerumetiam pluri mis nobilium, qui eius militiæ aderant, interemptis. Viriatus autem cum p quatuordecim annos Romanos duces atque exercitus protriuiſſet, inſidijs ſuorum interfectus eſt: in hoc ſolo Romanis circa eum fortiter agentibus, quod pcuſſores eius indignos præmio iudicarũt. At ego non modo nunc, uerumetiam ſæpe intertexere orientis illa inextricabilia bella

*Luſitanos deuicit Fabius.*

*Põpeius à Numãtinis profligatur.*



poteram, quæ raro unquam niſi ſceleribus aut incipiunt, aut terminantur: Sed Romanorum, cum quibus nobis actio eſt, tanta ſunt, ut iure faſtidiátur aliena.

Mithridates tunc ſiquidem rex Parthorum, ſextus ab Arſace, uicto Demetrio præfecto, Babyloniam urbẽ fineſq; eius uniuerſos uictor inuaſit. Omnes præterea gentes, quæ inter Hydaſpem fluuiũ & Indum iacent, ſubegit. Ad Indiã quoq; cruentum extendens imperium, Demetrium ipſum ſibi ſecundo bello occurrẽtem, & uicit & cepit: quo capto, Theodotus quidam cum Alexandro filio, regnũ eius & regium nomen uſurpauit: q poſtea ipſum Alexandrum filium, quẽ participem periculi in peruadẽdo regno habuerat, ne in obtinendo conſortem haberet, occidit. Marco Aemilio Lepido, & Caio Hoſtilio Mancino coſs. ꝓdigia apparuere diuerſa: & quantũ in ipſis fuit, ex more curata ſunt: ſed non ſemper aucupatoribus euentuũ & inſtructoribus fallaciarum haruſpicibus, opportuni caſus ſuffragant. Nanq; Mancinus cõſul poſtquam à *Popilio apud Numãciam ſuſce-

*Mithridates rex Parthorum.*

**Põpeio.*

Universidad de Deusto Biblioteca



pit exercitũ, adeo prælia infeliciter cũcta geſſit: atq; in id ſuprma deſperatiõe perductus eſt, ut turpiſſimũ fœdus cũ Numantinis facere cogeretur: quamuis & Pompeius iam aliud æque infame fœdus cum ijſdem Numantinis paulo antè pepigiſſet. Senatus diſſolui fœdus, et Mancinum dedi Numantinis præcepit: qui nudato corpore manibus poſt tergum reuinctis, ante portas Numantinorum eſt expoſitus: ibiq; uſq; in noctem manẽs, à ſuis deſertus, ab hoſtibus autem non ſuſceptus, lachrymabile utriſq; ſpectaculum pbuit.

*Quàm iniuſte Romani Mancinũ Numantinis dediderint. De Bruti in Gallecios ſtrage, Lepidi à Vacceis clade.* Caput V.

EXclamare hoc loco dolor exigit, cur falsò uobis Romani magna illa numina iuſtitiæ, fidei, fortitudinis & miſericordiæ uẽdicatis. A Numantinis hæc uerius diſcite. Fortitudine opus fuit, pugnando uicerunt. Fides exigebatur, credentes alijs ſecundũ ſe, quos occidere potuerant, pacto fœdere dimiſerunt. Iuſticia probanda erat, probauit eam uel tacitus ſenatus, cum ijdem Numantini per lega



tos ſuos aut inuiolatam pacẽ ſolam, aut oẽs quos pignore pacis accepto uiuos dimiſerant, repoſcebãt. Miſericordia examinanda uidebatur, ſatis documenti dederũt uel emittendo ad uitam inimicum exercitum, uel ad pœnam non recipiendo Mancinum. Mancinúsne rogo dedendus fuit, qui uicti exercitus impendentẽ trucidationem prætentu boni pacti fœderis diſpulit, qui periclitantes patriæ uires in meliora tempora reſeruauit? At ſi diſplicuit fœdus quod pactũ eſt, cur miles hoc pignore redemptus, aut cum reuerteretur receptus eſt: aut cum repeteretur, redditus non eſt? At ſi placuit ſeruati militis qualiſcũq; prouiſio, cur Mancinus qui hoc pepigit, ſolus deditus fuit?

Nuper Varro ut præpropera pugna iniret, collegam Paulum obluctantẽ impulit, trepidãtem præcipitauit exercitũ, infelices copias apud infames illas Romanis cladibus Cannas non diſpoſuit certamini, ſed oppoſuit morti: plus quã quadraginta millia ibi militum Romanorũ ſola impatiẽtia ſua, de qua ſibi uictoriam iamdudũ Annibal præſumebat, amiſit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Collega etiam Paulo, quo tandem uiro
perdito, nouiſſime in urbem penè ſolus
impudẽtiſſime redire auſus, meruit im-
pudentiæ ſuæ præmium. Nam gratiæ ei,
quòd de republica non deſperaſſet, quam
tamẽ ipſe fecerat deſperatam, publice in
ſenatu actæ ſunt. Porro autem Mancinus
qui ſorte bellica circũuentum exercitum
ne perderet, laborauit, ab eodẽ ſenatu de-
ditione damnatus eſt. Sic Romanis & il
lud in Varrone diſplicuit, ſed tẽpori con
ceſſũ eſt: & hoc in Mancino placuit, ſed
ſecundum tempus præſumptum eſt: atq;
ideo ab initio perfeciſtis, ut nec ciuis con
ſulat conuenienter ingratis, nec hoſtis fi
Bruti in Gallecios cædes. deliter credat infidis. Interea Brut⁹ in in-
teriore Hiſpania ſexaginta millia Galle-
ciorum, qui Luſitanis auxilio uenerant,
aſperrimo bello & difficili, quamuis in-
cautos circũueniſſet, oppreſſit. Quorum
in eo prælio quinquaginta millia occiſa,
ſex millia capta referunt, pauci fuga eua
ſerũt. In citeriore Hiſpania Lepidus pro-
conſul Vacceos innoxiam gẽtem & ſup-
plicem, etiam ſenatu prohibente, pertina
citer expugnare tentauit. Sed mox acce



pta clade, grauiſſimas improbæ pertina-
ciæ pœnas luit. Sex millia q̃ppe Roma- Romanorũ clades
norum in hoc iniuſto bello iuſtiſſime cæ-
ſa ſunt: reliqui exuti caſtris, armis etiam
p̃ditis, euaſerunt. Nec minus turpis hæc
ſub Metello clades, quã ſub Mancino fu-
it. Quare nunc ſibi hæc tempora loco feli
citatis aſſcribant, ut non dixerim, Hiſpa-
ni tot pulſati fatigatiq; bellis, ſed uel ipſi
ſaltem Romani tam cõtinuis ſubacti cla
dibus, totiesq; ſuperati: ut non exprobrẽ
quot prætores eorum, quot legati, quot
conſules, quot legiones, quantiq; exerci-
tus cõſumpti ſunt. Illud ſolum reuoluo,
quanta fuerit timoris amentia. Miles Ro
manus hebetatus, ut iam ne ad experimẽ
tum quidem belli cohibere pedem, aut
offirmare animum poſſet: ſed mox con-
ſpecto Hiſpano, ſpecialiter hoſtem diffu-
giens, uinci ſe penè prius crederet, quàm
uideri. Quo argumẽto patet, apud utroſ-
que miſera illa tẽpora iudicata, cũ et Hi-
ſpani etſi uincere poterãt, inuiti tñ deſere
rẽt ocia ſua dulcia, & bella externa tolera
rẽt: & Romani quãto impudẽtius alienæ
geti ſeſe ingererẽt, tãto turpi⁹ uincerẽt.

*De monſtroſo puero Romæ nato, De Actnæ eructatione, & bello ſeruili in Sicilia.*
*Caput* V.

Aetnæ flamma

SEruio Fuluio Flacco, & Quinto Cal-
phurnio Piſone cõſulibus Romæ pu-
er ex ancilla natus eſt quadrupes, quadri
manus, oculis quatuor, auribus totidem,
natura uirili duplex. In Sicilia mons Ae-
tna uaſtos ignes eructauit, ac fudit: q tor
rẽtum modo per prona præcipites, pro-
xima quæq; corripientibus exuſſere flam
mis: longinquiora autem fauillis calidis
cum uapore graui latè uolitãtibus, torru-
erunt: quod Siciliæ ſemper uernaculum
genus monſtri, non portendere malũ aſ-
ſolet, ſed inferre. In Bononienſi agro fru-
ges in arboribus natæ ſunt. Igitur in Sici
lia bellum ſeruile ortũ eſt, quod adeo gra
ue & atrox multitudine ſeruorũ, inſtru-
ctu copiarũ & magnitudine uirium fuit,
ut non dicam prætores Romanos, quos
penitus profligauit, ſed cõſules quoq; ter
ruerit. Nam ſeptuaginta millia ſeruorũ,
tum in arma conſpirantium fuiſſe referũ
tur, excepta urbe Meſſana, quæ ſeruos li-
beraliter habitos in pace continuit. Cæ-



terum Sicilia in hoc quoq; miſerior eſt,
quia inſula & nunquam erga ſtatũ ſuum
iuris idonei, nũc tyrannis ſubiecta, nunc
ſeruis: uel illis dominatu improbo exigẽ
tibus ſeruitutem, uel iſtis præſumptione
peruerſa commutãtibus libertatem: ma-
xime quia clauſa undiq; mari, egerere fo
ras non facile poteſt inteſtinum malum.
Viperinam quippe conceptionem perdi
tiõis ſuæ aluit, ſua libidine auctã, ſua mor
te uicturam. In hoc autem ſeruilis tumul
tus excitatus, quanto rarior cæteris, tan-
to truculentior eſt: quia intentione com-
mouetur libera multitudo, ut patriã au-
geat: ſeruilis, ut perdat.

*De Numantia, eiusq; per Scipionem Aphricanum deletione.* *Caput* .VI.

ANno ab urbe condita DC.XX. cũ
maior penè infamia de fœdere a-
pud Numãtiam pacto, q̃ apud Caudinas
quondã furculas pudorẽ Romanæ frõtis
oneraret, Scipio Aphrican⁹ cõſenſu oĩm
ex tribuno cõſul creat⁹, atq; ad expugnan
dã Numãtiã cũ exercitu miſſus ẽ. Numã
tia autẽ citerioris Hiſpaniæ haud procul
à Vacceis et Cantabris in capite Galleciæ

Eutrop. li. 4.

Numantia ubi

Universidad de Deusto Biblioteca



ſita,ultima Celtiberorum fuit. Hæc per annos quatuordecim cum ſolis quatuor millibus ſuorum,quadraginta millia Romanorum non ſolum ſuſtinuit,ſed etiam uicit,pudēdiſq; fœderibus affecit.Igitur Scipio Aphricanus Hiſpaniā ingreſſus, non ilico ſe ingeſſit hoſtibus, ut quaſi incautos circūueniret, ſciens nunquam id genus hominum adeo in ocium corpore atq; animo reſolui,ut nō ipſa qualitate habitudinis ſuæ apparatus aliorum præcelleret, ſed aliquādiu militem ſuum in caſtris uelut in ſcholis exercuit.Et cum partem æſtatis totamq; hyemem,ne attentata quidem pugna trāſegiſſet,ſic quoq; parum propemodum hac profecit induſtria. Nāq; ubi copia pugnandi facta eſt, exercitus Romanus opp̄ſſus impetu Numantinorum,terga conuertit: ſed increpatione & minis obiectantis ſeſe conſulis,manuq; retinētis,tandem indignatus in hoſtem rediit: & quem fugiebat,fugere compulit.Difficilis tūc in relatu fides, & Numantinos fugere, & fugientes uidere Romani. Vnde quāuis Scipio, quia præter ſpem acciderat, lætatus & gloria

*Romanorū & Numantinorū fugiendi uiciſſitudo.*



tus eſſet,tamen ultra bellum aduerſus eos audendum non eſſe, profeſſus eſt. Itaque Scipio inſiſtendum inopinatis prouentibus cenſuit,urbem ipſam obſidione concluſit,& foſſa circundedit, cuius latitudo pedibus decē, altitudo uiginti fuit.Ipſum deinde uallum ſudibus præſtructū, crebris turribus communiuit:ut ſi qua ab irrumpente hoſte in eum tentaretur irruptio,iam non quaſi obſeſſor cum obſeſſo, ſed uerſa uice obſeſſus cum obſeſſore pugnaret.Numantia autem in tumulo ſita, haud procul à flumine Durio,tria millia paſſuū ambitu muri amplexabat̄,quamuis aliqui aſſerant eam & paruo ſitu & ſine muro fuiſſe . Vnde credibile eſt,quia hoc ſpatii cura alendorum cuſtodiendorumq; pecorum,uel etiam exercendi ruris commodo cum bello premerentur,incluſerint, ipſi arcem paruam natura munitam obtinentes.Alioqui tantam paucitatem hominum, tam amplum urbis ſpatium non munire magis, quàm prodere uidebatur. Igitur concluſi diu Numantitini,& fame trucidati,deditionem ſui obtulerunt,ſi tolerabilia iuberētur,ſæpe eti

*Numātiæ obſidio & ſitus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



am orantes iuſtæ pugnæ fa cultatẽ, ut tan quam uiris mori liceret. Vltimo omnes ſubito duab⁹ portis eruperunt, larga pri us potione uſi, non uini, cuius ferax is lo cus non eſt: ſed ſucco tritici partem con fecto, quem ſuccum à calefaciẽdo celiam uocant. Suſcitatur enim illa ignea uis ger minis madefactæ frugis, ac deinde ſicca tur: & poſt in farinam redacta, molli ſuc co admiſcetur, quo fermento ſapor auſte ritatis & calor ebrietatis adiicitur. Hac igitur potione poſt longam famem reca leſcentes, bello ſeſe obtulerũt. Atrox diu certamẽ, & uſq; ad periculum Romano rũ fuit: iterumq; Romani pugnare ſe ad uerſum Numantinos fugiendo probauiſ ſent, niſi ſub Scipiõe pugnaſſent. Numan tini interfectis ſuorum fortiſſimis, bello cedunt: compoſitis tamẽ ordinibus, non ſeparantes ſe, nec ſicut fugiẽtes, in urbem reuertũtur. corpora interfectorum ad ſe pulturam oblata, accipere noluerũt. No uiſſima ſpe deſperationis in mortẽ omẽs deſtinati, clauſam urbem ipſi introrſum ſuccẽderunt, cunctiq; pariter ferro, uene no, atq; igne conſumpti ſunt, Romani ni

*Celia potio.*



hil ex his penitus habuere uictis, præter ſecuritatem ſuam. Neq; enim euerſa Nu mãtia uiciſſe ſe magis Numãtinos, quàm euaſiſſe dixerunt. Vnum Numantinum uictoris catena non tenuit, unde trium phum dederit, Roma non uidit. Aurum uel argentum, quod igni ſupereſſe potuiſ ſet, apud pauperes non fuit. Arma & ue ſtes ignis abſumpſit.

*Rom. exigua uictoria.*

*De Gracchorum ſeditione, Attaliq; regis Pergami legatione. Caput VIII.*

IGitur ea tempeſtate cũ hæc apud Nu mantiam geſta ſunt, apud Romam Gracchorum ſeditiones agitabantur. Sci pio autem cum deleta Numantia, p cæ teras Hiſpaniæ gentes pacem compone ret, Tireſum quendam Celticum princi pem conſuluit, qua ope res Numantina aut prius inuicta duraſſet, aut poſt fuiſſet euerſa, Tireſus reſpondit: Concordia in uicta, diſcordia exitio fuit. quod Romani tanquam ſibi ac de ſe dictum, exempli lo co acceperunt, quippe quibus iam de ſe ditione diſcordantis totius urbis nuncia batur. Carthagine Numãtiaq; deleta, ori tur apud Romanos utilis de prouiſione

*Tireſi reſponſio.*

Universidad de Deusto Biblioteca



collatio, & oritur infamis de ambitione contentio. Gracchus tribunus plebis iratus nobilitati, quòd inter autores Numantini fœderis notatus eſſet, agrum à priuatis eatenus poſſeſſum, populo diuidi ſtatuit. Octauio tribuno plebis obſiſtenti ademit imperiū, & ſucceſſorem Minutium dedit. His cauſis ſenatum ira, populū ſuperbia inuaſit. Ac tunc forte Attalus, Eumenis filius, moriēs, teſtamēto populum Romanum imperio Aſiæ hæredem ſuccedere iuſſerat. Gracchus gratiam populi precio appetēs, legem tulit, uti pecunia quæ fuiſſet Attali, populo diſtribueretur. Obſiſtente Naſica, etiam Pompeius ſpopondit, ſe Gracchum, cum primum magiſtratum adijſſet, accuſaturum.

*Cauſ. ſeditionis.*

*Attalus po. Ro. hæredem ſcripſit.*

*De interitu Gracchi, & bello ſeruili in Sicilia, apud Athenienſes & Delonem.*

*Caput* IX.

GRacchus cum eniteretur, ut ipſe tribunus plebis ſubſequēti anno permaneret, cumq́ comitiorum die ſeditiones populi accēderet, autore Naſica inflāmata nobilitas, fragmentis ſubſelliorum plebem fugauit. Gracchus p̄ gradus, qui-



bus itur ſuper Calphurnium fornicem, detracto amiculo fugiens, ictus fragmento ſubſellij, corruit. Rurſusq́ aſſurgens, alio ictu clauæ cerebro impactæ, exanimatus eſt. Ducenti præterea in ea ſeditione interfecti, eorumq́ corpora in Tiberim proiecta ſunt, ipſius quoq; Gracchi inhumatū cadauer extabuit. Orta præterea in Sicilia belli ſeruilis cōtagio, multas late infecit prouincias. Nam & Minturnis CCCC.L. ſerui in crucem acti, & Sinueſſæ ad quatuor millia ſeruorum à Quinto Metello & Cneo Seruilio Cæpione oppreſſa ſunt. In metallis quoq; Athenienſium idem tumultus ſeruilis ab Heraclito prætore diſcuſſus eſt. Apud Delonem etiam ſerui nouo motu intumeſcentes, oppidanis præuenientibus preſſi ſunt, abſq; illo primo Sicilienſis mali fomite, à quo iſte uelut ſcintillæ emicantes, diuerſa hæc incendia ſeminauit. In Sicilia enim poſt Fuluium conſulem Piſo conſul Mamertium oppidū expugnauit, ubi octo millia fugitiuorū interfecit: quos autem capere potuit, patibulo ſuffixit: cui cum Rutilius conſul ſucceſſiſſet, idem quoque

Universidad de Deusto Biblioteca



*Cædes ſeruorũ.*

Tauromínium & Aetnam firmiſſima fu
gitiuorum refugia bello recepit, ubi am
plius quàm uiginti millia tunc ſeruorum
trucidata referuntur. Miſera profecto ta-
lis belli & inextricabilis cauſa. Pereundũ
utiq; dominis erat, niſi inſoleſcentibus ſer
uis, ferro obuiã iretur. Sed tamẽ in ipſis
quoq; infeliciſſimis damnis pugnæ, & in-
felicioribus lucris uictoriæ, quanti periẽ
re uicti, tantum p̄didere uictores.

*De Romanorum cum Ariſtonico uarijs prælijs. De Ptolemæi regis Alexãdrinorum flagitijs, & Antiocho à Phraate uicto. Deq; Aetnæ & Liparæ incendijs.* Caput X.

*Craſſus contra Ariſtonicũ Attali fratrem.*

ANno ab urbe cõdita DCXXII. Pu
blius Licinius Craſſus cõſul & põ
tifex maximus, aduerſus Ariſtonicũ Atta
li fratrem, qui traditam per teſtamẽtum
Romanis Aſiam p̄uaſerat, cũ inſtructiſſi
mo miſſus exercitu: præterea magnis re
gibus, hoc eſt, Nicomede Bithyniæ, Mi-
thridate Ponti & Armeniæ, Ariarate
Cappadociæ, Philomene Paphlagoniæ,
eorumq; maximis copijs adiutus, conſer
to tamen bello uictus eſt: & cum exercitu
poſt plurimam cædem in fugã acto, ipſe



iam circumuentus ab hoſtibus, & penẽ ca
ptus eſſet, uirgã, qua erat uſus ad equum,
in oculum Thracis impegit. Barbarus *Craſſi interitus.*
autem cum ira & dolore exarſiſſet, latus
Craſſi gladio tranſuerberauit. Ita ille ex-
cogitato genere mortis, effugit & dede-
cus & ſeruitutem. Perpenna conſul, qui
Craſſo ſucceſſerat, audita morte Craſſi &
clade exercit⁹ Romani, raptim in Aſiam
p̄uolauit. Ariſtonicum recenti uictoria fe
riantem, improuiſo bello adortus, nuda-
tumq; omnibus copijs, in fugam uertit.
Cumq; Stratonicen urbem, ad quam ille
cõfugerat, obſidiõe cinxiſſet, trucidatum
fame ad deditionem coegit. Perpẽna con
ſul apud Pergamum correptus morbo,
diem obijt. Ariſtonicus uero ductus Ro-
mam, iuſſu ſenatus in carcere ſtrangula-
tus eſt. Eodem anno Ptolemæi Alexan-
drinorum regis uita miſera, miſeriorem
uitæ exitum dedit. Is enim ſororẽ ſuam
ſtupro cognitam, ac deinde in matrimo-
nio receptã, nouiſſime turpius quàm du-
xit, abiecit. Priuignam uero ſuam, hoc eſt,
filiam ſororis & coniugis, coniugem aſci
uit; filiumq; ſuum, quem ex ſorore ſuſce-

Universidad de Deusto Biblioteca



perat, necnon & filiũ fratris, occidit. Quã obrem tantis inceſtis parricidiisq; execra bilis, ab Alexandrinis regno pulſus eſt. Iiſ dẽ temporibus Antiochus nõ contentus Babylonia atq; Ecbatana, totoq; Mediæ imperio, aduerſus Phraatem Parthorum regem congreſſus & uictus eſt. Qui cum in exercitu ſuo * trecenta millia armato- rum habere uideretur, * centum millia amplius calonum atq; lixarum immixta ſcortis & hiſtrionibus trahebat. Itaq; faci le cum uniuerſo exercitu ſuo Parthorum uiribus oppreſſus interiit. Caio Sem- pronio Tuditano, & Marco Acilio Capi tone coſs. Publium Scipionem Aphrica- num pridie ꝓ concione de periculo ſalu- tis ſuæ conteſtatum, quod ſibi ꝓ patria la boranti ab improbis & ingratis denunci ari cognouiſſet, alio die mane exanimem in cubiculo ſuo repertum, non temere in ter maxima Romanorum mala recenſu erim: præſertim cum tantum in ea urbe Aphricani uigor & modeſtia ualeret, ut facile uiuo eo, neq; ſociale neq; ciuile bel- lum poſſe exiſtere crederetur. Hunc qui- dam uxoris ſuæ Semproniæ, Gracchum

*Ptolemæ. regno pulſus. An tioch. uictus.*

**centum *ducenta*

*Scipionis Aphri. exitus.*



autem ſororis dolo necatum ferũt, ne ſce lerata (ut credo) familia, atq; in pniciem patriæ ſuæ nata, inter impias ſeditiones uirorum, non etiã facinoribus mulierum eſſet immanior. Marco Aemilio & Lu cio Oreſte conſulibus, Aetna uaſto tremo re concuſſa, exundauit igneis globis. Rur ſusq; alio die Lipara inſula, & uicinũ cir- ca eam mare intantum efferbuit, ut adu- ſtas quoque rupes diſſoluerit, tabulata na uium liquefactis ceris extorruerit, exa- nimatos piſces ſupernatanteſque exco- xerit: homines quoque, niſi qui longius potuere diffugere, reciprocato anhelitu calidi aeris aduſtis introrſum uitalibus, ſuffocarit.

*Aetna flã mas euo- mit. Liparæ inſulæ ad uſtio.*

*De ingenti ac pernicioſa ui locuſtarũ in Aphri ca, quarum interitu infectioneq; horrenda ac inaudita peſtis orta.*

*Caput XI.*

MArco Plautio Hipſeo, & Marco Fuluio Flacco cõſulibus, uixdum Aphricam à bellorum excidiis quieſcen- tem, horribilis & inuſitata perditio con- ſecuta eſt. Nanq; cum per totam Aphri-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cam immenſæ locuſtarum multitudines coaluiſſent,& non modo iam ſpem cunctam frugum abraſiſſent, herbasq́; om̃es cum parte radicum, & folia arborũ cum teneritudine ramorum conſumpſiſſent, uerumetiam amaros cortices atq; arida ligna perroſiſſent,repentino arreptæ uento,atq; in globos coactæ,portatæq; diu ꝑ aerẽ, Aphricano pelago immerſæ ſunt. Harum cum immenſos aceruos lõge undis urgẽtibus fluctus per extenta late littora propuliſſent, tetrum nimis atq; ultra opinionem peſtiferum odorem,tabida & putrefacta congeries exhalauit: unde omnium pariter animãtium tanta peſtilentia cõſecuta eſt,ut auium, pecudum ac beſtiarum corruptione aëris diſſolutarum,putrefacta paſſim cadauera,uitium corruptionis augerent. At uero quanta fuerit hominum lues, ego ipſe dum refero, toto corpore perhorreſco : ſiquidem in Numidia in qua tũc Micipſa rex erat, octingenta millia hominum: circa oram uero maritimam,quæ maxime Carthaginienſi atq; Vticenſi littori adiacet,plus q̃ ducenta millia periſſe traditũ eſt. Apud

*Peſtis horrẽda à locuſtis orta.*



ipſam uero Vticam ciuitatẽ triginta millia militũ,quæ ad præſidiũ totius Aphricæ ordinata fuerant, extincta atq; abraſa ſunt.Quæ clades tam repentina ac tam uiolenta inſtitit, ut tunc apud Vticam ſub una die ꝑ unam portã ex illis iunioribus plus quàm M. D. mortuos elatos fuiſſe narretur . Veruntamen pace & gratia omnipotentis dei dixerim, de cuius miſericordia & in cuius fiducia hæc loquor: quamuis & temporibus noſtris exoriantur aliquando,& hoc diuerſis partibus locuſtæ,& plerunq; etiam,ſed tolerabiliter lædant,nunquam tamen tẽporibus Chriſtianis tanta uis inextricabilis mali accidit,ut ꝑnicies locuſtarum, quæ nullo modo ferri uiua potuiſſet,mortua plus noceret:& qua diu uiuente,peritura erãt oĩa, ea perdita, pereuntibus magis omnibus optandum fuerit,ne periret.

*Quod Romani Carthaginẽ iuſſerint reſtitui. De prodigio præcedente. De C. Gracchi excitatis ſeditionibus,& interitu.* Ca. XII.

ANno ab urbe cõdita ſexcenteſimo, XXVII. Lucio Cæcilio Metello, & Quinto Titio Flaminio coſſ. Carthago

Universidad de Deusto
Biblioteca



in Aphrica reſtitui iuſſa, uigeſimo & ſe-
cundo demum anno, quàm fuerat euerſa,
deductis ciuium Romanorum familijs,
quæ eam incolerent, reſtituta & repleta
eſt, magno antè prodigio præcedēte. Nā
cum menſores ad limitandum Carthagi
nienſem agrū miſſi, ſtipites terminorum in-
dices fixos, & nocte à lupis reuulſos mor
dicus corroſosq́ue reperiſſent, aliquandiu
hæſitatum eſt, utrum Romanæ paci expe
diret, Carthaginē reformari. Eodem
anno Caius Gracchus, Gracchi illius qui
iam occiſus in ſeditione fuerat, frater, tri-
bunus plebis per tumultum creatus, ma-
gna reipublicæ pernicies fuit. Nam cum
ſæpe populum Romanum largitionibus
promiſſisq́ue nimijs in acerbiſſimas ſeditio
nes excitauiſſet, maxime legis agrariæ cau
ſa, pro qua etiam frater eius Tiberius Grac
chus fuerat occiſus, tandem à tribunatu,
Minutio ſucceſſore, deceſſit. Minutius tri
bunus plebis cum maxima ex parte deceſ
ſoris ſui Gracchi ſtatuta conuulſiſſet, le-
gesq́ue abrogaſſet, Caius Gracchus cū Ful
uio Flacco ingenti ſtipatus agmine, Capi
tolium ubi concio agitabatur, aſcendit.

*Prodigiū ante reſtitutā Carthaginem uiſum.*

*Gracchus reipub. pernicies.*



Ibi maximo tumultu excitato, quidā præ
co à Gracchanis interfectus, uelut ſignum
belli fuit. Flaccus duobus filijs armatis
cinctus, comitante etiam Graccho toga-
to, breuemq́ue gladium ſub ſiniſtra occul-
tante, quamuis & præconem fruſtra præ
miſiſſet, qui ſeruos ad libertatem uocaret,
*Ianum tanquam arcem occupauit: con- **Ianium.*
tra quem Decius Brutus uir conſularis à
cliuo Publicio cum ingenti certamine ir
ruit. Ibi Flaccus diu obſtinatiſſime dimica
uit. Gracchus poſtquam in templum Mi
neruæ ſeceſſerat, gladio incūbere uolens,
interuentu lictoris retentus eſt. Itaque cum
diu anceps bellum agitaretur, tandem ſa
gittarij ab Opimio miſſi, conſertam mul
titudinem diſturbauerunt. Duo Flacci pa
ter filiusq́ue cum per ædem Lunæ in do-
mum priuatam deſiluiſſent, foresq́ue obie-
ciſſent, reſciſſo cratitio pariete, confoſſi
ſunt. Gracchus diu pro ſe amicis pugnan
tibus ac pereūtibus, ægre ad pōtem ſubli-
cium peruenit: ibique ne uiuus caperetur,
ceruicē ſeruo ſuo præbuit. Caput Grac-
chi exciſum, cōſuli allatum eſt, corpus ad
Corneliam matrem Miſenum oppidum

Universidad de Deusto Biblioteca



*Cornelia mater Gracchi.*

deuectum eſt. Hæc autẽ Cornelia Aphricani maioris filia, Miſenum, ut dixi, prioris filij morte ſeceſſerat. Bona Gracchi publicata ſunt. Flaccus adoleſcens in robore necatus eſt. Ex factione Gracchi, ducenti quinquaginta in Auentino monte cæſi referuntur.

*Opimij crudelitas.*

Opimius conſul ſicut in bello fuit fortis, ita in quæſtione crudelis. Nã amplius quàm tria millia hominum ſupplicijs necauit: ex quibus plurimi, ne dicta quidem cauſa, innocentes interfecti ſunt.

*Baleares inſulas à Metello ſubactas, Allobroges à Domitio uictos fuiſſe, Aetnamq; rurſus exarſiſſe.* *Caput XIII.*

Iſdem temporibꝰ Metellus Baleares inſulas bello peruagatus edomuit, & piraticam infeſtationem, quæ ab iſdem tunc exoriebatur, plurima incolarum cæde cõpreſſit. Cneus quoq; Domitius proconſul, Allobroges Gallos iuxta oppidum Vindalium grauiſſimo bello uicit, maxime cum elephantorum noua forma equi hoſtium, hoſteſq; conterriti, diffugiſſent. uiginti M. ibi Allobrogum cæſa referuntur, tria millia capta ſunt. Eodem tempore Aetna mons ultra ſolitum exarſit,



& torrentibus igneis ſuperfuſis lateq; circũfluentibus, Catanam urbem fineſq; eius oppreſſit, ita ut tecta ædium calidis cineribꝰ præuſta & prægrauata corruerẽt: cuius leuãdæ cladis cauſa, ſenatus decem annorum uectigalia Catanenſibus remiſit.

*Fabius conſul Bituitum regem Aruernorum, magnis copijs inſtructum, cum paucis fudit. Qu. Martius alios Gallos fudit.*

*Caput XIIII.*

Anno ab urbe cõdita DC.XXVIII. Fabius conſul Bituito regi Aruernorum Galliæ ciuitatis bellum maximo inſtructu comparanti, adeo cum paruo exercitu occurrit, ut Bituitus paucitatem Romanorum uix ad eſcam canibus, quos in agmine habebat, ſufficere poſſe iactaret. Qui cum ſibi ad transferendas copias, unum pontem Rhodani fluminis parum eſſe intelligeret, alium compactis lyntribus cateniſq; connexum, ſuperſtratis confixiſq; tabulis inſtruit. Conſerta pugna, & diu grauiter agitata, uicti Galli: conuerſiq; in fugam, dum quiſque ſibi timet, coaceruatis incõſulte agmi

Universidad de Deusto Biblioteca



nibus,& præpropero tranſitu pontis uincula ruperunt, ac mox cũ ipſis lyntribus merſi ſunt. Centũ octoginta millia armatorũ in exercitu Bituiti fuiſſe tradũtur,ex quib⁹ centũ · quinquaginta millia uel cæſa uel merſa ſunt. Quintus Martius cõſul Galloꝝ gentẽ ſub radice alpiũ ſitam, bello aggreſſus eſt:qui cum ſe Romanis copiis circũſeptos uiderẽt, belloq; impares fore intelligerẽt,occiſis coniugibus ac liberis,in flãmas ſeſe proiecerũt. Qui uero præoccupantibus Romanis peragendæ tunc mortis ſuæ copiam non habuerant, captiq; fuerãt,alij ferro,alij ſuſpẽdio, alij abnegato cibo ſeſe cõſumpſerũt:nullusq; omino uel paruulus ſupfuit,qui ſeruitutis conditionẽ uitæ amore toleraret.

*Cæſi & merſi Galli.*

** ſexaginta.*

*De bello Iugurthino, in quo Romani uarie cũ Iugurtha rege Numid. pugnarunt.*

*Caput XV.*

632. ANno ab urbe cõdita DC·XXXV. Publio Scipione Naſica, & Lucio Calphurnio Beſtia conſulibus,Iugurthæ Numidarum regi bellum conſenſu populi Romani ſenatus indixit. Sed ego de Iugurtha ordinis tantum loco, & cauſa



commemorationis breuiter perſtrinxerim: quia ut de natura eius uaria atq; intolerabili,ita & de rebus tã doloſe,quàm ſtrenue geſtis, propter opimam ſcriptorum luculentiam ſatis ſufficiens apud omnes notitia eſt. Igitur Iugurtha Micipſæ Numidarũ regis adoptiuus, hæreſq; inter naturales eius filios factus,primũ cohæredes ſuos,id eſt, Hiempſalem occidit, Atherbalem bello uictum, Aphrica expulit. Calphurnium inde conſulem aduerſum ſe miſſum,pecũia corrupit, atq; ad turpiſſimas cõditiones pacis adduxit. Præterea cũ Romã ipſe ueniſſet,omnib⁹ pecunia aut corruptis, aut attentatis,ſeditiones diſſenſiõesq; permiſcuit: quã cum egrederetur, infami ſatis notauit elogio, dicẽs: O urbem uenalem & mature perituram,ſi emptorem inuenerit. In ſequenti anno Aulum Poſthumium,Poſthumij conſulis fratrem,quẽ is quadraginta millibus armatorum exercitui præfecerat, apud Calamam urbem theſauris regijs conditis inhiatem, bello oppreſſit: cuiq; uicto ignominioſiſſimum fœdus exegit, uniuerſam pene Aphricã à Romanis de-

*Iugurthæ de Roma elogium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ficientem,regno ſuo iunxit.Poſtea tamen
Metelli conſulis integritate & diſciplina
coercitus,duobꝰ etiam prælijs uictus,ui-
dit præſente ſe & uaſtari Numidiam ſu-
am, & non poſſe defendi:à quo ad dediti
onem coactus, CCC. obſides dedit, fru-
mentum atq; alios commeatus perſolutu
rum ſeſe ſpopondit, tria millia amplius
perfugarum reddidit.Exin cum incertus
in pace improbos non prohiberet excur
ſus,Caij Marij conſulis, non minore pe-
ne quàm ipſe præditus erat aſtutia, Ro-
maniſq; uiribus fractꝰ eſt:maxime poſt-
quam Marius urbem Capſam ab Hercu
le Phœnice(ut ferūt)conditā,regijs tunc
theſauris confertiſſimam,dolo circunue-
nit & cepit.Diffidens deinde & proprijs
*Bocchus Iugurthæ ſocius.*
rebus & uiribus Iugurtha, ſocietatē cum
Boccho Maurorū rege fecit:cuius equita
tu in immenſum auctus,Marianum exer
citum creberrimis incurſionibus fatiga-
uit.Poſtremo apud Cirtam urbem anti-
quam Maſiniſſæ regiam, aduerſum Ro-
manos expugnationem eius parantes,ſe-
xaginta millibꝰ equitū inſtructus occur-
rit, Nūquam ulla Romano militi tumul



tuoſior pugna & terribilior fuit,adeo ut
*Pugnæ terribilis.*
diſcurſu & fremitu circuncurſantium &
impetentium equitum ſuſcitatus puluis,
cælum ſubtexuerit, diem ademerit, no-
ctemq; obduxerit:tantus autem telorum
nimbus ingruerit,ut nulla pars corporis
ab ictu tuta eſſet: quippe quibus & uiſus
ad proſpiciendum impedimento caligi-
nis, & expeditio ad cauēdum compreſſi-
onē multitudinis deerat. Nec laborabat
eques Maurus ac Numida,ut bene collo
catum hoſtem opportuno teli impetu ri
maretur,ſed potius in incertum pila mit
tebant,certi quod uulnera incerta non eſ
ſent.Ita coacti in unum Romani pedites
denſabantur.Intercapedinem tanti peri-
culi nox interueniens dedit.Eadem poſte
ra die & belli & periculi facies erat. Erū-
pere in hoſtē,quamuis ſtricto miles gla-
dio non ualebat:eminus enim iaculis re-
pellebatur.Fugere non poterat,undique
enim uelocior ad perſequendum eques
incluſerat.Iam tertia dies illuxerat,& nul
lum undecunq; ſuffragium, dira undiq;
mortis facies obijciebatur:tandem Mari
us conſul forti deſperatione ſpei uiam fe-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cit,& cum uniuerſo ſimul agmine proru
pit é uallo, campoq; ſeſe ſimul & prælio
dedit. Et cum iterũ circunfuſi hoſtes non
ſolum agminis extrema laniarent, uerum
etiã media excuſſis procul telis cæderẽt:
turbatosq; Romanos inſuper etiam æſtus
ſolis, intolerantia ſitis, mortis circunſtan
tia, uſq; ad extremum deſperationis deſa
tigarent, ſubito notũ illud Romanorum
Inſperata pluuia ſitientibus Romanis ſubuenit. aduerſus Aphros tempeſtatũ imbriumq;
ſuffragium cælo miſſum, inſperatæ ſaluti
fuit: ſiquidem repentina pluuia ſitiẽtibus
Romanis & æſtuantibus refrigerium po
tumq; præbuit. Porro autem Numidis
haſtilia telorum, quæ manu intorquere ſi
ne amentis ſolent, lubrica ac per hoc in-
utilia reddidit. Scuta etiam, quæ elephan
ti corio extento atq; durato habilia & tu-
ta geſtabant, cuius ea natura eſt, ut acce-
ptum imbrem, tanquam ſpongia ebibat,
ac ꝑ hoc intractabile repentino pondere
fiat, quia circunferri non poterant, defen
dere nequiuerunt. Ita ex inſperato contur
batis deſtitutisq; Mauris ac Numidis,
Bocchus & Iugurtha fugerunt. Poſt hoc
XC. LX. millia armatorum nouiſſimo bello



ab iiſdem regibus obiecta, hæc quoq; uſ-
que ad internecionem Romanis uincẽti-
bus cæſa referũtur. Ex eo Bocchus ſpem
belli abiiciens, pacem petiuit: atq; in pre
cium pacis, Iugurtham dolo captum, ca-
tenisq; obrutum, per Syllam legatũ mi-
ſit ad Marium: qui in triumpho ante cur
rum cum duobus filijs ſuis actus, mox in
carcere ſtrangulatus eſt. Iiſdẽ diebus ob-
ſcœnum prodigiũ ac triſte uiſum eſt: Lu Prodigiũ
cius Aelius eques Romanus cum uxore
& filia, Roma in Apuliam rediens, tem-
peſtate correptus eſt: qui cum filiam cõ-
ſternatam uideret, ut citius propioribus
tectis ſuccederent, relictis uehiculis, arre-
ptisq; equis, filiam uirginẽ equo inſiden
tem, in medium agmẽ accepit. Puella ue
ro continuo ictu fulminis exanimata eſt.
Sed omĩbus ſine ſciſſura aliqua ueſtimen
tis ademptis, ac pectoris pedumq; uincu
lis diſſolutis, monilibus etiam annulisq;
diſcuſſis, ipſo quoq; corpore illæſo, niſi
quod obſcœnum in modum nuda, & lin
gua paululum exerta iacuit: equus quo-
que ipſe quo utebatur, ſtraturis, frenis &
cingulis diſſolutis paſſim ac diſperſis, ex-

Universidad de Deusto Biblioteca



animis procul iacuit. Poſt hoc paruo interceſſu tẽporis, Lucius Veturius eques Roman' Aemiliam uirginem Veſtalem furtiuo ſtupro polluit. Duas ꝑterea uirgines Veſtales eadem Aemilia ad participationem inceſti ſolicitatas, contubernalib' ſui corruptoris expoſuit ac tradidit. Indicio per ſeruum facto, ſupplicium de omnibus ſumptum eſt. Iiſdem præterea Iugurthini belli temporibus, Lucius Caſſius conſul in Gallia Tigurinos uſque ad oceanũ perſecutus, rurſumq́ ab eiſdem inſidijs circumuentus, occiſus eſt. Lucius quoque Piſo uir conſularis, legatus Caſſij cõſulis, interfectus. Caius P. alter legatus, ne reſidua exercitus portio quæ in caſtra confugerat, deleretur, obſides & dimidiam partem rerum omniũ Tigurinis turpiſſimo fœdere dedit: qui Romam reuerſus, à Cælio tribuno plebis die dicta, eo quod Tigurinis obſides dederat, in exilium profugit. Cæpio proconſul, capta urbe Gallorum, cui nomen eſt Toloſæ, centum M. ponderis auri, & argẽti CX. M. è templo Apollinis ſuſtulit: quod cum ad Maſſiliam amicam populo Romano ur-

*Virgines Veſtales ſtupratæ.*

*Auri & argenti multitudo.*



bem cum præſidijs miſiſſet, interfectis clàm (ſicut quidam conteſtantur) quibus ea cuſtodienda & peruehenda commiſerat, cuncta per ſcelus furatus fuiſſe narratur: unde etiam magna quæſtio poſt Romæ acta eſt.

*De bello Romanorũ aduerſus Cimbros, Teutonas, aliaſq; gentes geſto, ubi & uarie utrinq; pugnatum, ſed Marij induſtria Romani ſuperarunt: Caput XVI.*

ANno ab urbe cõdita ſexcenteſimo quadrageſimoſecũdo, Caius Manlius & Quintus Cæpio ꝓconſules, aduerſus Cimbros & Teutones & Tigurinos & Ambronas Gallorum & Germanorum gentes, quæ tunc, ut imperium Romanum extinguerent conſpirauerãt, miſſi, ꝓuincias ſibi Rhodano flumine medio diuiſerunt. Vbi dum inter ſe grauiſſima inuidia & contentione diſceptant, cũ magna ignominia & periculo Romani nominis uicti ſunt: ſiquidẽ in ea pugna Marcus Aemilius cõſularis captus atq; interfectus eſt. Duo filij conſulis cæſi, octoginta millia Romanorũ ſociorumq; ea tempeſtate trucidata, quadraginta millia calo

*Cæſi Romani.*

Universidad de Deusto Biblioteca



num atq; lixarum interfecta Antias ſcribit. Ita ex omni penitus exercitu decẽ tantummodo homines, qui miſerum nuncium ad augendas miſerias reportarent, ſuperfuiſſe referuntur. Hoſtes binis caſtris atq; ingenti præda potiti, noua quadã atque inſolita execratione cuncta quæ ceperant, peſſundederunt. Veſtis diſciſſa & proiecta eſt, aurum argẽtumq; in flumẽ abiectum, loricæ uirorum cõciſæ, phaleræ quoq; equorũ *diſpditæ, equi ipſi gurgitibus immerſi, homines laqueis collo inditis ex arboribus ſuſpenſi ſunt, ita ut nihil prædæ uictor, nihil miſericordiæ uictus agnoſceret. Maximus tunc Romæ non ſolum luctus, uerumetiam metus fuit, ne confeſtim Cimbri alpes tranſgrederentur, Italiamq; delerent. Iiſdem temporibus Quintus Fabius Maximus filium ſuum adoleſcentem rus relegatum, cum duobus ſeruis parricidij miniſtris interfecit, ipſoſq; continuo ſeruos in precium ſceleris manumiſit. Die dicta, Cneo Pompeio accuſante, damnatus eſt. Igitur Marius quarto conſul, cum iuxta Iſaram Rhodanumq; flumina, ubi in ſeſe confluunt,

*diſpartitæ,

*Fabij Maximi parricidium.*



caſtra poſuiſſet, Teutones, Cimbri, & Tigurini & Ambrones, poſtquam cõtinuo triduo circa Romanorum caſtra pugnarunt, ſi quo pacto eos excuterent uallo, atque in æquor effunderent, tribus agminibus Italiam petere deſtinarunt. Marius poſt digreſſum hoſtium caſtra mouit, & collem occupauit: qui cãpo & fluuio, ubi hoſtes ſeſe diffuderãt, imminebat. Cumq; exercitui eius aqua ad potandum deeſſet, querelisq; omnium coargueret, aquam quidem in conſpectu eſſe reſpondit, ſed eam ferro uendicandam. Primis itaq; calonibus cum clamore in pugnam ruentibus, ſubſecutus exercitus, mox iuſto certamine compoſitis ordinibus, bellum geſtum eſt, & uicere Romani. Quarto die rurſus productæ utrinq; in campum acies, uſq; ad meridiem penè pari pugnauere diſcrimine. Pòſt ubi incaleſcente ſole, fluxa Gallorum corpora in modum niuium diſtabuerunt, uſq; in noctẽ cædes potius quàm pugna protracta eſt. Ducenta millia armatorum in eo bello interfecta ſunt, octoginta millia capta, uix tria millia fugiſſe referuntur. Dux quoq; eorum

*Tigurini & Ambrones à Mario uincũtur*

*Cæſi & capti*

Eutro.
Teutanio dus.

Teutobodus occiſus eſt. Mulieres eorum conſtãtiore animo quàm ſi uiciſſent, conſuluerunt conſulem, ut ſi inuiolata caſtitate, uirginibus ſacris ac dijs ſeruiendum eſſet, uitam ſibi reſeruarent. Itaque cum petita non impetraſſent, paruulis ſuis ad ſaxa illiſis, cunctæ ſeſe ferro ac ſuſpendio peremerunt. Hæc de Tigurinis & Ambronibus geſta ſunt.

Teutones & Cimbri à Mario uincũtur.

Teutones autem & Cimbri integris copiis alpium niues emenſi, Italiæ plana peruaſerunt: ibiq; cum rigidum genus diu blandioribus auris, poculis, cibis ac lauacris emolliretur, Marius quinto conſul & Catulus aduerſum eos miſſi, die ad pugnam & cãpo dato, Annibalis ſecuti ingenium, in nebula diſpoſuere pugnam, in ſole pugnarunt. Prima ſiquidem perturbatio Gallorũ fuit, quod Romanam aciem prius offendere diſpoſitam, quàm adeſſe ſenſerunt. Cumq; ilicò uulnerati equites retro in ſuos cogerẽtur, totamq; multitudinem indiſpoſite adhuc aduentantem conturbarent, & ſol cum uẽto ortus ex aduerſo emicuiſſet, uiſus eorum puluis oppleuit, & ſplendor hebetauit. Ita



factum eſt, ut tanta ac tam terribilis multitudo, minima Romanorum clade, ſua autẽ ultima internecióe cæderetur. Centum quadraginta millia eorũ tunc in bello cæſa, quadraginta millia capta dicuntur.

Cimbrorum mulierum pugna.

Mulieres grauiorem pene excitauere pugnam, quæ plauſtris in modum caſtrorum circum inſtructis, ipſæ autem deſuper pugnãtes, diu repulere Romanos. Sed cum ab his nouo cædis genere terrerentur (abſciſſis enim cum crine uerticibus, inhoneſto ſatis uulnere turpes relinquebantur) ferro quod in hoſtẽ ſumpſerant, in ſe ſuosq; uerterũt. Nanq; aliæ concurſu mutuo iugulatæ, aliæ apprehenſis inuicẽ faucibus ſtrangulatæ, aliæ funibus per equorũ crura cõſertis, ipſisq; cõtinuo equis extimulatis, poſtq̃ ſuas ijſdem funibus, quib' equorũ crura nexuerãt, indidere ceruices, ptractæ atq; exanimatæ ſunt, aliæ laqueo de * ſubrectis plauſtrorũ temonibus pependerunt. Inuenta eſt etiam quædam, quæ duos filios, traiectis p colla eorũ laqueis, ad ſuos pedes uinxerit: & cũ ſeipſam ſuſpendio morituram dimiſiſſet, ſecum traxerit occidendos. Inter hæc

*ſubiectis

Universidad de Deusto Biblioteca



multa & miſerabilia mortis genera, reguli quoque duo ſtrictis in ſe gladijs cócurriſſe referũtur. *Lugius* Lucius & Boiorix reges in acie ceciderunt. Claudius & Ceſorix capti ſunt. Ita in his duob⁹ prælijs trecenta quadraginta millia Gallorum occiſa, & cẽtum quadraginta millia capta ſunt, abſq; innumera mulierum multitudine, quæ ſe ſuoſq; paruulos fœmineo furore, ui autem uirili necauerunt. Igitur talem Marij triumphum Romanamq; uictoriam incredibile facinus, & nunquam antea Romanis cognitum, Romæ ſubito perpetratum, uerſa in horrorem ac mœrorem tota urbe, fuſcauit. Publicius quidam Malleolus, ſeruis annitentibus, matrem ſuam interfecit. Damnatus parricidij, inſutuſq; culeo, in mare proiectus eſt: impleueruntq; Romani facinus & pœnam, unde Solon Athenienſis decernere non auſus fuerat, dum fieri poſſe non credidit: & Romani qui ſe ortos à Romulo ſcirent, etiam hoc fieri poſſe intelligentes, ſupplicium ſingulare ſanxerunt.

*Claudius (alias Claodicus) & Ceſorix.*

*De ingenti Romæ ſeditiõe, autoribus L. Apuleio Saturnino, C. Mario, cæteriſq; orta.*



*Caput* XVII.

Anno ab urbe condita DC. XLVI. poſt Cimbricum & Teutonicum bellum & quintum Marij conſulatum, quo ſtatus imperij Romani iure conſeruatus iudicatur, conſulatu ſexto eiuſdem Caij Marij ita labefactatus eſt, ut penè uſque ad extremum inteſtina clade conciderit. Euoluere ac percurrere mihi diſcordiarum ambages & inextricabiles ſeditionum cauſas, incommodum ſimul ac longum uidetur. ſane breuiter ſtrinxiſſe ſufficiat, quod primus Lucius Apuleius Saturninus excitati tumultus autor extiterit, Quinto Metello Numidico, uiro ſane primario acerrimus inimicus, q eum cenſorem creatum protractum domo, atq; in Capitoliũ fugientem armata multitudine obſedit, unde equitum Romanorum indignatione deiectus eſt, plurima ante Capitolium cæde facta. Au. Numiſium deinde competitorem ſuum Saturninus & Glaucia, fraude Caij Marij coſ. occiderunt. Subſequente anno Marius ſexto coſ. & Glaucia prætor, & Saturninus tribunus plebis conſpirauerunt, Me-

*Quare Marius, tertius urbis conditor, dictus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



tellum Numidicum in exiliũ quacunque ui agere. Die dicta, à ſuppoſitis eiuſdẽ factionis iudicibus per ſcelus, innocẽs Metellus damnatus, in exilium cum totius urbis dolore diſceſſit. Idẽ Saturnin⁹ Memmium uirum acrem & integrũ, fieri conſulem timens, orta ſubito ſeditione fugientem, p Publ. Metium ſatellitem informi ſtipite comminutum interfecit. Frementè pro tãtis reipubl. malis ſenatu populoq; Romano, Marius coſ. accommodato ad tempus ingenio, conſenſui bonorum ſeſe immiſcuit, cõmotamq; plebem leni oratione ſedauit. Saturninus infamibus auſibus concionem domi ſuæ habuit, ibiq; ab aliis rex, ab aliis imperator eſt appellatus. Marius manipulatim plebe deſcripta, alterum conſulem cum præſidiis in colle diſpoſuit, ipſe portas communiuit. In foro prælium commiſſum eſt. Saturninus à Marianis foro pulſus, in Capitolium confugit. Marius fiſtulas quibus eò aqua deducebatur, incidit. Bellum deinde in aditu Capitolii horridũ ſatis actũ eſt, multiq; circa Sauſeiũ & Saturninum cæſi. Saturninus palàm calamitãs, Mari-

*Metellus in exiliũ miſſus.*

*Præliũ in foro com miſſum.*



um autorem eſſe omnium molitionum ſuarum conteſtatus eſt. Cum autem ipſe Saturnin⁹ & Sauſeius & Labienus cogente Mario, in curiam confugiſſent, p equites Romanos effractis forib⁹, occiſi ſunt. Caius Glaucia extractus è domo Claudii, trucidatus eſt. Furius tribunus plebis bona omnium publicanda decreuit. Cn. Dolabella Saturnini frater, per forũ olitorium fugiens, cum Lucio *Leganio interfectus eſt. Itaq; autoribus tantæ ſeditionis occiſis, quies populo fuit. Tunc Cato atq; Pompeius rogationẽ de reditu Metelli Numidici totius urbis gaudio promulgarunt: quod ne perficeretur, Marii cõſulis & Furii tribuni plebis factiõibus interceſſum eſt. Rutili⁹ quoq; uir integerrim⁹, adeo fidei atq; innocẽtiæ conſtantia uſus ẽ, ut die ſibi ab accuſatorib⁹ dicta, uſq; ad cognitionẽ neq; capillũ barbàmue pmiſerit, neq; ſordida ueſte humilive habitu ſuffragatores cõciliarit, inimicos permulſerit, iudices tẽperarit, orationẽ quoque à ptore cõceſſam, nihilo ſummiſſiorẽ q̃ animũ habuerit. Cũ euidenti oppugnaret calumnia, & opinione bonorum

**Gigan.*

*Rutilii integritas.*

Universidad de Deusto Biblioteca



omnium iure abſoluendus putaretur, pᵉ-iurio iudicum condēnatus eſt: qui Smyrnam commigrans, literarum ſtudijs intentus conſenuit.

*De ſociali bello, quo Liuius Druſus Latinos omnes in bellum illexit: Italiciq; populi à Romanis deficientes, rebellarunt. Interim de prodigijs uarijs.* Caput XVIII.

ANno ab urbe cōdita ſexcenteſimo LIX. Sexto Iulio Cæſare, & Lucio Martio Philippo cōſulibus, inteſtinis cauſis ſociale bellum totam commouit Italiam. ſiquidē Liuius Druſus tribunus plebis, Latinos oēs ſpe libertatis illectos, cum placita explere non poſſet, in arma excitauit: quo acceſſit, ut mœſtā urbem prodigia dira terrerent. Nam ſub ortu ſolis globus ignis à regione ſeptentriōis cū maximo cæli fragore emicuit. Apud Aretinos cum panes per conuiuia frangerentur, cruor è medijs panibus, quaſi è uulneribus corporum fluxit. Præterea per ſeptem continuos dies grando lapidum, immixtis etiā teſtaꝝ fragmētis, terrā latiſſime uerberauit. In Sānitibus uaſtiſſimo hiatu terræ, flāma ꝓrupit, & uſ-

*Prodigia*



que in cælum extendi uiſa eſt. Complures ꝑterea in itinere uidere Romani globum coloris aurei, cælo ad terram deuolui: maioremq́ꝫ factum, rurſus à terra in ſublime ad orientem ſolem ferri, ac magnitudine ſua ipſum ſolē obtexiſſe. Druſus tantis malis anxius, domi ſuæ, incerto quidem autore, interfectus eſt. Igitur Picentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, Samnites & Lucani, cum adhuc occultam defectionem meditarentur, Caium Seruium prætorem legatū ad ſe miſſum, apud Aſculum occiderunt: ſtatimq́ꝫ clauſa ciuitate, omnes ciues Romanos indicta cæde iugulauerunt. Continuo atrociſſimam pniciem infamiſſima ꝓceſſere prodigia. Nanqꝫ omnium generum animalia, quæ manus hominum blāde perpeti, atqꝫ inter homines uiuere ſolita erant, relictis ſtabulis paſcuiſq́ꝫ, cum balatu, hinnitu, mugituq́ꝫ miſerabili, ad ſyluas monteſq́ꝫ fugerunt. Canes quoqꝫ, quorum natura eſt extra homines eſſe non poſſe, lachrymoſis ululatibus uagi luporum ritu oberrarunt. Igitur Cn. Pompeius prætor cum Picentibus iuſſu ſenatus bellum

*Italici populi cōiuratio in Roman.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



geſſit ‘ & uictus eſt. Poſtq̃ ſibi Samnites
Papium Mutilum imperatorem præfece-
rant, Marſi autem Agamemnonem archi
piratam præoptauerant, Iulius Cæſar Sa
mnitũ pugna uictus, cæſo fugit exercitu.
Rutilius conſul Marium propinquum ſu
um legatum ſibi elegit: quem aſſidue ſub-
monentem, moram bello utilem fore, &
pauliſper in caſtris exerceri militẽ opor-
tere tyronem, dolo id eũ agere ratus, con
tempſit: ſeſeq́; in inſidias Marſorũ, & uni-
uerſum agmen exercitus ſui incautus in-
iecit, ubi & ipſe conſul occiſus, & multi
Cæſorum Romano. numerus. nobiles interfecti, & octo millia Roma-
norum militum cæſa ſunt. Arma & cor-
pora interfectorum in cõſpectum Marij
legati, Tolenus fluuius pertulit, atq; in te
ſtimonium cladis euexit. Marius raptis
continuo copijs, uictores inſperatos op-
preſſit, octo millia & ipſe Marſorum in-
terfecit. Cæpio autẽ à Veſtinis & Mar
ſis deductus in inſidias, cum exercitu tru-
cidatus eſt. Lu. uero Iulius Cæſar poſtq̃
apud Eſerniam uictus aufugerat, contra-
ctis undiq; copijs, aduerſus Samnites &
Lucanos dimicans, multa hoſtium millia



interfecit. Cumq́; ab exercitu imperator
appellatus eſſet, Romamq́; nuncios de ui
ctoria miſiſſet, ſenatus ſagum, hoc eſt, ue-
ſtem mœroris, quam exorto ſociali bello
ſumpſerat, hac ſpe arridente depoſuit, at
que antiquum togæ decorem recupera-
uit. Marius deinde ſex millia Marſorũ
cecidit, ſeptem millia armis exuit. Sylla
cum uigintiquatuor cohortibus Eſerni-
am miſſus, ubi arctiſſima obſidiõe Roma
ni ciues & milites premebãtur, maximo
bello & plurima cæde hoſtium urbem ſo
ciosq́; ſeruauit. Cneus Pompeius Picẽ-
tes graui prælio fudit, qua uictoria ſena-
tus latos clauos & cætera dignitatis inſi-
gnia recepit, cum togas tantummodo ui-
ctoria Cæſaris primum reſpirante ſum-
pſiſſet. Porcius Cato prætor & Plotius
legatus Hetruſcos & Vmbros, plurimo
ſanguine impenſo, difficilimo labore uice
runt, Cn. Pompeio, & L. Porcio Catone
conſulibus, Pompeius diu obſedit Aſcu-
lum ciuitatem: nec tamen expugnauiſſet,
niſi populum in campum prorumpen-
tem grauiſſima oppreſſione uiciſſet. De-
cem & octo millia Marſorum in ea pu-

Universidad de Deusto Biblioteca



gna cũ Franco ſuo imperatore cæſa ſunt, capta tria millia. Quatuor autem millia Italicorum uirorum ex ea cæde profugorum, iugum montis coacto in unum agmine forte conſcenderant: ubi oppreſſi exanimatiq́ʒ niuibus, miſerabili morte riguerunt. Nanq́ʒ ita ut attoniti timore hoſtium ſteterant, alij ſtirpibus uel ſaxis reclines, alij armis ſuis innitentes, patentibus cuncti oculis, dentibusq́ʒ nudatis, uiuentium in modum uiſebatur: nec ullum erat procul intuentibus mortis indicium niſi diuturna immobilitas, quã nullo modo humanæ uitæ uegetatio diu ꝑpeti poteſt.

*Miſerandus Italorum interitus.*

Eadem die Picentes congreſſi & uicti ſunt, quorum dux† Iudacilius conuocatis principibus ſuis, poſt magnificas epulas largaq́ʒ pocula, cunctos ad exemplum ſui prouocãs, hauſto ueneno abſumptus eſt, cunctis factum eius laudantibus, ſed nemine ſubſequente.

*† Vidacilius.*

Anno ab urbe condita ſexcenteſimo LXI. cum ad obſidendos * Samnites Pompeius & Romanus iſſet exercitus, & Poſthumi⁹ Albinus uir conſularis, tunc Lucij Syllæ legatus, intolerabili ſuperbia omnium in ſe militum

** Pōpeios Romanus*



odia ſuſcitaſſet, lapidibus occiſus eſt. Sylla conſul ciuilem cruorẽ nõ niſi ſanguine hoſtili expiari poſſe teſtatus eſt: cuius rei cõſcientia ꝓmotus exercitus, ita pugnam adorſus eſt, ut ſibi unuſquiſq; pereũdum uideret, niſi uiciſſet. Duodeuiginti millia Samnitum illo prælio cæſa ſunt. Iuuentium quoq; Italicum ducem, & magnum ipſius populũ perſecutus, occidit.

*Cæſi Samnites.*

Porcius Cato conſul Marianas copias habẽs, cum aliquanta ſtrenue geſſiſſet, gloriatus eſt Caium Marium nõ maiora feciſſe: & ob hoc cum ad lacum Fucinũ contra Marſos bellum gereret, à filio Caij Marij in tumultu belli, quaſi ab incerto autore ꝓſtratus eſt. Caius Gabinius legatus, in expugnatione hoſtilium caſtrorũ interfectus eſt. Marrucini Veſtiniq́ʒ, Sulpitio legato Pompeij perſequente, uaſtati ſunt. Popedius & Obſidius Italici imperatores, ab eodẽ Sulpitio apud flumen Theanum horribili prælio oppreſſi & occiſi ſunt. Pompeius Aſculum ingreſſus, ꝑfectos & centuriones, cunctosq́ʒ principes eorum uirgis cecidit, ſecuriq́ʒ ꝑcuſſit, ſeruos prædamq́ʒ omnẽ ſub haſta uendidit, reliquos

x

Universidad de Deusto Biblioteca



liberos quidem, ſed nudos & egentes abire præcepit: & cum de hac præda opitulationem aliquam in uſum ſtipēdiȷ̃ publici ſenatus fore ſperaret, nihil tamen ex ea Pompeius egenti ærario contulit. Nanq; eodem tempore cum penitus exhauſtum eſſet ærarium, & ad ſtipendium frumēti deeſſet expenſa, loca publica quæ in circuitu Capitolȷ̃ pontificibus, auguribus, decemuiris & flaminibus in poſſeſſionem tradita erant, cogente inopia, uēdita ſunt: & ſufficiens pecuniæ modus, qui ad tempus inopiæ ſubſidio eēt, accept⁹ eſt. Equidē in ſinus tunc ipſius ciuitatis euerſarum omnium urbiū, nudatarumq; terrarum abraſæ undiq; opes congerebantur, cum ipſa Roma turpi adigente inopia, præcipuas ſui partes auctionabatur. Quamobrem conſideret tunc tempora ſua, cū quaſi inexplebilis uenter cuncta conſumēs & ſemper eſuriens, cūctis urbibus, quas miſeras faciebat, ipſa miſerior, nihil relinquens, nihil habebat, & ſtimulo domeſticæ famis ad continuationē bellicæ inquietudinis trudebatur. Iiſdem uero temporibus rex Sothimus cū magnis Thracum

*Romanorum extrema inopia.*

*Sothimus rex à Sentio fugatus.*



auxilȷ̃s Græciam ingreſſus, cunctos Macedoniæ fines depopulatus eſt: tandemq; à C. Sentio prætore infeliciter ſuperatus, redire in ſuum regnum coactus eſt.

*De bello ciuili Mariano & Mithridatico, in quo Sylla & Marius maximos tumultus calamitatesq; reipublicæ inuexerunt.*

*Caput* XVIIII.

ANno ab urbe condita ſexcēteſimo ſexageſimoſecundo, nondum finito ſociali bello, Romæ primum bellum ciuile commotum eſt: eodemq; anno Mithridaticum bellum, etſi minus infame, non tamen minus graue cœptū eſt. Equidem de Mithridatici belli ſpatio uarie traditum eſt, utrum ab hinc primum cœperit, an tūc ꝑcipue exarſerit, maxime cum alȷ̃ XXX. alȷ̃ XL. annis geſtum ferant. Sed quamuis ȷ̃ſdem temporibus geſta pplexis coaceruata malis exarſerint, à me tamen ſpeciatim, etſi breuiter, ſingula proferentur. Marius, Sylla conſule cōtra Mithridatem in Aſiam cum exercitu profecturo, in Campania tamen propter ſocialis belli reliquias conſiſtente, affectauit ſeptimum conſulatum, & bellum ſuſcipe

Universidad de Deusto
Biblioteca



re Mithridaticum: quo Sylla cognito, im-
patiens reuera iuuenis, intemperataq; ira
percitus, cũ quatuor legionib⁹ primum
ante urbem conſedit, ubi Gratidium, Ma
rij legatum, quaſi primam uictimam bel
li ciuilis occidit, mox urbem cum exerci-
tu irrupit, faces ad inflammãdam urbem
popoſcit. Omnibus metu abditis, per ſa-
cram uiam cito agmine in forum uenit.
Marius cum permouere nobilitatem, in-
flammare plebem, equeſtrem deinde or-
dinem perarmare aduerſus Syllam fru-
ſtra tentaſſet, poſtremo ſeruis ſpe liberta-
tis & prædæ ad arma ſolicitatis, nequic-
quam repugnare auſus, tandem in Capi-
tolium conceſſit. Sed cum eò Syllanæ co
hortes irruiſſent, magna ſuorũ cæde diſ-
fugit. Ibi tũc Sulpitius Marij collega, ſer-
uo ſuo prodente, proſtratus eſt. Seruum
uero ipſum, quod hoſtẽ indicauerat, ma-
numitti: quod uero dominũ prodiderat,
ſaxo Tarpeio deijci conſules decreuerũt.
Marius fugiens, cum perſequentium in-
ſtantia circunſeptus eſſet, in Minturnenſi
um paludibus ſeſe abdidit: è quibus infe-
liciter luto oblitus, ignominioſeq; protra-

*Cauſa ciuilis belli.*

*Sylla Mariũ fugat*



ctus, turpi autem ſpectaculo Minturnas
deductus, contruſuſq; in carcerem, pcuſ-
ſorem ad ſe miſſum ſolo uultu exterruit.
Deinde lapſus è uinculis, in Aphricã trã-
fugit, ſolicitatoq; ex Vtica filio, ubi is cu-
ſtodia obſeruabatur, continuo Romam
regreſſus, Cinnæ conſuli ſocietate ſcelerũ
coniunctus eſt. Igitur ad profligandã uni
uerſam rempublicam, exercitum ſibi in
quatuor partes diuiſerunt. Tres ſiquidem
legiões Mario datæ, parti copiarum Cn.
Carbo præpoſitus eſt, partem Sertorius
accepit: ille ſcilicet Sertorius iam hinc ci-
uilis belli incentor & particeps, q etiam
hoc finito, aliud poſt in Hiſpania bellũ ex
citauit, quod per multos annos maximis
Romanorũ cladibus traxit. Cætera uero
exercitus portio Cinnã ſecuta eſt. Porro
aũt Cn. Pompei⁹ qui à ſenatu cũ exercitu
accerſitus, ut reipublicæ opitularetur, &
diu ſeſe nouarum rerum aucupatiõe ſuſ-
penderat, contemptus à Mario uel Cin-
na, ad Octauium alterum conſulem ſeſe
contulit, & mox cum Sertorio conflixit.
Infelicem pugnam interuentus noctis di
remit. Sexcenti ex utraque parte milites

*Marius & Cinna iungũtur ad uaſtandã rempublicam.*

*Sertorius belli ciuilis incentor.*

*Pugna inter Põp. & Sertorium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



crucidati ſunt. Poſtera die cū permixtim
corpora ad ſepulturam diſcernerentur,
miles Pompeianus fratris ſui, quem ipſe
interfecerat, corpus agnouit. In concurſu
enim utrique cognitionem uultus galea,
conſiderationem furor ademerat: quam-
uis parum ſit culpæ circa ignorantiam,
ut uideatur neſciſſe de fratre, quod non
angibitur ſciſſe de ciue. Itaq; uictor uicto
infelicior, ubi & fratris corpus agnouit,
& parricidium ſuum, execratus bella ci-
uilia, ilicò pectus ſuum gladio tranſuer-
berans, ſimulq; lachrymas & ſanguinem
fundēs, ſuper fraternum ſeſe cadauer ab-
iecit. Et quid hoc profuit ad cōfuſionem
crudelis incepti, quod in primo ſtatim
bellorū ciuilium exordio infamis fama
percrebruit, concurriſſe ignaros quidem
fratres, ſed cōſcios ciues: perijſſe fratrem
ſcelere uictorem, fratris occiſi ſpolia: ac
mox tātæ immanitatis reum, eodem gla
dio atq; eadem manu per ſuā necem par
ricidiū, quod admiſerat, uindicaſſe? Nun
quid in tantarum animoſitate partiū tam
triſte mouit exemplum? Nunquid apud
quēquam periculum ſceleris repulit ter-



ror erroris? Nunquid hæc quæ commu-
nis eſt etiam cū beluis pietas & reueren-
tia naturæ, quod unus perimendo ac p̄-
eundo commiſit, quod in ſe agi poſſet in-
tremuit, ſeſeq; ab huiuſmodi incepto, cō-
ſcientia uictus remouit? Quin potius an
nis fere quadraginta conſequentibus, in
tantum cōtinuata ſunt bella ciuilia, ut ma
gnitudo laudis, appetenda ex magnitudi
ne ſceleris putaretur. Omnes enim poſt
tale documentum in tali militia parrici-
diorum pericula refugiſſent, niſi parrici-
dia ipſa uoluiſſent. Igitur Marius colo *Marij ſcelera.*
niam Hoſtienſem ui ingreſſus, omnia ibi
genera libidinis, auaritiæ & crudelitatis
exercuit. Pompeius fulmine afflatus, in-
terijt: exercitus uero eius peſtilentia cor-
reptus, penè totus abſumptus eſt. Nam XL.
undecim millia uirorū de caſtris Pom-
peij mortua, ſex millia autem de parte
Octauij conſulis deſiderata ſunt. Marius
Antium & Ariciam ciuitates hoſtiliter
irrupit, cunctoſq; in his præter prodito-
res interfecit, bona ſuis diripienda permi
ſit. Poſt Cinna conſul cum legionibus,
& Marius cum fugitiuis urbem ingreſſi,

Universidad de Deusto Biblioteca



*Optimates Romani occidũtur.*

nobiliſſimos quoſque è ſenatu, & plurimos conſulares uiros interfecerunt. Sed quota hæc portio oſtentatæ miſeriæ eſt, uno uerbo definiſſe cædem bonorũ, cuius fuit tanta numeroſitas, tanta diuturnitas, tãta crudelitas, tantaq; diuerſitas? Veruntamen æquius eſt me aliquid utilitatis ſubtraxiſſe cauſæ, quàm tantum horroris ingeſſiſſe notitiæ, ſiue peritis hæc, ſiue imperitis obijciantur. De patria ſiquidẽ, de ciuibꝰ, & de maioribꝰ noſtris hæc loqmur: qui his exagitati malis, tam abominanda geſſerunt, de quibus etiam auditis poſteri perhorreſcant, qui profecto nolunt iſta nimis exaggerari, aut ſufficientis notitiæ moderatione, ſi ſciunt: aut miſericordis reuerentiæ contemplatione, ſi neſciunt. Igitur Marius cum interfectorum ciuium capita illata conuiuijs, oblata Capitolio, collocata roſtris, ad ſpectaculum ornatũq; cõgereret, ac ſeptimum conſulatum cum Cinna tertium conſule peruaſiſſet, in exordio conſularis imperij ſera tandem morte præreptus eſt. Cinna bonorum neces, malorum cæde ſuppleuit. Nam cum introducta per Mariũ fu-

*Marius interimitur.*



gitiuorum manus inſatiabilis prædandi eſſet, nullamq; partem autoribus prædæ cõſulibus miniſtraret, in forum quaſi ſtipendij cauſa ſolicitata, militibuſq; circundata, inermis extincta eſt. Cæſa ſunt illa die in foro urbis octo millia fugitiuorũ: idemq; Cinna quartum conſul, ab exercitu ſuo interfectus eſt.

*Fugitiuorũ cædes & Cinnæ.*

*Quomodo Sylla à ſenatoribus reuocatus ad ſubueniendum perditæ patriæ, quos ipſe cum ſuis ſubegerit.* Caput. XIX.

INterea reſidui ſenatorum, qui potentiam Cinnæ, & Marij crudelitatẽ, inſaniam Fimbriæ, Sertorijq; audaciam fuga euaſerant, tranſuecti in Græciam, coẽgere precibus Syllam, ut periclitanti, imò iam penè perditæ patriæ opem ferret. Igitur Sylla mox ut Campanũ littus attigit, Norbanum conſulẽ prælio oppreſſit, ſeptem M. tunc Romanorum Romani interfecerunt, ſex M. eorundem ab ijſdem capta ſunt, centum XXIIII. de Syllana parte ceciderunt. Fabius uero Adrianus, cui imperium pro prætore erat, regnum Aphricæ ſeruorũ manu affectans, à dominis eorum apud Vticam, cõgeſtis

*Sylla periclitanti patriæ ſuccurrit.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Damaſippi crudelitas.*

ſarmentis, cum omni familia uiuus incenſus ē. Damaſippus prætor, incentore Mario conſule, Quintum Scæuolam, Caium Carbonem, Lucium Domitium, Publium Antiſtium, in curiam quaſi ad cōſultandū uocatos, crudeliſſime occidit. Corpora interfectorum per carnifices unco tracta, atq; in Tiberim miſſa ſunt. Eodem tempore Syllæ duces plura prælia aduerſus Marianas partes infeliciſſima felicitate geſſerunt. Nam & Quintus Metellus Charinatis copias cecidit, & caſtra peruaſit, & Cn. Pompeius Carbonis eqtatum grauiter trucidauit.

*Syllæ & Marij cōflictus.*

Syllæ etiam & Marij adoleſcentis maximum tūc prælium apud Sacriportum fuit, in quo de exercitu Marij cæſa ſunt uigintiquinque millia, ſicut Claudius ſcribit. Pompeius Carbonem etiā caſtris exuit, fugiētemq; inſecutus, nunc cædendo, nunc ad deditionem cogendo, plurima exercitus parte priuauit. Metellus Norbani agmen oppreſſit, ubi nouem millia Marianæ partis occiſa ſunt. Lucullus cum à Quinto obſideretur, erupit, & repētina pugna obſeſſorem deleuit exercitum. Nā plus quàm



decem millia ibi tunc cæſa referſitur. Sylla deinde cum *Campaninio Samnitum duce, & Charinatis reliquis copijs, ante ipſam urbem portamq; Collinam ad horam diei nonā ſigna cōtulit, grauiſſimoq; prælio tandem uicit. octoginta millia hominum ibi fuſa dicuntur, undecim millia ſeſe dediderunt: reliquam multitudinem in fugam uerſam, inſatiabilis uictorum ciuium ira conſumpſit.

**Campo nio.*

*Cæſorum numerus.*

*Quas ſtrages Sylla Romā ingreſſus ediderit, quot proſcripſerit, de cæteris eius crudelibus facinoribus.* *Caput* XXI.

SYlla mox ut in urbē uictor intrauit, tria millia hominum qui ſe per legatos dediderant, contra fas contraq; fidem datam, inermes ſecuroſq; interfecit. Plurimi tunc quoq;, ut non dicam innocentes, ſed etiam ipſius Syllanæ partis occiſi ſunt, quos fuiſſe plus quàm nouem millia ferūt. Ita libere per urbem cædes percuſſoribus paſſim uagantibus, ut quenq; uel ira uel præda ſolicitabat, agitabantur. Igitur cunctis iam *quod ſinguli timebāt, aperta fronte timentibus, Quintus Catulus Syllæ dixit: Cum quibus tandem ui-

*Syllanæ cædes.*

**quos ſinti. aperte frementibus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



cturi ſum⁹,ſi in bello armatos,in pace inermes occidimus? Tunc Sylla,autore Lucio Furſidio primipilari,prim⁹ infamem illam tabulam proſcriptionis induxit.

*octoginta hominum.

Prima proſcriptio *octoginta millium hominum fuit,in quibus quatuor conſules erãt,Carbo,Marius,Norbanus,& Scipio, interq́; eos Sertorius tunc maxime pertimeſcendus.Item alia cum D.nominibus propoſita eſt: quam cum Lollius,

Lollij cædes.

quippe ſecurus,nihilq́; ſibi conſcius legeret, ubi ſuũ repente nomẽ offendit,dum ſe trepidus adoperto capite foro ſubtrahit,interfectus eſt.Sed ne in ipſis quidem tabulis fides ac finis malorũ uidebatur. Nanque alios quos proſcripſerant,iugulabant: alios autem poſtquam iugulauerant,proſcribebant.Nec ipſius mortis erat uia ſimplex,aut una conditio,ut in nece ciuium ſaltem ius hoſtium ſeruaretur, qui nihil à uictis præter uitam exigunt.

Marij ſupplicium.

Marcum Marium ſiquidem de caprili caſa extractũ,uinciri Sylla iuſſit: ductumq́; trãs Tiberim ad Luctatiorũ ſepulchrum, effoſſis oculis,mẽbriſq́; minutatim deſectis,uel etiam fractis,trucidari. Poſt hũc



Publius Lectorius ſenator, & Venuleius triũuir, occiſi. Marci Marij caput Præneſte eſt miſſum:quo uiſo, Caius Marius ultima deſperatione correptus,ubi à Lucretio obſidebatur, ne incideret in inimicorum manus,cum Teleſino mutua morte cõcurrit.Dumq́; uiolẽtius ipſe in concurrentẽ manus adegit, circa ſuũ uulnus manũ ꝑcutientis hebetauit.Ita eo interfecto,ipſe leuiter uulneratus,ceruicem ſeruo ſuo p̄buit.Charinatẽ prætorẽ Romanum Sylla iugulauit. Inde Præneſte ꝓfectus,oẽs Marianæ militiæ principes, hoc eſt,legatos,quæſtores,præfectos,& tribunos iuſſit occidi.Pompei⁹ Carbonẽ à Coſyra inſula in Aegyptũ fugere conãtem, in Siciliam ad ſe retractum, & complures cũ eo ſocios eius occidit. Sylla dictator creatus eſt, ut dominationis & crudelitatis libido,honeſti præcipuiq́; nominis reuerentia & armaretur & uelaret.Pompeius in Aphricam tranſgreſſus,eruptione circa Vticam facta, *decẽ & nouem millia hominũ interfecit.Quo bello Domitius dux Marianus,dum inter primores repugnat,occiſus eſt. Idemq́; Pompe-

Sylla dictator creatur.

*XV.18.

Universidad de Deusto Biblioteca



ius Hiertam Numidiæ regem perſecut⁹, fugiẽtem, à Bogude Bocchi Maurorum regis filio, ſpoliari omnibus copijs fecit: quem continuo Bullam reuerſum, tradito ſibi oppido, interfecit.

*Dictorum uelut epilogum recitat autor. De nouo tumultu per Lepidum excitato.*

Cap. XXII.

Creatis itaq; Publio Seruilio & Appio Claudio cõſulibus, uiſus eſt Sylla tãdem priuatus. Hoc fine cõcluſa ſunt duo bella funeſtiſſima, ſociale Italicum & Syllanum ciuile. Hæc per annos decem tracta, plus quàm centum quinquaginta millia Romanorum conſumpſerunt: tãtumq; lectiſſimorum uirorum uernaculorumq; militum hoc ciuili bello Roma perdidit, quãtum in ea ſuperiori tempore, cum ſe iam aduerſus Alexandrum Magnum circũſpiceret, in diſcretis ætatibus cenſus inuenit. Præterea uiros cõſulares uigintiquatuor, prætorios ſex, ædilitios ſexaginta, ſenatores fere ducẽtos, abſq; innumeris totius Italiæ populis, qui paſſim ſine conſideratione deleti ſunt. Quomodo neget quiſquam, ſi ualet, quin eodem

*Sylla dictatura priuatur*

*quos.*



damno ſuo uicerit Roma, quo amiſit Italia? Proh pudor. Nunquidnam & hic cõparatione ambigua egent tempora? Imò uel maxime, inquiſit. Nã quid tam apte, quàm bellis ciuilibus bella ciuilia comparantur? An forte dicetur, etiam in his temporibus bella ciuilia non fuiſſe? Quibus à nobis reſpondebitur, iuſtius quidẽ ſocialia uocari oportere: ſed nobis proficere, ſi ciuilia nominẽtur. Cum enim cauſis uocabuliſq; ac ſtudijs paria docentur omnia, tum ſibi in his tanto plus uindicat reuerentia Chriſtianæ religionis, quanto minus præſumpſerit poteſtas irata uictoris. Nam cum plerunq; improbi tyranni temere inuadentes rempub. uſurpatoq; regio ſtatu, Romani imperij corp⁹ abruperint, atque ex eo bella uel per ſe iniuſta importarint, uel in ſe iuſta cõmouerint, Britannis Galliſq; populis erecti & inſtructi, hæc bella quantum externis proxima, tantum longinqua ciuilibus, quid niſi ſocialia iure uocitentur, cum ipſi Romani nec Sertorij quidem, aut Perpẽnæ, aut Craſſi, aut Spartaci bella, ciuilia uſpiam nominarint? In tali ergo defectu, uel

Universidad de Deusto
Biblioteca



perduellione ſocioꝝ, minore nunc utiq; inuidia laboraret, ſi fortaſſis exiſteret uel grauis pugna, uel cruēta uictoria. Verūtamen cum in hiſce tēporibus om̄ia plus neceſſitatis afferāt & minus pudoris, hoc eſt, cauſa, pugna, uictoria, uel pro extinguenda inſolentia tyrannorum, uel pro cohibendo ſociorum defectu, uel pro inurendo ultionis exemplo, cui tādem dubium eſt, quanto nunc mitius, quantoq; clementius excitata (ut dicunt) bella ciuilia geruntur, imò reprimuntur potius q̄ gerūtur? Quis enim unum ciuile bellum per decem annos his temporibus agitatum audierit? Quis uno bello centū quinquaginta M. hominum, uel hoſtium ab hoſtibus, ut non dicam ciuium à ciuibus, cæſa meminerit? Quis illam, quam explicare longum eſt, optimorum atq; illuſtrium uirorum multitudinem trucidari in pace cognouerit? Poſtremo quis illas infames interficiēdorum tabulas timuerit, legerit, ſenſerit? ac non potius omnibus notum ſit, una cunctos pace compoſitos, atq; eadē ſalute ſecuros, uictos uictoreſq; pariter cōmuni exultaſſe lætitia; ac etiam



in tātis totius imp̄ij Romani prouincijs, urbibus ac populis, uix paucos aliquādo extitiſſe, quos iuſta ultio inuito etiam uictore damnarit? Et ut uerbis uerba non onerem, non temere dixerim, tantam uel in bello ſaltē extinctam modo fuiſſe gregariorum militum manum, quanta tunc cæſa eſt in pace nobilium. Igitur Sylla mortuo, Lepidꝰ Marianæ partis aſſertor, aduerſus Catulum Syllanum ducem ſurgens, rediuiuos bellorum ciuilium cineres ſuſcitauit. Bis tūc acie certatū eſt. Plurimi Romanorum iam ipſa paucitate miſeroꝝ, & adhuc illo furore inſanientium, cæſi ſunt. Albanorum ciuitas obſidione oppugnata atq; excruciata fame, ultima miſerabilium reliquiarum deditione ſeruata eſt. Vbi tunc Scipio Lepidi filius, captus atque occiſus eſt. Brutus in ciſalpinam Galliam fugiens, perſequente Pompeio, apud Rhegiū interfectus eſt. Ita hoc bellum ciuile non magis clementia Catuli, quàm tædio Syllanæ crudelitatis, ut ignis in ſtipula, eadem celeritate qua exarſit, euanuit.

*Lepidus ciuilia bella reſuſcitat.*

*De quatuor nouis bellis à Romanis ſuſce-*

y

Universidad de Deusto Biblioteca



*ptis, Hiſpanico, Pamphylico ſeu Cilicico, Macedonico & Dalmatico.*
*Caput* XXIII.

Anno ab urbe condita ſexcẽteſimo ſeptuageſimotertio, ſonantibus undiq; bellorum fragoribus, quorũ unum in Hiſpania erat, aliud in Pamphylia, in Macedonia tertium, quartum in Dalmatia, exanguis adhuc atq; exhauſta inteſtina pernicie tanquam febribus Romana reſpublica, propulſare armis occidentis ſeptentrionisq; fortiſſimas gentes cogebatur. Sertorius ſiquidem uir dolo atq; audacia potens, cum partium Marianarum fuiſſet, Syllam fugiens, ex Aphrica dilapſus in Hiſpaniã, bellicoſiſſimas gentes in arma ex armis excitauit. Aduerſus hũc, ut breuiter definiã, duo duces miſſi, Metellus & Domitius: quorum Domitius ab Hirculeio Sertorij duce, cum exercitu oppreſſus eſt. Manilius ꝓconſul Galliæ, in Hiſpaniam cum tribus legionibus & mille quingentis equitibus trãſgreſſus, iniquam cum Hirculeio pugnam conſeruit; à quo caſtris copijsq; nudatus, in oppidum Hilerdam penè ſolus refugit. Metellus multis prælijs fatigat⁹, ꝑ deuia oberrans, hoſtẽ mora fatigabat, donec Pompeij caſtris conſociaretur. Pompeius uero contracto apud Polentiam exercitu, Lauronem ciuitatem, quam tunc Sertorius oppugnabat, fruſtra conatus defendere, uictus aufugit. Sertorius ſuperato fugatoq; Pompeio, Lauronem captam crudeliſſime depopulat⁹ eſt: reliquũ agmen Lauronenſium, quod cædibus ſuperfuerat, miſerabili ĩ Luſitaniã captiuitate trãſduxit. Pompeium autem, hoc eſt, illũ Romanorum ducem, à ſe uictum fuiſſe gloriatus eſt: quem magna præditum fiducia, ad hoc bellum non ꝓ conſule, ſed pro cõſulibus Roma miſiſſet. Fuiſſe tũc Pompeio triginta millia peditum & mille eqtes, Galba ſcribit: Sertorium autem ſexaginta millia peditum, octo millia equitum habuiſſe commemorat. Poſtea uero Hirculeius cum Metello congreſſus, apud Italicam Beticæ urbem, uiginti millia militum perdidit: uictusq; in Luſitaniam cum paucis refugit. Pompeius Belgidam nobilem Celtiberiæ urbẽ cepit. Ser

*Sertorius Hiſpaniam inuadit.*

*Pompeius à Sertorio fugatus.*

*nouem.*

Universidad de Deusto Biblioteca



torius deinde cum Pompeio congreſſus, decem millia militum eius interfecit. Ex alio cornu uim faciente Pompeio, tãtundem pene ipſe perdidit. Multa inter eos præterea ꝓlia geſta ſunt. Memmius quæſtor Pompeij, idemq́ue uir ſororis eius, occiſus eſt. Hirculei fratres, interfecti. Perpenna qui ſe Sertorio iunxerat, cõminutus eſt. Poſtremo ipſe Sertorius decimo demum anno belli inchoati, ijſdem, qbus & Viriatus, ſuorum dolis interfectus, finem bello fecit, Romanisq́ue uictoriam ſine gloria dedit: quãuis Perpennam poſtea pars exercitus eius ſecuta ſit, q à Pompeio uict⁹, cum uniuerſo exercitu ſuo interfectus eſt. Ciuitatibus uero cunctis ultro ac ſine mora ꝑ deditionem receptis, duæ tantum reſtiterunt, hoc eſt, Vxama & Calagurris: quarum Vxamam Pompeius euertit: Calagurrim Afranius iugi obſidione confectam, atque ad infames eſcas miſeranda inopia coactã, ultima cæde incendioq́ue deleuit. Percuſſores Sertorij præmium ne petendum quidem à Romanis eſſe duxerunt, quippe qui meminiſſent antea Viriati percuſſoribus dene-

*Memmij, Perpẽnæ Sertorij, cædes.*



gatum. Et quamuis nullo tunc præmio patrauerint Romanam ſecuritatẽ, tamen fortis fide ac uiribus ſemꝑ Hiſpania, cum optimos inuictiſſimosq́ue reges ſuos ad ditionem reipublicæ dederit, nullum unquam tyrannorum ab initio uſq́ue in hodiernum diem uel de ſe editum miſit, uel in ſe extrinſecus incurrẽtem, uiuum potentemue dimiſit. Interea Macedonicum bellum Claudius ſortitus, uarias gentes quæ Rhodopeis montibus circunfuſæ ſunt, ac tunc Macedoniam crudeliſſime populabantur, bello petijt. Nam inter cætera dictu audituq́ue horrida, quæ in captiuos agebant, raptis, cũ poculo opus eſſet, *humanorum capitum oſſibus, cruentis capillatisq́ue adhuc, ac per interiores cauernas male effoſſo cerebro óblitis, auide ac ſine horrore, tanquam ueris poculis utebantur, quarũ cruentiſſimi atq́ue immaniſſimi Scordiſci erant. Has itaque, ut dixi, Claudius Macedoniæ pellere finibus bello attentauit, magnisq́ue ſe malorum molibus obiecit: unde cum hæc animo gereret, curis circunſeptus, morbo inſuper correpť eſſet, interijt. Huius ſuc

*Macedonicum bellum.*

**Romanorum.*

*Claudij interitus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Scriboni. ceſſor Scribonius, attentatarũ ſuperiore bello gentium uim declinans, in Dardaniam arma conuertit, eamq́ ſuperauit.

* ex conſule. P. Seruilius. Publius uero Seruilius * exconſul, Ciliciam & Pamphyliam crudeliſſime adortus, dum ſubdere ſtudet, pene deleuit. Lyciã & urbes eius obſeſſas oppreſſasq́ cepit. Præterea Olympum mõtem peruagatus, Phaſidem euertit, Corycum diruit, Tauri quoque montis latera in Ciliciam uergentia perſcrutatus, Iſauros bello fractos, in deditionẽ redegit: primusq́ Romanorum, per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. Triennio emenſo, quo bellum geſtum eſt, Iſaurici nomen aſſumpſit. Coſconius proconſul ſortitus Illyricũ, protrita ſubactaq́ Dalmatia, Salonas urbem florentiſſimã poſt biennium tandem expugnauit & cepit.

*De bello fugitiuorum ſeu gladiatorum, & cladibus eius.* Caput XXIIII.

ANno ab urbe condita ſexcenteſimo LXXIX. Lucullo & Caſſio conſulibus, gladiatores LXXIIII. Capuæ à ludo Cnei Lentuli diffugerunt: qui continuo ducibus Chryſo & Inomao Gallis, & Spartaco Thrace, Veſuuium mõtem occuparunt: unde erũpentes, Clodij prætoris qui eos obſidiõe cinxerat, caſtra expugnarunt: ipſoq́ in fugam acto, cuncta in prædam uerterunt. Inde per Conſentiam & Metapontum circunducti, ingentia breui agmina collegerũt. Nam Chryſo X. M. multitudo, Spartaco autem triplex tunc numerus fuiſſe fertur. Inomaus enim iam ſuperiore bello fuerat occiſus. Itaq́ cum cædibus, incendijs, rapinis, ſtupriſq́ omnia miſcerẽt, in exequijs matronæ captiuæ, quæ ſe dolore uiolati pudoris necauerat, munus gladiatorum ex quadringentis captiuis ſcilicet, qui ſpectandi fuerant, ſpectaturi, utpote laniſtæ, gladiatorum potius quàm militum principes, ediderunt. Deinde conſules Gellius & Lentulus aduerſus eos cum exercitu miſſi, quorum Gellius Chryſum acerrime pugnantem prælio oppreſſit, Lentulus à Spartaco ſuperatus aufugit. Poſt etiam collatis fruſtra ambo conſules copijs, accepta graui clade, fugerũt. Dehinc Caium Caſſium proconſulem idem Spar-

Universidad de Deusto Biblioteca



tacus oppreſſum bello interfecit. Itaque exterrita ciuitate non minore propemodum metu, quàm ſub Annibale circa portas fremente trepidauerat, ſenatus Craſſum cum legionibus conſulum nouoq; ſupplemento militum miſit. Is mox ut fugitiuorũ pugnam iniit, ſex millia eorum interfecit, nongentos uero cepit. Inde prius quàm ipſum Spartacum ad caput Silari fluminis caſtra metãtem bello aggrederetur, Gallos auxiliatores eius Germanoſq; ſuperauit, è quibus triginta millia hominum cum ipſis ducibus occidit. Nouiſſime ipſum Spartacum diſpoſita acie cõgreſſum, & maximas cum eo fugitiuorum copias perculit. Nam ſexaginta millia eorum cæſa, ſex millia capta referuntur, tria millia ciuium Romanorum recepta ſunt. Cæteri qui ex hoc bello lapſi oberrabãt, per complures duces frequenti indagine attriti ſunt. At ego iterum ac ſæpius repeto, nunquidnam & hic comparatione aliqua egẽt tempora? Quis rogo audire non horreat, non dicam bella talia, ſed uel nomina tanta bellorum, externa, ſeruilia, ſocialia, ciuilia, fugitiuorũ,

Gladiatorum cædes.



quæ ne ſic ſaltem ſeſe ut commoti maris fluctus, quamuis molibus magnis ſequũtur, ſed undiq; diuerſis cauſis, uocabulis, formis, maliſq; excitata, coaceruataq; cõcurrunt? Vt è proximo repetam, & infame illud ſeruile prætereã, Iugurthinum bellum, nondum adhuc ab Aphrico detonuerat, iam Cimbricum à circio fulminabat. De Cimbricis illis nubibus adhuc fœdi uaſtiq; torrẽtes effuſi ſanguinis agebantur. Iam ſocialis belli nebulas in magna continuo malorum nubila coituras, miſera exhalabat Italia. Adhuc uero poſt infinitam crebramq; Italici belli tempeſtatem diſcurri tutò per Italiam minime poterat. Ita omnes abſque illis periculoſiſſimis inimicarum urbium uoraginib⁹, diſſoluta ac lubrica pace titubabant. Iam ſibi Marianum atq; * Syllanũ Roma parturiebat excidium, & aliud è diuerſo oriens atq; aquilo, hoc eſt, Mithridaticũ minabatur: quod quidem Mithridaticum à ſuperioribus cœptum, porro in ulteriora porrigit. De Mariana face rogus Syllanæ cladis accenſus eſt. De iſto rogo funeſtiſſimo Syllani & ciuilis belli, per plu

* Cinnanũ

Universidad de Deusto Biblioteca



rimas terrarum partes ardentes ſudes ſparſi ſunt, multaq́ incendia ex uno fomite diffuderunt. Nam Lepidus & Scipio in Italia, Brutus in Gallia, Domitius Cinnæ gener in Aphrica, Carbo in Coſyra & Sicilia, Perpenna in Liguria, & pòſt cum Sertorio in Hiſpania, omniumq́ atrociſſimus Sertorius in eadem Hiſpania, hæc tunc ciuilia, uel quo alio dicenda ſunt nomine, bella excitãtes, de uno multa, de minimo magna fecerũt, abſq́ illis tribus uaſtiſſimis bellis, quæ tunc externa uocabãtur, hoc eſt, Pamphylico, Macedonico, atque Dalmatico: diſſimulato etiã magno illo Mithridatico, longe omnium diuturniſſimo, ĩfeſtiſſimo, ac formidoloſiſſimo: deinde adhuc Hiſpaniẽſi Sertoriano nõdum finito, imò adhuc ipſo uiuente Sertorio, hoc fugitiuorũ, & ut uerius dicam gladiatorium bellum inhorruit, iam non ſpectandum paucis, ſed ubiq́ metuendũ. Quod quia fugitiuorum bellum dicitur, nemini uile habeatur ex nomine. Sæpe in eo ſinguli & aliquãdo ſimul cũ agminib[9] fruſtra iunctis ambo conſules uicti ſunt, plurimiq́ nobiles trucidati. Ipſi autem fu-



gitiui plus quàm cẽtum millia fuere, qui cæſi ſunt. Ex quo admonemus, ut ipſa cõſoletur ſe Italia de uexatione externorum præſentium per recordationem præteritorum. Exeatq́ in ſeipſam, nec putet ſe incomparabiliter crudelius dilacerari.

Quamobrem huic quinto uolumini iam finem fecerim, ut bella ciuilia externis ubiq́ permixta, uel quæ dicta ſunt, uel etiam quæ ſequuntur, quia ſic ſibi ſerie temporum & malis ſequacibus cohæſerũt, libri ſaltem termino ſeparẽtur.

Universidad de Deusto Biblioteca



# PAVLI OROSII HISPANI ADVERSVS PAGANOS HISTORIARVM LIBER VI.

*Vnum eſſe deum tam gentilium quàm Chriſtianorum iudicio.* *Caput* .I.

OMNES homines cuiuſlibet uel ſectæ, uel uitæ, uel patriæ, ita ſp ad proſpectũ prudẽtiæ naturali bono eriguntur, ut oblectamento corporis, rationale mentis, & ſi non actu præferant, iudicio tamen præferendũ ſciant. Quæ mens ratione duce illuſtrata in medio uirtutum, quibꝰ genuino fauore, quamuis uitĳs inclinetur, aſſurgit, ſcientiam dei quaſi arcem proſpicit. Deum enim quilibet hominum ad tempus cõtemnere poteſt, neſcire in totum non poteſt. Vnde quidam



dum in multis deum credunt, multos deos indiſcreto timore finxerunt. Sed hinc iam uel maxime cum autoritate ueritatis operante, tum etiam ipſa ratione diſcutiente, diſceſſum eſt. Quippe cũ & philoſophi eorũ, ut de noſtris ſanctis ſileam, dũ intento mentis ſtudio quærunt, ſcrutanturq; omnia, unum deum autorẽ omnium repererũt, ad quem unum omnia referuntur: unde etiam nunc pagani, quos iam declarata ueritas de contumacia magis quàm de ignorãtia conuincit, cũ à nobis diſcutiũtur, non ſe plures deos ſequi, ſed ſub uno deo magno, plures miniſtros uenerari fatentur. Reſtat igitur de intelligentia ueri dei per multas intelligendi ſuſpiciones confuſa diſſenſio, quia de uno deo omnium penè una opinio eſt. Huc uſq; humana ſcrutatio etſi cũ labore *patuit: at ubi ratiocinatio defecit, fides ſubuenit. *potuit. Niſi enim crediderimus, non intelligemꝰ. Iſaie. 7. Ab ipſo audias, ipſiq; deo credas, quod uerum uelis ſcire de deo. Itaque idem unus & uerus deus, in quem omnis ut diximus, & ſi ex diuerſis opinionibus ſecta concurrit, mutans regna & diſpo-

Universidad de Deusto Biblioteca



1.Cor.1

nens tẽpora, peccata quoq; puniens, quæ infirma ſunt mundi elegit, ut confundat fortia, Romanumq́; imperium aſſumpto pauperrimi ſtatus paſtore fundauit. Hoc per reges & conſules diu prouectũ, poſtquam Aſiæ, Aphricæ atque Europæ potitum eſt, ad unum imperatorem, eundemq́; fortiſſimum & clementiſſimum, cuncta ſui ordinatione cõgeſſit. Sub hoc imperatore, quem omnes fere gẽtes amore & timore permixto, iuſte honorarẽt, deus uerus, qui ſuperſtitione ſolicita ab ignorantibus colebatur, magnum illum intelligentiæ ſuæ fontem aperuit: promptiusq́; p hominem docturus homines, filium ſuum miſit, operantẽ uirtutes quæ præcellerent hominem, coarguentemq́; dæmonas, quos aliqui deos putauiſſent: ut qui ipſi tanquam homini non credidiſſent, operibus tanquam dei crederẽt: deinde ut in magno ſilentio ac pace latiſſima inoffenſe & celeriter noui nominis gloria, & annunciatæ ſalutis uelox fama percurreret, uel etiam ut diſcipulis eius per diuerſas gentes euntibus, ultroq; per cunctos ſalutis dona offerentibus, obeun-



di ac diſſerendi, quippe Romanis ciuibus inter ciues Romanos, eſſet tuta libertas. Quod ideo commemorandum putaui, quia hic ſextus libellus uſq; ad Cæſarem Auguſtum, de quo hæc dicitur, extenditur. Quod ſi aliqui hanc lucidiſſimam rationem irritam putãt, ſuisq; dijs potius aſſignant, quos primum prudentia elegerint, deinde præcipuo cultu inuſtarint, ut ſibi p eos ampliſſimum hoc pulcherrimumq́; imperium concederetur. Sic enim iactitant, quia ipſi optimo genere ſacrorum, meruerint præcipuum deorum fauorem: quibus adẽptis uel prætermiſſis, diſceſſerint omnes adytis ariſq; relictis dij, quibus imperium hoc ſteterat.

*Cõtra Romanos Chriſto obſtrepẽtes.*

Vnde quamuis reuerẽtia ſanctitatis tuæ multa fortiſſime ueriſſimeq́; diſſeruerit, tamen & mihi locus exigit, ut pauca ſubijciam: Si Romani colendo deos emeruerunt fauorem deorum, & nõ colẽdo amiſerunt, ut ipſe Romulus parẽs Romæ inter tot mala ab ipſo ortu ſuo ingruentia ſaluus eſſet, colendo qs meruit? An Amulius auus, qui eum expoſuit ad necẽ? An pater, qui incertus fuit? An Rhea mater

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſtupri reæ? An Albani parentes, ipſa quo
que ab initio Romani nominis germina
perſequentes? An tota Italia, quæ p̄ qua-
dringentos annos dum audere potuit, ex
cidio eius inhiauit? Non, inquiunt, ſed dij
ipſi, quia ſe colendos ſciebant, futuros cu-
ſtodiere cultores. Ergo p̄ſcij ſunt. Si præ
ſcij ſunt, cur hoc imperium inter tot an-
norum ſecula eo potiſſimum tēpore ad
ſummam potentiæ arcem perduxerunt,
quo ſe ille naſci inter homines atq; agno-
ſci ut homo uoluit, poſt cuius nomen &
ipſi pro nihilo cōtempti ſunt, & cum uni
uerſo mundo etiam illi quos ipſi prouexe
rāt, cucurrerūt? Sed humiliter obrepſit,
inquiunt, & latenter intrauit. Latentis &
humilis unde tam celebris fama? tam in-
dubitata fides? tam manifeſta potētia? Si-
gnis quibuſdam & uirtutibus mentes ho
minum ſuperſtitione ſolicitas cepit & te
nuit? Ad hæc ſi potuit homo, dij magis
poſſe debuerunt. An quia ille hanc poten
tiam à patre ſibi traditam prædicabat, p̄-
uentum eſt aliquando ad intelligentiam
illius noti & ignoti dei, quam apprehen-
dere, ut dixi, nemo niſi per ipſum poteſt?



Nec quiſquam poteſt, niſi q̄ toto ſe per-
ſpecto ac deſpecto, conuerſus ad ſapienti
am dei, omnem quærendi ratiocinatio-
nem tranſtulerit ad credendi fidem. Ve
runtamen breuiter diſcutio: Dij iſti, quos
tantos ferunt, ut Romanam rempub. &
propicij prouexiſſe, & aduerſi affixiſſe ui
deantur, eo certe tempore, quod palam
conſtat, quo naſci Chriſtus uoluit, & an-
nunciari gentibus cœpit, deuotiſſime at-
que intentiſſime colebantur. Ita illi conſu
lētes & ſibi & cultoribus ſuis, non potue-
runt uel repellere, uel reprimere ſuperſti
tionem eius, propter quam ſpernēdos ſe
cultoreſq; ſuos deſtituēdos uiderēt: quā-
quam ſi ab inuitis danda uenia, nec deſe-
rendi fuerunt: ſi à uolūtarijs ſeruāda p̄ſci-
entia, nec prius fuerant adiuuādi. Hoc fa-
ctum eſt, inquiūt: Nam excitauimus gen
tes, accendimus reges, inſtituimus leges,
diſpoſuimus iudices, præparauimus pœ
nas ſupplicijs & crucibus, orbem totum
ſcrutari ſumus, ſi quo modo tādem Chri-
ſtianū nomē & cultus de uniuerſo mun-
do poſſet abradi. Hoc eatenus eſt factum,
donec fœcunda crudelitas eouſque inter

Universidad de Deusto Biblioteca



tormenta ac per tormenta pficeret, quam diu ipſum regium culmen, per quod ſolũ phiberi potuerat, occuparet. Et quid poſtea cõſecutum eſt? Imperatores, inquiunt, Chriſtiani ceſſare ſacra, & claudi templa iuſſerunt, atque ideo exceſſere omnes adytis, ariſq; relictis dij, quibus imperium hoc ſteterat. O quanta & quàm inoffenſa lux ueritatis eſt, ſi non aduerſus eam ultro ſeſe offerẽtem imbecilli infeliciter oculi clauderentur? Si Chriſtiana fides per multa retro tempora ſæuiẽtibus undiq; aduerſum ſe gentibus, regibus, legibus, cædibus, crucibus ac mortibus, reprimi nullo modo potuit, imò ut dixi, inter hæc & per hæc creuit: cultus autem idolorum, iam quodam modo ex ſe deficiẽs ac ſibi erubeſcens, ad unam clementiſſimam iuſſionem ſine ullo pœnali terrore ceſſauit: cui dubium eſt, hoc per iſtius intelligẽtiæ demonſtrationem de creatore ſuo tandem innotuiſſe creaturæ, quod illa eatenus per uarias rõcinationes mentis intentæ quamlibet alijs offuſcata quæſierit, ac per hoc ſtatim amori eius, quem etiam ignorans dilexerat, inhæſiſſe? Nec



igitur mirum eſt, ſi in magna familia inueniuntur aliqui ſerui, qui conſuetudine, laſciuiaq; ſeductorum aſſuefacti, patientia domini ſui ad cõtemptum ipſius abutantur: unde & merito deus uel ingratos, uel incredulos, uel etiam contumaces uarijs correptionibus arguit: quod ſemper utiq; fatendum eſt, tunc tamen præcipue, quando adhuc per uniuerſum mundum nulla erat eccleſia, quæ interuentu fidelium precum meritas mũdi pœnas, iuſtumq; iudicium dei, exorata ipſius clemẽtia, temperaret: unde etiam hæc, quæ mala hominibus uidentur, qualiacunque ſunt, grauiora ſine dubio omnia fuerũt, ſicut ipſo ordine, quo cœpta ſunt, probabũtur. Bellum Mithridaticum, uel ut uerius dicã, belli Mithridatici clades, multas ſecum inuoluẽs prouincias, tracta & protenta p quadraginta annos fuit. Nam ſexcẽteſimo ſexageſimo primo (ut dixi) anno ab urbe cõdita, quo etiã primum ciuile bellum cœperat inardeſcere, conſulatu uero Ciceronis & Antonij, ut uerbis poetæ optimi loquar, Barbarico uix conſummata ueneno eſt, Sed his temporibus,

*Mithridaticæ cladis ſpatiũ*

*Lucanus lib. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



triginta gerendi belli inueniuntur anni. Qualiter autẽ XL. à pleriſq; dicti ſint, non facile diſcernitur.

*Proſequitur hic bellum Mithridaticum, quod Sylla confecit. Caput II.*

*Gentes à Mithridate oppugnatæ.*

IGitur Mithridates rex Ponti atq; Armeniæ poſtquam Nicomedem Bithyniæ regem, amicum populi Romani, regno priuare molitus eſt, atque à ſenatu monitus, ſi facere tentaret, bellum ſibi à populo Romano inferendum fore, iratus Cappadociam continuo peruaſit; atque expulſo ab ea Ariobarzane rege, cunctam prouinciam igni ferroq; uaſtauit. Bithyniam deinde pari clade corripuit, Paphlagoniã ſimili exitu afflixit, pulſis ex ea Philomene & Nicomede regibꝰ. Poſt cum ueniſſet Epheſum, crudeli præcepit edicto, ut per totam Aſiam quicunq; inuenti eſſent ciues Romani, ſub una die omnes necarẽtur. Et factum eſt. Nec explicari aut comprehendi ullo modo uerbis poteſt, quæ tunc multitudo Romanorum ciuium cæſa ſit, quis mœror plurimarum prouinciarum, quis gemitus occidendorum pariter atq; occidentium fu



erit, cum ſinguli quiq; aut prodere innocentes hoſpites & amicos, aut ipſi periclitari pœna hoſpitum cogerentur. Archelaus quoque dux Mithridatis cum centumuiginti millibus peditum atq; equitum in Achaiam præmiſſus, Athenas cunctamq; Græciam partim ui, partim deditione obtinuit. Sylla, cui poſt conſulatum Mithridaticum bellum obuenerat, Archelaum apud Pyræum Athenienſium portum ſeptemplici muro communitum diu obſedit, ipſam Athenienſium urbẽ ui cepit, ac poſtea iuſto prælio cum Archelao conflixit. Cẽtum & decem millia de exercitu Archelai interfecta, uix decem millia ſuperfuiſſe referuntur. Comperta clade, Mithridates lectiſſima ſeptuaginta millia militum Archelao in ſubſidium miſit ex Aſia. Secundo prælio ex his quinquaginta millia interfecta ſunt, ibiq; Diogenes Archelai filius trucidatus eſt. Tertio bello omnes copiæ quas Archelaus habebat, extinctæ ſunt. Nam uiginti millia militum eius in paludem pulſa, cum Syllæ fidem implorarent, inſatiabili uictoris ira interfecta ſunt, toti

*Sylla Archelao obſtitit.*

*Cæſi de exercitu Archelai*

Universidad de Deusto Biblioteca



demq́; alia in flumen coacta ac necata, re-
liqui miſerorum paſſim trucidati ſunt.
*Mithridatis in Aſia uaſtatio.* Porro autem Mithridates in Aſia nobi-
liſſimarum urbium principes occidere,
bonaq́; eorum publicare animo intende
rat. Cumq́; iam M. DC. ita interfeciſſet,
Epheſij exẽplum uerẽtes, excluſo pſidio
eius, portas obiecerunt. Similiter Smyr
næi, Sardi, Colophonij, Tralliániq́; fece-
rũt. Perturbat⁹ Mithridates, p Archelaũ
ducẽ ſuũ cũ Sylla de pace pepigit. Inter-
ea Fimbria Marianorum ſcelerũ ſatelles,
homo omnium audaciſſimus, Flaccum
conſulem, cui legatus ierat, apud Nico-
mediam occidit: ac mox arrepto exerci-
tu, Mithridatis filium ex Aſia ad Mileto-
polim fugans, ſtationem regis inuadit,
ipſumq́; Pergamo pellit, fugientemq́; in
ſecutus apud Pitanam obſedit: & pfecto
cepiſſet, ſi Lucius Lucullus ciuilib⁹ diſcor
dijs curã reipub. prætuliſſet. Cumq́; eum
mari coartare obiecta claſſe uoluiſſet, ab
Ilienſibus repulſus eſt. Inde Fimbria Ilien
ſibus iratus, à quibus pro Syllanæ partis
*Fimbria Iliũ delet* ſtudio obiectu portarum repulſus uide-
batur, ipſam urbẽ Ilium, antiquam illam



Romæ parentem funditus cæde incendi
oq́; deleuit. Sed eam Sylla cõtinuo refor-
mauit. Idem Fimbria apud Thyatirã cum
ab exercitu Syllæ obſideretur, deſperatio
ne adactus, in templo Aeſculapij manu
ſua interfectus eſt. Fannius & * Magnus **Magius*
de exercitu Fimbriæ profugi, Mithridati
ſeſe adiunxerũt: quorum hortatu Mithri
dates cum Sertorio per legatos in Hi-
ſpaniam miſſos, fœdus pepigit. Sertori⁹
ad eum Marcum Marium firmandi fœ-
deris cauſa miſit. Quem rex apud ſe reten
tum, breui ducem fecit in locum Arche-
lai, qui ſe ad Syllam cum uxore liberisq́;
contulerat. Marius & Eumacus duces à
Mithridate aduerſus Lucullum miſſi, ma
gno exercitu breui congregato, cum Pu-
blio Rutilio apud Chalcedona congreſſi
ſunt, eumq́; cum plurima exercitus ipſi-
us parte ceciderunt. Lucullus Mithrida-
tẽ Cyzicenos obſidentẽ, foſſa cinxit: eũq́;
quod faciebat, pati cõpulit: atq́; ad ipſos
Cyzicenos, ut bono animo eſſent, nunci-
um miſit unum ex militibus nandi peri-
tum: qui duobus utribus ſuſpenſis, medi-
am ipſe regulam tenẽs, plantisq́; ſubremi

Universidad de Deusto Biblioteca



gans,ſeptem millia paſſuum tráſmeauit.
*Mithridatis exercitus pars cæſa.* Mithridates inopia laborans,partem co-
piarum inſtructam armis , domum abi-
re præcepit:quam Lucullus excipiés,uni-
uerſam diſperdidit. Nam amplius quàm
quindecim millia hominum tunc inter-
feciſſe narratur. Tunc etiam Fannius, qui
ſe Mithridati iunxerat , & Metrophanes
regius prætor,à Mamerco uicti, cum du-
obus millibus equitum in Mœſiam pro-
fugerunt:atq; inde in Mæoniam digreſſi,
in colles cáposq; & in eremos inciderũt:
ubi non ſolum montes uſti,uel ſaxa quaſi
quadam fuligine offuſcata cernuntur,ue-
rumetiam campi ambuſto ſolo ſqualidi,
*quingenta.* per quinquaginta millia paſſuum,ſine ul-
lo ignis uel fornacis indicio & pendulo
in profundum cinere putres iacent. Tri-
bus etiam locis torridæ uoragines oſten-
duntur,quas Græci phyſas uocát:in qui-
bus diu oberrátes, inopinatis tandem pe-
riculis exempti ſunt,& clam in regis ca-
ſtra uenerunt. Deiotarus rex Gallogræ-
ciæ,præfectos regis bello trucidauit. Inte-
rea Mithridates apud Cyzicum eadem
mora,qua obſidebat obſeſſus,in magnam



penuriam peſtilentiamq; exercitum ſu-
um coartauit. Nam plus quàm trecenta
millia hominũ fame & morbo in eadem
obſidione amiſiſſe fertur. ipſe cum paucis
arrepta naui clàm fugit è caſtris. Lucullus
incruento milite ſpectator cladis alienæ,
nouum genus uictoriæ adeptus eſt;moxq;
Marium adortus,uicit fugauitq;. In quo
prælio plus quàm undecim millia Mari-
anorum militum interfecta referuntur.
Lucullus poſtea cum eodem Mario naua-
li prælio congreſſus, triginta & duas na-
ues regias,& complures onerarias,aut de-
merſit aut cepit. Multi ibi ex his quos Syl-
la proſcripſerat,interempti ſunt. Marius
poſtera die de ſpelunca,ubi latebat,extra-
ctus , meritas hoſtilis animi pœnas luit.
Eodem uero Lucullus impetu Apamiam
uaſtauit , & ſub monte Olympo prius
Athan munitiſſimam ciuitatem captam
expugnatamq; diripuit. Mithridates ad-
uerſus Byzantiũ inſtructa claſſe nauigás,
tempeſtate correptus , octoginta roſtra-
tas naues pdidit. Ipſe cum quaſſata iam na-
ui mergeretur,in myoparonem Seleuci
piratæ, ipſo pirata iuuante,tranſiliuit. In-

Universidad de Deusto Biblioteca



*poſt Aniſon de Sinopē, ac *poſtea Myſon cum magna difficultate peruenit.

*De Catilinæ inceſtu, & Luculli aduerſus Beſſos, Mithridatem, & Tigranem, cæteroſq; bellis.* Caput III.

*Catilina inceſtiaccuſatus.* EOdem anno apud Romam Catilina inceſti accuſatus, quod cum Fabia uirgine Veſtali commiſiſſe arguebatur, Catuli gratia fultus euaſit. *Luculli in Sinopen clementia* Lucullus Sinopen expugnaturus obſederat. Hanc Seleucus archipirata & Cleocares ſpado, qui præſidij cauſa præerant, expilatam atque incenſam reliquerunt. Lucullus miſerorum hoſtium inteſtina clade pmotus, celeri occurſu immiſſum reſtinxit incendium. Ita miſera ciuitas, uerſa uice hoſtium ſociorumq;, unde defendenda, diſperdita: & unde diſperdenda, ſeruata eſt. At uero Marcus Lucullus q Curioni in Macedonia ſucceſſerat, totam Beſſorum gentem bello appetitam, in deditionem recepit. Eodem tempore Metellus prætor Siciliæ, cum fœdiſſima illa Caij Verris prætura Siciliam afflictam inueniſſet, maxime *Pergamenone *Pergani one *Pergamenioe* archipirata nefarijs prædis & cædibus dilacerante, qui pulſa



claſſe Romana, Syracuſanum portū obtinuerat, quem mox nauali terreſtriq; prælio comminutum, Sicilia decedere compulit. Præterea Lucullus tranſgreſſus Euphratē & Tigrim, apud Tigranocertam urbem cum Mithridate & Tigrane congreſſus, paruiſſima ſuorū manu magnum hoſtium numerum occidit. Nam triginta millia hominum in eo bello cæſa referuntur. *Cæſorum numerus* Tigranes uix CL. equitibus comitatus aufugit, diademate & tiara ne agnoſceretur abiectis. Tunc ad Lucullum totius pene orientis ſupplices uenere legati. Imminente hyeme, p Armeniam in Meſopotamiam regreſſus, Niſibin urbem illis in locis tunc inclytam expugnauit & cepit.

*De piratis innumeris omnia uaſtātibus, quos Pompeius compreßit, qui idem regem Armeniæ cæſo exercitu eius fugarit.* Caput IIII.

IIſdem diebus piratæ per omnia ſparſi maria, etiam non tantum intercipientes nauium commeatus, ſed etiam inſulas prouinciaſq; uaſtantes, impunitate ſceleris & auiditate prædæ uulgo ſeſe aſ-

Universidad de Deusto Biblioteca



ſociantibus, in immenſum augebantur:
*Piratæ à Pompeio ſubiugati* quos Cneus Pompeius poſt multam qui
dem uaſtationem, quam terra mariq; diu
egerāt, mira tandem celeritate compreſ
ſit. Eodem tempore Cretā inſulam per
biēnium Metellus euertit, diuturnoq; bel
lo domitam in poteſtatē redegit, legesq;
Minois Romanis legibus permutauit.
Pompeius poſtea ſucceſſor Luculli, in mi
nori Armenia iuxta mōtem Daſtracum
caſtra regis obſidione cōcluſit. Rex cum
omnibus copijs, eruptiōe per nocteru fa
cta, inſuper etiam perſequentem bello re
pellere ſtatuit. Pompeius fugiētes perſe-
qui intēdit. Itaque bellum nocte commiſ
ſum eſt. Luna tūc orta, à tergo Romanis
erat. Regij longitudine umbrarum pro-
ximitatem hoſtium rati, cūcta in irritum
tela fuderūt. Romani ueluti iermes poſt-
*Cæſi utrīq; & capti.* ea aggreſſi, ſine labore uicerūt. Nanq; de
exercitu regio quadragīta millia cæſa uel
capta ſunt. Romani uulnerati mille, uix
autem quadraginta interfecti. Rex inter
tumultus belli fuga lapſus, adiutus etiam
beneficio ſubluſtris noctis, euaſit: reli-
ctusq; ab omnib⁹ amicis, philoſophis, ſcri



ptoribus rerum uel carminum, ac medi-
cis, ſolus per deuia equum manu trahēs,
atq; ad omnes nocturnos ſtrepitus trepi
dans, in quoddam caſtellum diuertit, atq;
inde in Armeniam perrexit. Pompeius
regē inſecuturus, inter duo flumina quæ
ab uno monte diuerſis ſpecubus exoriun
tur, hoc eſt, Euphratē & Araxem, urbem
Nicopolim ſenibus, lixis & ægris uolenti
bus condidit. Oranti Tigrani ueniam de *Nicopolis condita à Pom.*
dit. Exercitum *Orodis Albanorum re-
gis, præfectosq; ei⁹ ter prælio uicit: poſt- **Horodis*
ea epiſtolas Orodis & munera cum Al-
banis pace inſtauranda libenter accepit.
*Artacem regem Iberiæ bello fudit, to- **Ariarō*
tamq; Iberiam in deditionem accepit. In
de cum Armeniam, Colchos, Cappado-
ciam & Syriam ordinatis rebus compo-
ſuiſſet, promouens è Ponto in Parthiam,
ad Ecbatanam urbem caput Parthici re-
gni quinquageſimo die uenit.

*Quod Mithridates filios ac amicos peremerit, ipſeq; uiciſſim à filio peremptus ſit.*

*Caput V.*

IN Boſphoro Mithridate cerealia ſa-
cra celebrante, terræmotus adeo gra- *Terræmotus ingēs*

Universidad de Deusto Biblioteca



uis repente exortus eſt, ut magna clades ex eo urbium atq; agrorum ſecuta narretur. Eodem tempore Caſtor Mithridatis præfectus, qui Panagorio præerat, interfectis amicis regijs, arcem occupauit, & quatuor Mithridatis filios ad præſidia Romana tranſmiſit. Mithridates accenſus ira, in ſcelera exarſit. Nam complures tunc amicos ſuos, & Exipodram filium ſuum interfecit, cum antea iam aliũ *Homocharem parricidio trucidaſſet. Pharnaces alter filius eius, exemplo fratrum territus, exercitum ad perſequendũ ſeſe miſſum, ſibi conciliauit, & mox aduerſus patrem duxit. Mithridates diu ex altiſſimo muro filiũ fruſtra precat⁹, ubi inexorabilẽ uidit, moriturus exclamaſſe fertur: Quoniã Pharnaces, inqt, me mori iubet, uos ſi eſtis dij patrij, precor, ut quandoq; & ipſe hanc uocem à liberis ſuis audiat. Statimq; deſcendens ad uxores, pellices ac filias ſuas, uenenum omnibus dedit. Quod cum ipſe nouiſſimus hauſiſſet, nec tamen propter remedia, quibus uitalia ſua aduerſus noxios ſuccos ſæpe obſtruxerat, ueneno confici poſſet, fruſtraq;

*Mithridates filios occidit.*

**Mocharem*

*Mithridatis dictũ in filium.*



ſpatiaret, ſi quo tandem modo infuſa peſtis per uenas uegetatione corporis acta diſcurreret, Gallum quẽdam militẽ iam fracto muro diſcurrentem inuitauit, eiq; iugulum præbuit. Hunc exitum uitæ Mithridates habuit, nobisq; ſententiæ ſuæ fortiſſimum argumẽtum reliquit, homo omnium, ut ferunt, ſuperſtitioſiſſimus, annos natus ſeptuagintaduos, habens ſecum ſemper philoſophos, omniumq; artium peritiſſimos: Si eſtis, inquit, dij patrij. Ita ille diu colendo, ac diu quærendo perſenſerat, hos non eſſe certos deos, qui eſſe putabantur. Rex multæ experientiæ atq; æuo grauis, uerum deũ, ad cuius notitiam nõ niſi auditu per fidem uenitur, non intelligebat. Hos autem falſos eſſe rationis ipſius luce peruiderat, aliud cõſuetudini, aliud menti ſuæ tribuens: Si eſtis, inquit, dij, hoc eſt dicere, ego ſentiens eſſe ſuper hominem potentiorem ipſo homine poteſtatem, precãdi neceſſitate motus, commendo diligentiam, & excuſo ignorantiam meam. Inuoco qui eſt, dum conuenio qui nõ eſt. Quapropter cum dolore & timore conſiderandum eſt, qua pœ

*Mithridatis exitus*

na, quóue iudicio digni erunt, qui contra
interdictum iam propalatæ & publicæ
ueritatis, eos ſectantur & colunt deos, de
quibus etiam illi iam tunc dubitare pote
rant, qui adhuc præter eoſdem ſcire nihil
poterát. Verũtamē breuiter cōſulo, qua
lia tunc toto orienti tempora uidebátur,
cum per quadraginta annos miſeræ nati
ones alternis tantorum ducum uaſtatio-
nibus terebantur: cum quæq; ciuitas tan-
tis cōcurſib' media ineuitabiliter piclita
baẽ, inde accenſura alterꝫ, unde alterꝫ tēpe
raſſet: hoc mox habitura ſupplicij, quod
remedij ad tempus habuiſſet: cum trepi-
dæ diuerſarum prouinciarum legationes
inter ſuccedentes Romanorum duces, &
truculentiorem notitia Mithridatem, al-
ternis ad utrunq;, prout quenq; ſors belli
attollebat, incertis • factionibus transfere
bantur, augendo pericula quæ ſanabant.
Nunc quid continuo Pompeius, homo
quidem Romanorum moderatiſſimus,
per plurimas partes oriētis, finito Mithri
datico bello egerit, paucis proferam.

*•ſatis*

*De geſtis Pōpeij in Syria, Phœnice & Iudæa, & coniuratione Catilinæ. Cap. VI.*



ANno ab urbe condita DC. LXXX-
IX. Marco Tullio Cicerone, & Ca
io Antonio conſulibus, Pompeius occiſi
Mithridatis nuncio accepto, Syriam cœ
len & Phœnicen bello aggreſſus, Ituræ-
os primum Arabesq; perdomuit, urbem
eorum, quam Petram nominant, cepit.
Hinc ad Iudæos, quib' Ariſtobulus expul
ſo fratre Hyrcano, •primus ex ſacerdote
rex præerat, atq; ad Hieroſolymā urbem
eorum, Gabinium cum exercitu mittit.
Ipſe continuo ſubſecutus, & à patribus ur
be ſuſceptus, ſed à plebe muro templi re
pulſus, oppugnationem eius intendit. Id
non ſolum natura loci, uerumetiā ingen
ti muro, foſſáq; maxima munitum, cum
alias alijs legiones, dies noctesq; ſuccede-
re ſine requie cogeret, uix tertio menſe
expugnauit. Tredecim millia ibi Iudæo-
rum cæſa narrantur, cætera multitudo in
fidem uenit. Pompeius muros ciuitatis
euerti, æquaríq; ſolo imperauit; & cum
aliquātos principes Iudæorum ſecuri pe
cuſſiſſet, Hyrcanum ſacerdotio reſtituit.
Ariſtobulum captiuum Romam duxit.
Hoc bellum orientis cum uiginti & duo

*Pōpeius Iudæos aggreditur.*

*Primus ex ſacerdote rex Iudæis q; præfuerit.*

*Cæſi Iudæi quot*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Catilinæ coniuratio eſt extincta.* bus regibus ſeſe geſſiſſe ipſe Pompeius ꝑ concione narrauit. Interea coniuratio Catilinæ aduerſus patriam per eoſdem dies in urbe habita ac prodita, in Hetruria uero ciuili bello extincta eſt. Romæ uero conſcij cōiurationis, occiſi ſunt. Sed hanc hiſtoriam agēte Cicerone, & deſcribente Saluſtio, ſatis omnibus notam, nūc à nobis breuiter fuiſſe perſtrictam, ſat eſt. *Motus in Pelignis.* Motus etiam in Pelignis ortus à Marcellis patre & filio, per Lucium Vectium ꝓditus, patefacta Catilinæ coniuratione, quaſi ſuccisa radice compreſſus eſt: & de utroq; per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Brutijs uindicatum eſt.

*Cæſar quas prouincias ſortitus, quomodo Heluetios & Belgas domuerit. Cap. VII.*

*Cæſar in com. belli Galli. li. 1.* ANno ab urbe condita DC.XCIII. Caio Cæſare & Lucio Bibulo conſulib⁹, lege Vatinia Cæſari tres ꝓuinciæ cū legionibus ſeptē in quinquennium datæ, Gallia tranſalpina & ciſalpina & Illyricus. Galliam comatā poſtea ſenatus adiecit. Hanc hiſtoriam Suetonius Tranquill⁹ pleniſſime explicuit, cui⁹ nos competentes portiunculas decerpſimus, Hel-



uetiorum animos fortiſſimæ Gallorum omniū gentis, ea uel maxime cauſa, quod perpetuo pene cū Germanis bello altercabantur, à quibus Rheno tantum flumine dirimuntur, Orgetorix quidam princeps gentis, ſpe totas inuadēdi Gallias, in arma accenderat. Quo cæteri optimates correpto & ad mortem coacto, cohibere tamen ſemel animatas in prædam plebes nequiuerunt. Qui coniuratione facta ac die dicta, exuſtis uicis ac domibus ſuis, ne quod deſiderium ex ſpe reuertendi foret, profecti ſunt. Quos cū apud Rhodanum flumen obuios Cæſar habuiſſet, magno difficiliq; bello bis uicit, uictosq; ad deditionem coegit. *uix.* Horum fuit, cū primum progreſſa eſt omnis multitudo Heluetiorum, Tulingorum, Latobrogiorum, Rauracorum & Boiorum, utriuſq; ſexus ad CLVII. millia hominū. *Heluetiorū & cæterorum numerus.* Ex his XL. & VII. millia in bello ceciderūt: cætera in terras proprias remiſſa ſunt. Poſtea Cæſar contra Ariouiſtum regem, excitantem inuehentemq; ſecum incredibiles Germanorum copias, quibus nuper uniuerſos Galliarū populos ſe ſubegiſſe iactabat, apud

Universidad de Deusto Biblioteca



Sequanos uicit. Cum autē diu exercitus Cæſaris Germanorum multitudine & uirtute perterritus pugnam detrectaſſet, Arioviſtus in Germaniam arrepta nauicula Rhenum tranſuectus effugit, uxores eius duæ, totidemq; filiæ captæ ſunt. Fuerūt autem in exercitu Arioviſti, Arudes, Marcomanni, Treboci, Vangiōes, Nemetes, Edures, & Sueui. Pugna maxime grauis ex phalāge Germanorum fuit, quam coacto in unū agmine, ſcutiſq; ſupra capita contextis, ad irrumpendam Romanorum aciem tuti undiq; præſtruxerant. Sed poſtquam aliqui Romanorum militū agilitate audaciaq; inſignes, ſupra obductam ſalire teſtudinem, ſcutiſq; ſingillatim, uelut ſquamis reuulſis deſuper nudos deprehenſorū detectorumq; humeros perfoderunt, territi hoſtes nouo mortis periculo, terribilem diſſoluēre compagem. Exinde in fugam uerſi, per quinquaginta millia paſſuum inſatiabiliter cæſi ſunt: neq; conijci potuit numerus Germanorum, uel quātus pugnæ affuerit, uel quātus fuerit occiſorum. Poſt hæc Belgarum gens quæ tertia pars Galliarū eſt,

*Populi in exercitu Arioviſti.*

*Ingens Germanorū cædes.*



aduerſus Cæſarem exarſit. Quorū diſtributim copia hæc fuit, Bellouaci qui cæteris numero & uirtute præſtare uiderentur, habuere lectiſſima ſexaginta millia armatorum: Sueſſiones ex duodecim oppidis quinquaginta millia: Neruij, quorum adeo indomita feritas prædicabat, ut nunquam in id temporis mercatores ad ſe admiſerint uina cæteraq; uenalia deferre, qbus inducta iucunditas torporem uirtutis afferret, habuerūt ſimiliter quinquaginta millia: Atrebates etiam & Ambiani decē millia, Morini uigintiquinq; millia, Menapij decē millia, Caleti decem millia, Velocaſſes & Veromandui æque decē millia, Aduatici decem & octo millia: Cōdruſi, Eburōes, *Cereſi, Cenomanni, qui uno nomine Germani uocantur, quadraginta millia. Et ita fuiſſe referūtur CCLXXII. millia armatorum lectiſſima. His repente ſylua erumpentibus, exercitus Cæſaris perturbatus, atque in fugam actus, plurimis ſuorum amiſſis, tandem hortatu ducis reſtitit: uictoreſq; aggreſſus, uſq; ad internecionem penè deleuit.

**Ceroſi*

*Belgarū cædes.*

*Galbæ expeditio in Veragros & Sedunos.* De

Universidad de Deusto
Biblioteca



*rebus geſtis Cæſaris in coniuratos cum Venetis, item Titurij Sabini & P. Craßi expeditionibus.* *Caput* VIII.

*Cæſar Gal. belli lib. 3.*

IGitur Cæſar magnis in Gallia rebus
geſtis, cum in Italiam proficiſci decre-
uiſſet, Galbam cum legione duodecima
ad Veragros Sedunoſq; miſit. Qui cum
hyemādi cauſa in uico Veragrorum, cui
nomen erat Octodorus, conſediſſet, medi
amq; oppidi partē, quæ torrente diuide-
batur, accolis conceſſiſſet, quadam die eoſ
dē diſceſſiſſe ꝑ noctē ac ꝓximo inſediſſe
colli uidet. Quippe illi paucitatē uix me-
diæ legiōis deſpectui habētes, ultroneā ſi
bi p̄dā nullo ceſſurā negocio arbitrabāt,
finitimoſq; ſuos in hanc cædis ac prædæ
ſocietatē uocauerunt. Igit̃ Galba tā præ-
ſentibus periculis circūſepto ac trepido,
atq; inter uarias conſultationes certi con
ſilij incerto, repente Galli deſcenſu mon-
tis effuſi, caſtra imperfecta circundant, ra
ros per uallū propugnatores ſaxis teliſq;
onerant. Cumq; iam caſtra irrumperen-
tur, Pacuuij primipilaris & Voluſeni tri
buni conſilio, cuncti Romani portis eru
perūt: incautoſq; ſubito aggreſſi hoſtes,



primū perturbauerunt, deinde in fugam
uerſos miſerabili ſtrage ſuderunt. Nam
amplius triginta millia barbarorum tūc
cæſa referuntur. Igitur Cæſar cū iam pa-
catas uniuerſas Galliarū gentes putaret,
ad nouum & maximum bellum retract⁹
eſt. Nanq; dum Publi⁹ Craſſus adoleſcēs
cum legione ſeptima oceano tenus apud
Andegauos hyemat, Veneti cæteriq; cō-
fines repente in arma coniurant, legatos
Romanorum uinciunt: eoſq; ita demum
ſe reddituros, ſi obſides ſuos recipiāt, Ro
manis indicant. Socios ſibi ad id bellum
Oſiſmios, Lexouios, Nanetes, Ambiuari-
tos, Morinos, Diablintres, & Menapios
aſciſcūt. Auxilia quoq; à Britānia accer-
ſunt. Cæſar ꝑ Craſſum de rebelliōe de-
ditit iarum gētium certior factus, quam-
uis intelligeret quanta ineundi belli diffi
cultas eſſet, tamen rem tanti negocij non
negligendam eſſe ratus, ne cæteris exem-
plo eiuſmodi audendi licentia laxaretur.
Itaq; terreſtri prælio perſequi hoſtes fru
ſtra aggreſſus, quippe cum hoſtes per in-
terfuſa ex oceano æſtuaria, atque inacceſ-
ſos receſſus, tutis terrarum finibus muni

*Venetorū in Romanos cōiuratio.*

Universidad de Deusto Biblioteca



rentur, naues longas ædificare in Ligeri
fluuio iubet: per quem in oceanum de-
*Nauale prælium.* ductæ, mox ut ab hoſtibus uiſæ ſunt, con-
tinuo ducētæ uiginti naues eorum para-
tæ, atque omni genere armorum inſtru-
ctiſſimæ, progreſſæ portu, ex aduerſo cō
ſtiterunt. Bruto circunſpiciēti imparem
longe nauium eſſe conflictum, quia bar-
barorū naues ſolido robore intextæ, ca-
uerniſq́; præualidis obduratæ, ſaxorum
modo adactos roſtratarum ictus retūde-
bant, hoc primum auxilio fuit, quod fal-
ces acutiſſimas non ptinaciter cōtis præ-
fixas, funibus autem ſubnexas parauerat:
quibus cum eſſet opus, apprehenſos emi-
nus rudentes, ſubductis haſtilibus per fu
nem falcem retrahendo ſuccíderent. His
celeriter expeditis, dirumpi hoſtiliū an-
tennarum armamēta præcepit. Ita anten
nis ruentibus, complures ilicò naues ue-
lut captas immobiles reddidit. Aliȷ hoc
periculo territi, expanſis uelis quà uētus
intēderet fugere conati, ceſſante mox uē-
*Gallorum deditio.* to deſtituti, ludibrio fuere Romanis. Ita-
que incēſis omnibus nauib⁹, interfectiſq́;
his qui pugnauerant Gallis, reliqui ſeſe



omēs dediderunt. Sed Cæſar maxime ob
iniuriam legatorum, & ut genti ad omīa
conſilia mobili, terribilis exempli notam
inureret, cūctis principibus per tormē-
ta interfectis, reliquos ſub corona uendi
dit. Iiſdem diebus Titurius Sabinus Au- *Titurius*
lercos, Eburonices, Lexouioſq́;, qui pri- *quos dele*
mates ſuos, quod autores belli reſuſcitan *uerit.*
di eſſe nollent, interfecerāt, eruptione fa-
cta, incredibili cæde deleuit. Publius
uero Craſſus cum in Aquitaniam perue
niſſet, bello exceptus eſt. Nanq́; Sontiates
magno eqtatu pedeſtribuſq́; copiȷs ꝑua-
lidis Romanos adorti, diu grauiter tur-
bauerunt. Pòſt uicti, atq́; in oppidū Son-
tiatum coacti obſeſſiq́;, cum ſe expugna-
ri uiderent, armis traditis, in deditionem
recepti ſunt. Aquitani clade permoti, un-
diq́; exercitum contrahunt, de citeriore
quoq́; Hiſpania auxilia acceſſunt, duces
bello maxime eos præficiūt, qui cū Ser-
torio militauerant. Hi omnes dum obſi-
dionē Craſſo parant, in caſtris ſuis Craſſo *Cæſi Aqui-*
obruente deleti ſunt. Nam ex Aquitanis *tani à*
& Cantabris, quorum quinquaginta mil *Craſſo.*
lia tunc in auxiliū uenerant, trigintaocto

Universidad de Deusto Biblioteca



millia cæſa referũtur. Ceſar Germanos, qui Rhenum cum immẽſis copijs tranſmiſerant, ſimul & totas Gallias ſubijcere ſibi parabant, bello adortus, uſq; ad internecionem cecidit. Quorum fuiſſe numerum ad CCCC. XL. millia ferunt.

*Cæſar quomodo Sueuos & Britannos ſubiecerit. Caput IX.*

*Conſternantur Sueui.*

TVnc Cæſar in Germaniá facto põte transgrediẽs, Sicambros & Vbios obſidiõe liberat. Sueuos maximam & ferociſſimam gentem, quorũ eſſe centum pagos & populos, multi prodidere, totámque Germaniam aduentu ſuo terret: móxque in Galliam, reſciſſo ponte, concedit. Inde ad Morinos uenit, unde in Britanniam proximus & breuiſſimus tranſitus eſt. Nauibus circiter onerarijs atque actuarijs octoginta præparatis, in Britanniam tranſuehitur.

*Britanniam inuadit Cæſar*

Vbi acerba primum pugna fatigatus, deinde aduerſa tempeſtate correptus, plurimam claſſis partem, & nõ paruum numerum militum, equitum uero pene omnẽ diſperdidit. Regreſſus in Galliá, legiones in hy-



berna dimiſit, ac ſexcentas naues utriuſq; commodi fieri imperauit. Quib' iterum in Britanniá primo uere tráſuectis, dum ipſe in hoſtẽ cum exercitu pergit, naues in ancoris ſtantes, tẽpeſtate correptæ, uel colliſæ inter ſe, uel arenis illiſæ ac diſſolutæ ſunt. Ex quibus quadraginta perierũt, cæteræ cũ magna difficultate reparatæ ſunt. Cæſaris equitatus primo congreſſu à Británis uictus, ibíq; Labienus tribunus occiſus eſt.

*Labieni interitus*

Secundo prælio cum magno ſuorum diſcrimine uictos Britános in fugá uertit. Inde ad flumen Thameſim profectus eſt, quẽ uno tãtum loco uadis tráſmeabilem ferũt. In huius ulteriore ripa, Caſſiuellauno duce, immenſa hoſtiũ multitudo cõſederat, ripamq; fluminis ac pene totum ſub aqua uadum acutiſſimis ſudibus præſtruxerat. Quod ubi à Romanis deprehenſum ac uitatum eſt, barbari legionum impetum non ferentes, ſyluis ſeſe abdidere, unde crebris eruptionibus Romanos grauiter ac ſæpe lacerabát. Interea Trinobantũ firmiſſima ciuitas cum Androgorio duce, datis quadraginta obſidibus, Cæſari ſeſe dedidit. Quod exem-

Universidad de Deusto Biblioteca



plum ſecutæ urbes aliæ cõplures, in fœdus Romanorum uenerũt: ijſdemq; demonſtrãtibus, Cæſar oppidum Caſſiuellauni inter duas paludes ſitum, obtentu inſuper ſyluarum munitum, omnibusq; rebus confertiſſimum, tandem graui pugna cepit.

*Cæſarem aduerſus nouam Gallorum conſpirationem profectum fuiſſe, eosq; denuo ſubegiſſe. Caput X.*

*Cæſar cõmen. belli Galli. li. 6*

EXin Cæſar à Britannis reuerſus in Galliam, poſtquam legiones in hyberna miſit, repẽtinis bellorum tumultibus undiq; circunuentus & conflictatus eſt. Nanq; Ambiorix cum Eburonib⁹ & Aduaticis conſpirans, animatus Treuirorum conſilio, Cottam & Sabinum legatos, apud Eburonas cum tota funditus legione inſidijs circunuẽtos interfecit. Ambiorix hac uictoria elatus, Aduaticos & Neruios plurimosq; alios raptim in arma contrahit, atq; ad Ciceronem legatũ, qui ſimiliter tũc legioni in hybernis præerat, contẽdit. Multitudo hoſtium ex hoc colligi potuit, quia cum in obſidione caſtrorum uallum circundandum eſſe à ca-

*Cotta & Sabinus interfecti*



ptiuis Romanis docerentur, & inſtrumẽta ruralia non haberent, gladijs concidẽdo terram, & ſagulis exportando, uix tribus horis uallum pedum decẽ, & foſſam pedũ quindecim per millia paſſuũ quindecim in circuitu perfecerunt. Præterea centũuiginti turres miræ altitudinis extruxerunt. Et cum iam ſeptem dies noctesq; ſuccidui hoſtium cunei pugnarẽt, ac uentus ſubito plurimus exortus eſſet, teſtas feruẽtes intorſere fundis, flammataq; tela focis, ac mox concepto igne rutilantia, intra caſtra iecerũt. Quo facto per culmina raptim uentus inſiſtẽs, ſparſum animauit incẽdium. Sed nec ſic quidem Romani, cum undiq; obruerẽtur uulneribus, laborib⁹, uigilijs, ieiunijs, incẽdijs'ue ceſſerunt. Tandem Cæſari nunciatum eſt, unam deletam eſſe legionem, alteram iam pene confectã. Aduẽtante uero cum duabus legionibus Cæſare, deſerunt hoſtes obſidiõem, atq; in eũ cũcti raptis copijs ruunt. Cæſar paruiſſimis ſe caſtris conſulto cõdidit, equitibusq; præmiſſis, ut fugã fingerent, imperauit, ut ad tranſitum uallis quæ media erat, ſibiq; pericu-

*Romanorum tolerantia.*

Univerſidad de Deuſto Biblioteca



loſa uidebatur, hoſtes contemptu ſui in-uitaret. Quibus aduentantibus inſup obſtrui portas præcepit. Quo uiſo, Galli quaſi iam uiciſſent, ad obducendū extrinſecus uallū conuerſi ſunt. Cæſar totis repente portis paratum effudit exercitum, uerſoſq; in fugam Gallos uaſtiſſima cæde confecit. Nam ſexaginta millia fuiſſe tunc referuntur, è quibus pauci per paludes inuias euaſerunt. Induciomarus Treuirorum princeps, magnas armatorum copias habens, poſtquā de conſenſu Galliæ totius certior redditus eſt, Labieni caſtra, legionemq; cui is præerat, quod facile factu arbitrabatur, delere ſtatuit: ac deinde Eburonibus Neruijsq; coniunctus, ad opprimendum Cæſarem pergere. Labienus quibus poteſt artibus ſimulat timorem, atque ita Induciomarum negligentiorem cum inſultantibus copijs pro uallo oberrantē, repētina irruptione proſtrauit. Hac uictoria Labieni, reliqui Gallorū conatus repreſſi ſunt, & Cæſar paulo qetior reliqua parte hyemis fuit. Sed intelligēs ſibi maiora belli ſupereſſe negocia, maxime quia plurima parte exercitus

*Galli cæduntur à Cæſare.*



amiſſa, alijsq; grauiter ſaucijs, ne ad ſuſtinēdum quidem ſibi idoneus, ne dicam ad comprimēdum Gallorum impetum uideretur, à Cn. Pompeio procōſule cōſcribi legiones, ſibiq; in auxilium mitti petit. Itaq; ante exactam hyemem tres ad eum legiones uenerūt. Igit Cæſar prius quàm in unum hoſtiū copiæ coirent, ineūte uere aggredi trepidos & opprimere ſparſos in finibus ſuis parat. Primū itaq; Neruiorū fines diripit, prædā uero quæ copioſiſſima erat, exercitui permittit. Deinde Menapios, q ſibi ꝓpter immēſas paludes atq; impeditiſſimas ſyluas munitiſſimi uidebantur, tribus agminibꝰ inuadit: nimiaq; cæde uulgo agitata, reſiduos ſupplices in deditionē recepit. Labienus ſequenti prælio omnes Treuirorum copias interfecit, arte in bellum prouocatas, prius quàm Germanis aduentātibus iungerentur, & continuo ipſam ciuitatem capit. Cæſar ulciſci mortē Sabini & Cottæ legatorum uolens, in Ambiorigem & Eburones deletæ legionis autores, poſtquam in Arduennam ſyluam refugiſſe comperit, quæ ſylua totius Galliæ maxima eſt,

*Neruij et Menapij uincūtur.*

*Treuiri cæduntur.*

atq; à ripis Rheni finibuſq; Treuirorum ad Neruios uſq; pertingit, & in longitudinem plus quàm quingēta millia paſſuum patet, permetiens rem ſui maximi periculi fore, ſi ꝑ obſtructas ſpatioſaſq; ſyluas ignoti diuiderentur, hoſtemq; locis notiſſimum quærerent, omnem Galliam per nuncios inuitat, ut quiſq; ſecundū placitum ſuum reconditas in Arduenna ſylua prædas quærant, diripiantq;. Quo facto Gallis utrinq; morientibus, maximas Romanorum iniurias ſine cuiuſquā Romani diſcrimine uindicauit. Ita hoc tutiſſimo uincendi genere ſecurus in Italiam rediit.

*Cæſar item nouam Gallorum in arma aduerſus ſeſe conſpirationem multa clade cōprimit. Caput* XI.

IGitur Cæſare in Italiam reuerſo, Gallia rurſus in arma coniurat, multiq; ſimul populi coeunt. Dux his Vercingetorix fuit, cuius conſilio ſtatim omnes Galli ciuitates ſuas ultro incenderunt, prima à ſuis incenſa Biturigo. Inde ad Cæſarem qui magnis itineribus per Narbonēſem prouinciam clàm ad exercitum recurre



rat, impetū faciunt. Cæſar tunc oppidum nomine Cenapum obſidione cōcluſerat: quod diu oppugnatum, tādem poſt multas Romanorum clades pluuio die, cum hoſtilium machinarum agmēta neruiq; elanguerant, applicitis turribus, captum atq; deletum eſt. Quadraginta ibi hominum millia fuiſſe referūtur, è quibus uix octoginta per fugam lapſi, ad ꝓxima Gallorum caſtra uenerunt. Præterea Aruerni cæteriq; cōfines, ſolicitatis etiam ad ſe Heduis, multis aduerſus Cæſarem prælijs bellauerunt. *Aruerni in Cæſarē* Qui cum ſe pugnando fatigati in quodam caſtellum recepiſſent, milites prædæ inhiantes, ad expugnationem oppidi animū intendūt, fruſtra Cæſare de loci iniquitate cauſante. Itaq; ibi Cæſar erumpentibus deſuper hoſtibus preſſus, multa exercitus ſui parte ꝑdita, uictus aufugit. Dum hæc ad * Chaieſtam gerunt, Vercingetorix, quem omnes conſenſu pari regem præoptauerant, ſuadet uti ex tota Gallia omnes qui arma ferre poſſent, huic bello præſto ſint. Hoc enim eſſe unum bellum, quo aut ꝑpetua libertas, aut æterna ſeruitꝰ, aut mors omnium

**Alexiā & Haleſtam*

*Vercingetorigis cōſilium.*

Universidad de Deusto Biblioteca



cõſequatur. Itaq; abſq; eo numero quem
infinitum antè contraxerat, equitum cir-
citer octo millia, peditum ducenta quin-
quaginta millia contracta ſunt. Dehinc
duo colles ſibi inuicem obuerſos, Roma-
ni Galliq; ceperunt. Vnde multis ſæpe
eruptionibus & uarijs prouentibus præ-
liantes, tandem Romani præcipua Ger- *Romani*
manorum equitũ, quos ſibi iamdudum *opitulan-*
amicos nunc in auxilium acciuerant, uir- *tibus Ger*
tute uicerunt. Vercingetorix alia die con *manis ui-*
gregatis omnibus, qui fuga euaſerant, di- *cerunt.*
xit ſe autorem bona fide defendẽdæ liber
tatis, atq; rumpendi fœderis fuiſſe, & nũc
ſiue Romanis ſeſe ad mortem omnes of-
ferant, ſiue ſolum pro omnibus dedãt, pa
ratũ animo fore. Itaq; Galli uoluntatem,
quam pudore aliquandiu texerant, quaſi
ex conſilio regis aſſumerent, ilicò ſibi ue-
niam precantes, eum ſolũ uelut autorem
magni ſceleris dediderũt. Bellouaci om̃i-
bus finibus Gallorum gentis ipſorũ opi-
nione fortiores habebantur. Hi * Correo **Corbeo*
duce bellum inſtaurant, ſibiq; in hanc ſuſ-
cepti belli ſocietatem Ambianos, Auler-
cos, Saletes, Velocaſſes, Atrebatesq; con-



iungũt, & locum quendam cinctum at-
que impeditum undiq; paludibus capi- *Romano.*
unt: commiſſoq; prælio magnam Remo *cædes.*
rum manum, quæ auxilio Romanis erat,
trucidant. Deinde cum opportunum ſi-
bi locum inſidijs prouiſum occupaſſent,
atq; hoc cõperto, Romani ad inſidiarum
locũ inſtructi ordinatiq; ueniſſent, com-
miſſo prælio, Romani Gallos fugientes *Galli à*
eiſdem locorũ munitionibus, quibus clau *Romanis*
ſi fuerãt, incluſerunt, cunctosq; ad inter- *cæſi.*
necionem ceciderunt. Ibi Correus uel fu
gam uel deditionem detrectans, Roma-
nos, ne uiuus caperetur inſtanter occiden
do, ut occideretur, coegit. Igitur cum pa-
catam eſſe uniuerſam Galliam Cæſar, ne-
que auſuram fore ad aliquos aſpirare mo
tus arbitraretũ, legiones in hyberna dimi-
ſit: ipſe tamen Ambiorigis fines q̃ tot bel *Cæſaris*
la excitauerat, horrenda hominum ſtra- *ſtrages in*
ge uaſtauit. At uero Caius Caninius lega *Ambiorĩ*
tus bellũ apud Pictonas inuenit: ubi ma- *gem.*
gna hoſtium multitudo impeditam iti-
nere legionem circundedit, atq; ad extre
mum diſcrimen adduxit. Porro autem
Fabius alter legatus, acceptis Caninij lite-

Universidad de Deusto Biblioteca



ris, in Pictonas proficiſcitur, ibiq́ à captiuis de opportunitate locorum certior factus, inopinátes hoſtes opprimit: magniſq́ ſtragibus factis, plurimas prædas agit. Deinde cum Caninio ſignum aduentus ſui dediſſet, Caninius totis caſtris ſubito exiliuit, ſeſeq́ iniecit hoſti. Ita Fabio ex alia parte, & Caninio ex altera inſiſtente, maximo & diuturno bello innumeræ Gallorum copiæ trucidatæ ſunt. Inde Fabius in Carnutes profectus eſt. Sciebat enim *Dumnacum ducem antiquiſſimum, rebellionis totius incẽtorẽ, ab hoc bello elapſum, ſi Aremoricis gentibus adiunctus eſſet, maximos iterum tumultus in Gallia eſſe moturũ: ſed adhuc eos ipſa nouitate trepidantes, mira uirtute & celeritate perdomuit. Interea Drapes unaq́ Lucterius, cũ adeſſe Caninium & legiones in finibus ſuis uiderent, undiq́ collectis copijs oppidum Vxellodunum occupant. Hoc oppidum in editiſſima montis arce pendens, duabus partibus per abrupta latera non paruo flumine cingebatur: medio deinde deſcenſu largiſſimo fonte ſecurum, plurimaq́ introrſum copia frumenti tutum, it

*Caninius offert ſe hoſti.*

**Donnacum*

*Cæſar belli Gal. li. 8*



ritos procul diſcurſus hoſtium deſpiciebat. Caninius quod ſolum Romana prouiſione potuit, ambos duces cũ parte copiarum plurima in campum euocatos, maximo prælio ſuperauit. Nã uno è ducibus interfecto, alter cum pauciſſimis fugit. Nullus in oppidum redijt, ſed ad id oppugnandum Cæſare opus fuit. Itaque certior per nuncios factus Cæſar, accurrit: circunſpectiſq́ omnibus, uidet ſi expugnare ui moliatur, ludo & ſpectaculo hoſtium, delendum eſſe exercitũ ſuũ: unum ſolũ eſſe præſidiũ, ſi quoquo modo hoſtes aqua arceátur. Sed & hoc quoq́, niſi Cæſar, nemo potuiſſet: ſiquidem fons quo ad potum utebantur, medio deuexi montis latere fundebatur. Cæſar ad proximũ fontis admoueri uineas, turremq́ extrui iubet. Fit magnus ilicò concurſus ex oppido. Quibus ſine periculo præliátibus, Romani quamuis pertinaciter obſiſterent, crebríuſq́ ſuccederẽt, complures tamen trucidantur. Igitur extruit agger & turris pedũ ſexaginta, cuius uertex adæquare fontis locum poſſet, ut uel ex æquo tela conijci queant, uel præcipitata deſu

*Plurimi Rom. trucidãtur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



per ſaxorum uolumina non timeri. Oppidani autē ubi exanimari ſiti non ſolum pecora ſua, uerumetiam infirmiores hominum ætates uident, cupas pice, ſeuo & ſcindulis repletas, ac deīde immiſſo igne, in prona præcipitant, easq; ipſi toto oppido effuſi ſubſequuntur. Ardentibus machinis, cum graue prælium ſuis Cæſar ac periculoſum uideret imminere, cohortes in circuitum oppidi ire uelociter per occultū imperat, atq; undiq; ſubito uaſtū clamorē attollere. Quo facto, cōſternati oppidani, dū recurrere ad muniendū oppidū uolunt, ab oppugnatione turris uel demolitiōe aggeris receſſerūt. Illi tamen qui ad incidendas fontis uenas ſub obtentu aggeris tuti cuniculos ꝓfodiebant, repertos in abſtruſo aquaꝝ meatꝰ, ꝑ multa diuidēdo tenuari in ſemetipſis, cōſumiq; fecerūt. Oppidani fonte ſiccato, ultima deſperatione correpti, deditionē ſui faciūt. Cæſar autē omnibus qui arma tulerant, manus ſuſtulit, & uitam reliquit, quo teſtatior eſſet etiam poſteris pœna improborum. Multum enim ad coercendā audaciam ualet propoſitum punitionis ex-



emplum, cum ipſa miſeri præſens forma uiuentis, & ad recordationem admonet conſcios, & ad ſciſcitationem cogit ignaros.

*Miſeriam & calamitatem Galliæ acceptam à Cæſare, ſubijcit quaſi ſub oculos. Caput XII.*

EXhauſtis atq; edomitis Gallis, Cæſar ſecurus cum legionibus in Italiam rediјt, nullos poſt ſe Gallorum motus pertimeſcens, certo ſe ſciens minime aliquos, qui uel moueri audeāt, uel ſi moueantur, timēdi ſint, reliquiſſe. Conſtitui nunc ante oculos uelim exanguem *deſœtamq; Galliam, poſt illas ardētiſſimas febres internoſq; æſtus uitalium molliora torrentes, ut ſeſe habeat, quanta macie, quātoq; pallore affecta ſit, quàm demiſſa ac reſoluta iaceat, quàm ipſos quoq; neceſſarij officij motus, ne eundē incurſum malorum reuocent, pertimeſcat. Irruit enim in eam repētino impetu Romanus exercitꝰ, ueluti fortiſſimo corpori fortior lues: quæ tanto grauius accenditur, quanto impatientius toleratur. Sitiebat miſera, quum inſtante gladio, profiteri

*deſectamq;

ſponſionem ſeruitutis æternæ, auulſis inſuper obſidib⁹, cogeretur. Sitiebat, ut dixi, notam illam omnibusq; ſuauiſſimam uelut aquæ gelidæ dulcedinem libertatis: quantoq; eã magis ſubtrahi intelligebat, tanto auidius deſiderabat. Hinc illa tam frequens contra uetita præſumptio inuadebatur, & pro defendenda libertate, importuna libertas: præreptaq; inſatiabiliter potiundi licentia, quod male conceptam perniciẽ reſtringere uidebatur, angebat. Hinc Romanus ante pugnam inſidiator argutior, hinc in pugna hoſtis infeſtior, hinc poſt pugnam uictor immitior, hinc omnia ad domandam impatientiam crudeſcentia, hinc iam nec remedijs credebatur. Itaq; ſi interrogare poſſem hanc, de qua loquimur, nationem, quid tunc, cum hæc ipſa ſuſtinebat, de illis temporib⁹ iudicarit, reſpõderet, ut arbitror, dicens: Sic me illa tunc febris exanguem reddidit, ac frigidam fecit, ut etiam *hæc, quæ omnes penè perſtrinxit, feruefacere uel commouere nequiuerit: atque ita me Romani inclinauerũt, ut nec ad Gothos ſurgam, ſed ne ipſa quidem Roma clades

*hæc eſtas quæ



quas intulit, euitauit. Exercitæ nanq; diu actæq; ſunt per totos mũdi cardines potentiæ ducum, uireſq; legionum: quæ in ſeſe concurrentes, eius damno uincerẽt, cuius periculo uincerentur.

*De Craſſi auaritia, rebus geſtis, & interitu. Caput XIII.*

NAm uictorem Cæſarem de Gallia reuerſum ciuilia bella comitata ſunt, aliaq; grauiſſima mala, interfecti apud Parthos Craſſi & trucidati exercit⁹ præceſſerunt. Anno ab urbe condita ſexcenteſimo XCVII. Craſſus in conſulatu collega Pompeij prouinciã ſortit⁹ in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, audita in Hieroſolymis templi opulẽtia, quam Pompeius intactam reliquerat, in Palæſtinam diuertit, Hieroſolymã adit, templum inuadit, opes diripit. Inde per Meſopotamiã tendens, in Parthiam quacunq; iter habuit, ſocijs ciuitatibus auxilia indixit, precia exegit: moxq; ut Euphratem tranſiit, ilicò *Abegeſem legatũ ab Orode rege Parthorũ ad ſe miſſum, obuium habuit: à quo uehementer increpitus eſt, quòd contra fœdus Luculli, Põ-

*Craßi auaritia.*

*Bageſim

Universidad de Deusto Biblioteca



peřj auaritia inductus, Euphratem tráſi-
erit. Quamobrem ſine mora futurum, ut
pro auro Parthico, ſerico ferro onerare-
tur. Itaq; cum prope Carras uentũ eſſet,
Parthi ſubito ingruentes cum Surena &
Sylacea præfectis, ſagittis oppreſſere Ro-
*Romanorũ cædes.* manos. Cecidere ibi plurimi ſenatores,
aliquot etiam cõſulares & prætorij uiri.
Craſſus quoq; filius Craſſi, lectiſſimus iu-
uenis, in acie occiſus eſt. Præterea quatu-
or cohortes cum Vargũteio legato, me-
dijs deprehenſæ campis, interfectæ ſunt.
Surenas rapto equitatu Craſſum pſequi
intẽdit: eumq́; circunuentum, ac fruſtra
colloquium eius petẽtem interfecit, quá-
uis uiuũ auferre maluiſſet. Pauci noctis
beneficio liberati, Carras confugerunt.
Cognita clade Romanorum, multæ ori-
entis prouinciæ à ſocietate & fide popu-
li Romani defeciſſent, ni Caſſius colle-
ctis ex fuga militibus paucis, intumeſcen-
tem Syriá egregia animi uirtute ac mo-
deratione preſſiſſet: qui & Antiochũ co-
*Caßi magnanimitas.* piasq́; eius ingentes prælio uicit & inter-
fecit: Parthos quoq; ab Orode in Syriam
miſſos, iamq́; ingreſſos Antiochiam, bel-



lo expulit, ducemq́; eorum Oſagen in-
terfecit.

*De mutabilitate Romani imperij, prædictorum uelut epilogus.* Caput. XIIII.

IGitur Romani ſtatus agitur ſemper
alterna mutatio, & uelut forma occa-
ni maris, quæ omni die diſpar, nũc ſucci-
duis per ſeptem dies attollitur incremẽ-
tis, nunc inſequentibus totidẽ diebus na-
turali damno & defectu interiore ſubdu-
citur. Vt enim de proximis ordiar, Cim-
bris Tigurinisq́; uincentibus, cum apud
Rhodanum flumen Romanus exercitus
perijt, & arctiſſimas Roma ſenſit angu-
ſtias, refuſa continuo clade Cimbrorum, *Bellum Cimbricũ*
magnis elata prouectibus, priorum ob-
lita defectuum eſt. Hanc deinde recentiſ-
ſimæ proſperitatis iactantiam, Italicum
bellũ & dilaceratio Syllana caſtigat. Rur-
ſus poſt hãc domeſticã inteſtinamq́; per-
niciem, qua uſq; ad medullas pene euiſce-
rata & exeſa eſt, paribus propemodũ ſpa-
tijs temporum non ſolum reparata, ue-
rumetiam extenta eſt, cum Lucullus Aſi-
am, Pompeius Hiſpaniam, Cæſar Galli-
am perdomuit, Romanumq́; imperium

Universidad de Deusto Biblioteca



uſque ad extremos propemodum terræ terminos propagatum eſt. Hanc nũc ampliſſimam dilatationem uaſtiſſima ruina conſequitur. Apud Parthos enim conſul Romanus occiditur, exercitusq; deletur, atrociſſimum illud Pompeij & Cæſaris bellum ciuile cõſeritur, & inter hæc Roma ipſa repentino correpta incendio cõcrematur. Anno ſiquidem ab urbe cõdita. DCC. incertũ unde concretus, pluſimam partem urbis ignis inuaſit, neq; unquam antea tanto incẽdio correptam ac uaſtatam ciuitatem ferunt. Nam quatuordecim uicos cum uico iugario conſumptos fuiſſe memoriæ proditum eſt. Hinc iam ciuile bellum cõmittitur, quod magnis iamdudum diſſenſionib⁹ ac molitionibus parabatur.

*De bello ciuili, quod cruẽtiſſimum Cæſar & Pompeius geſſerunt. Caput XV.*

NAm rediens Cæſar uictor ex Gallia, decerni ſibi abſenti alterum cõſulatum popoſcit. Contradictũ eſt à Marcello conſule, adnitente Pompeio. deinde decretum eſt à ſenatu, ut in urbem Cæſar non niſi dimiſſo exercitu ueniret, & ex



Marcelli conſulis autoritate ad legiones quæ apud Luceriã erant, Pompeius cum imperio miſſus eſt. Cæſar Rauẽnam ſeſe cõtulit. Marcus Antoni⁹ & Publius Caſſius tribuni plebis ꝑ Cæſare intercedentes, intercedente Lentulo conſule, curia foroque prohibiti, ad Cæſarem profecti ſunt, Curione Cælioq; ſimul comitantibus. Cæſar Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminũ uenit, quinq; cohortes, quas tunc ſolas habebat, cum quibus (ut ait Liuius) orbem terrarum adortus eſt, quid facto opus eſſet edocuit. Deplorans autem iniurias ſuas, cauſam belli ciuilis pro reſtituẽdis in patriam tribunis, eſſe teſtatus eſt. Inde per Antonium ſeptem cohortes, quæ apud *Salonem morabantur, à Lucretio recepit: tresq; legiones, quæ cũ Domitio Apud Corfinium erant, ad partes ſuas traduxit. Pompeius atq; omnis ſenatus, creſcentibus Cæſaris uiribus trepidi, tanquam Italia pulſi, in Græciam tranſuecti, Dyrrhachium gerendi belli ſedem delegerunt. Cæſar Romam uenit, negatamq; ſibi ex ærario pecuniam, fractis forib⁹ inuaſit, protulitq; *Sulmon̄e

Universidad de Deusto
Biblioteca



ex eo auri pondo IIII.M. centum trigin
taquinq;, argenti pondo ꝓpe DCCCC.
millia. Inde digreſſus Ariminum ad legi
ones, mox alpes tranſuectus, Maſſiliam
uenit: ad quam oppugnandam, quòd re-
ceptus non eſſet, Trebonium cum tribus
legionibus relinquens, ad Hiſpanias con-
tendit, quas Lucius Afranius, & Marcus
Petreius, & Marcus Varro Pompeiani
duces, cũ legionibus obtinebant. Ibi mul
tis prælijs Petreium Afraniumq́; ſupera-
tos, compoſita fœderis pactione, dimiſit.
In ulteriore uero Hiſpania duas legiones
à Marco Varrone ſuſcepit, ſimiliter &
duces eius. Poſt hæc Curio Catonem Si-
cilia expulit, Valerius Cottam Sardinia,
Tuberonem Aphrica Varus eiecit. Cæ-
ſar Maſſiliam rediens obſidione domitã,
uita tantum & libertate conceſſa, cæteris
reb⁹ abraſit. At uero Dolabella partium
Cæſaris, in Illyrico per Octauium & Li-
bonem uictus, copijſq́; exutus, ad Anto-
nium fugit. Baſillus & Saluſtius parãtes
ſingulas legiones quibus præerant, ſimi-
liter & Antonius, Hortẽſius quoq; ab in-
fimo mari cum claſſe concurrens, omnes

*Cæſar Maſsiliã expoliat.*



pariter aduerſus Octauium & Libonem
profecti & uicti ſunt. Antonius quum ſe
Octauio cum quindecim cohortibus de-
diſſet, omnes ad Pompeium à Libone de-
ducti ſunt. Curio ex Sicilia in Aphricam
cum exercitu tranſgreſſus eſt; quem Iuba
rex continuo exceptum cum omnibus co
pijs trucidauit. Octauius Salonas oppu-
gnare conatus, omnes penè copias quas
duxit, amiſit. Cælius deſciuit à Cæſare, ac
ſe Miloni exuli iunxit. Cumq́; ambo ſer-
uorum manu Capuam oppugnare moli
rentur, occiſi ſunt. Bibulus apud Corcy-
ram pudore uictus, quod cuſtodiæ eius
quam pelago & oppido prætendebat, ho
ſtis illuſerat, inedia ſeſe uigilijſq́; cõfecit.
Appius Claudius Cenſorinus, qui iuſſu
Pompeij Græciam tuebatur, iam aboli-
tam Pythici oraculi fidem uoluit experi-
ri: quippe ab eo uates adactus deſcendere
in ſpecum, reſpõdiſſe fertur de bello con
ſulenti: Nihil ad te hoc Romane bellum
pertinet, Euboica cœla obtinebis. Cœla
autem uocant Euboicum ſinum. Ita Appi
us perplexa incert⁹ ſorte diſceſſit. Admo
net nos aliquid obtrectatoribus noſtris

Universidad de Deusto Biblioteca



conſultor iſte conſulere. Querūtur utiq;
fide Chriſtianoꝝ ſibi ſacra interdicta cere
moniáſque ſublatas, & hoc ideo maxi-
me, quod extis uaticinijſq; ceſſantibus, fu
turæ clades, quia ſciri nequeunt, non ui-
tantur. Cur ergo longe ante imperiū Cæ
ſaris natiuitatemq; Chriſti, ſicut ipſorum
autores atteſtantur, abolita fuerat Pythi-
ci oraculi fides? Abolita autem ideo, quia
contempta. Porro autem quare contem-
pta, niſi quia uel falſa, uel uana, uel dubia?
Vnde prudēter poëta præmonuit: Incon
ſulti abeūt, ſedemq; odere Sibyllæ. Et ne
forte id parui pendam, quod contemptu
abolitum atq; antiquatū fuit, hoc eſt, aut
numen aut ſedem: Apollo ille Pythius
erat, quem ferūt magno illo Pythone ſer
pente interfecto, totius uaticinationis au-
tore & principe, hæredem & ſedis & di-
uinationis & nominis extitiſſe: ibiq; eum
reddere elegiſſe reſponſa, ubi orta cū au-
tore ipſa diuinatio uidebatur. Præterea
quæ per alias quoq; terrarum partes ſpu
mātibus buccis, rabidoq; diſcurſu omnis
furiatorum ructat inſania: ad quem pluri
mi terrarum reges, quaſi ad uiuā uocem

*Pythicum oraculum abolitum*

*numinis*



conſulti numinis cucurrerunt, cui ſæpiſſi
me ipſi Romani quoq; opulentiſſima do
na miſerūt. At ſi Apollo iſte Pythius pau
latim diſcernente experientia contēptus,
relictus atq; abolitus eſt, quid uiuum de
mortua pecude, quid uerum de amente
muliercula ſperari poteſt? Quid poſtre-
mo, inſlauit cū pinguis ebur Tyrrhenus
ad aras, expoſitis opimæ pecudis inteſti-
nis, non finget eſuriens? Nam ſicut ipſi fa-
tentur, uel obſcura uel falſa dicendo, ipſe
Apollo ſeducit. Quamobrē æquo animo
ferant, ſi imitari interim nolūt, nos id ue-
ritatis iudicio etiam prohibere, quod po
tuerunt maiores eorum uel experiendo
contemnere. Interea apud Dyrrhachi
um multi orientis reges ad Pompeium
cum auxilijs conuenerunt. Quò cum Cæ
ſar ueniſſet, Pompeium obſidione fruſtra
cinxit, ipſe terram quindecim milliū paſ-
ſuum foſſa præſtruens, cum illi maria pa
terent. Pompeius caſtellū quoddam pro
pinquum mari, quod Marcellinus tueba
tur, euertit: præſidiaq; Cæſaris, quæ ibi-
dem morabantur occidit. Cæſar Torqua
tum legionemq; unam, ut expugnaret, ag

*Ad Dyrrachium Pompeius & Cæſar congrediuntur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



greſſus eſt. Hoc periculo ſociorum Pom
peius cognito, omnes eò copias cõtraxit,
in quẽ ſe ilicò Cæſar omiſſa obſidiõe con
uertit. Torquatus autem è ueſtigio pro-
rumpens, auerſum inſecutus eſt. Ita Cæ-
ſaris milites ancipiti periculo territi, ipſo
Cæſare fruſtra obſiſtente, fugerunt. Pom
peius uero Cæſaris quoq; teſtimonio ui-
ctor, perſequentem reuocauit exercitum.
quatuor millia militum Cæſaris centuri
ones uigintiduo, equiteſq; Romani com
plures in eo prælio cæſi ſunt. Cæſar inde
citato agmine per Epirum in Theſſaliam
perrexit. Pompeius uero cum maximis
copijs ſecutus, bellumq; commiſſum eſt.
Itaq; inſtituitur utrinq; acies. Pompeius
*Pompeij itẽq; Cæſaris acies.* octogintaocto cohortes triplici ordine
locauit. Fuerunt autem peditum quadra-
ginta millia, equitũ in ſiniſtro cornu ſex-
centi, in dextro quingẽti, præterea reges
multi, ſenatores, equiteſq; Romani pluri
mi, abſq; leuium armaturarũ magna co-
pia. Cæſar ſimiliter octoginta cohortes
triplici ordine diſpoſuit: cui fuerunt non
•XL. minus quàm •triginta millia peditũ, equi
tes mille, Videre ibi & gemere erat, con-



tractas Romanorũ uires in cãpis Pharſa-
licis ad occiſionem mutuã cõſtitiſſe: quas
ſi cõcordia rexiſſet, nulli populi, nulli re-
ges ferre potuiſſent. Prima congreſſione
equitatus Pompeij pulſus, ſiniſtra latera
nudauit. Deinde cum diu utrinque dubia
ſorte cæderentur, atq; ex alia parte Pom-
peius inter hortandum diceret, Parcite ci
uibus, nec tamen faceret: ex alia uero Cæ
ſar hoc faceret, quod urgeret, dicens: Mi-
les, faciem feri: tandẽ uniuerſus Pompeij
fugit exercitus, caſtraq; direpta ſunt. Cæ
ſa ſunt in eo prælio Pompeianorũ quinde
cim millia, centuriones trigintatres. Hic
exit[9] pugnæ ad Palæopharſalũ fuit. Pom *Pompeij fuga & interitus*
peius fugiens, in oſtio Penei amnis onera
riam nauem nactus, in Aſiam trãſiit. Inde
per Cyprũ in Aegyptũ uenit: ibiq; mox
ut littus attigit, iuſſu Ptolemæi adoleſcen
tis, in gratiã Cæſaris uictoris occiſus eſt.
Põpeij uxor filijq; fugerũt. Cætera Pom-
peiana claſſis direpta eſt, omnibus qui in
ea erant crudeliſſime trucidatis, ibiq; &
Pompeius Bithynicus occiſus eſt. Lentu-
lus uero uir cõſularis apud Peluſium in-
terfectus eſt. Cæſar cõpoſitis apud Theſ-

Universidad de Deusto Biblioteca



ſaliam rebus, Alexandriam uenit: platoq́ꝫ ad ſe ac uiſo Pompeij capite annuloq́ꝫ, fleuit. Cumq́ꝫ ſe in regiam recepiſſet, eludebatur à tutoribus, quo minus pecuniam acciperet, templa ſua aſtu ſpoliantibus, ut & regios theſauros uacuos eſſe oſtenderēt, & in inuidiam Cæſaris populum concitarēt. Præterea Achillas dux regius, imbutus ſemel Pompeij ſanguine, Cæſaris quoq́ꝫ necem meditabatur. Nam iuſſus exercitū dimittere cui præerat, uiginti millium armatorum, non modo ſpreuit imperium, uerum & aciem direxit. In ipſo prælio regia claſſis forte ſubducta, iubetur incendi. Ea flamma cum partem quoque urbis inuaſiſſet, quadringenta millia librorum, proximis forte ædibus condita, exuſſit: ſingulare profecto monimentum ſtudij, curæq́ꝫ maiorum, qui tot tantaq́ꝫ illuſtrium ingeniorum opera congeſſerāt, unde quamlibet hodie, quæ in templis extent, quæ & nos uidimus armaria librorum, quibus direptis exinanita ea à noſtris hominib⁹ noſtris temporibus memorentur, quod quidē uerum eſt: tamen honeſtius credit̄, libros alios fuiſſe quæſi-

Librorū exuſtio.



tos, q priſtinas ſtudiorū curas æmularentur, quàm aliā ullam fuiſſe tunc bibliothecam, quæ extra quadringēta millia librorum fuiſſe, ac p hoc euaſiſſe credatur. Cæſar poſtea inſulam ubi Pharus erat, cepit. Eò Achillas cum Gabinianis militib⁹ uenit. Ingēs pugna commiſſa eſt, magna ibi Cæſarianorum militum multitudo cecidit, omnes etiā interfectores Pompeij interfecti ſunt. Cæſar ui inſiſtentium hoſtium preſſus, ſcaphā aſcēdit: qua mox pondere ſubſequentium grauata ac merſa, p CC. paſſus ad nauem una manu eleuata, qua chartas tenebat, natando peruenit: mox nauali certamine pulſatus, magna *felicitate claſſem regiam depreſſit & cepit.

Magnæ Cæſarianorū ſtrages.

*facilitate.

*Cæſar Alexandrinis regem reddit, Alexādriam ſubijcit, ciuesq́ꝫ multos cædit.*

Caput XVI.

Alexandrinis petētibus, regem reddidit, monitum, ut magis amicitiam Romanam, quàm arma experiri ſtuderet. Qui tamē ilicò ut liber fuit, bellum intulit, ſed continuo cū toto exercitu ſuo & ipſe deletus eſt. Nam uiginti millia ho

Universidad de Deusto
Biblioteca



minum in eo bello cæſa referuntur, duo-
decim millia cum ſeptuaginta longis na-
uibus dedita, *quinq; naues ex uictoribus
cecidiſſe referuntur. Rex ipſe adoleſcens
ſcapha except⁹ ut fugeret, multis inſilien-
tibus merſus necatusq; eſt. Corpus eius
ad litt⁹ deuolutum, indicio loricæ aureæ
cognitum fuit. Qua Cæſar Alexandriam
præmiſſa, Alexandrinos omnes ad dediti
onem deſperatione compulit, regnumq;
Aegypti Cleopatræ dedit. Inde Syriam
peruagatus, Pharnacem in Ponto uicit.
Poſtea uero quàm Romam uenit, dicta-
tor & conſul creatus, in Aphricam trãſi-
ſt, & apud Tapſum cum Iuba & Scipiõe
pugnauit, maximamq; ibi hominũ multi
tudinem interfecit. Caſtra utriuſq; dire-
pta ſunt, ſexaginta elephanti capti. Cato
ſeſe apud Vticam occidit. Iuba percuſſo-
ri iugulum, precio dato, præbuit. Petre-
ius eodẽ ſe gladio perfodit. Scipio in na-
ui, qua ad Hiſpanias fugere contendens,
uento coactus in Aphricã redierat, ſemet
ipſe iugulauit: in eadẽ naui etiã Tit⁹ Tor-
quat⁹ occiſus eſt. Cæſar Põpeij Magni ne
potes, filiãq; Pompeiã, ſimulq; cũ his Fau-

*quingenti ex uict.

*Catonis interitus.*



ſtũ Syllã & Afraniũ & Petreiũ filiũ iuſſit
occidi. Inde quatuor triumphis urbem
ingreſſus, diſpoſito recuperatoq; reipu-
blicæ ſtatu, continuo in Hiſpanias cõtra
Pompeios Pompeij filios profectus, deci
moſeptimo quã egreſſus ab urbe fuerat
die, Saguntum peruenit: ſtatimq; aduer-
ſus Pompeios duos & Labienum atque
Accium Varum, multa bella & uaria ſor
te geſſit. Vltimum bellũ apud Mundam
urbem geſtũ eſt, ubi tantis eſt uiribus di-
micatum, tantaq; cædes acta, ut Cæſar
quoq; ueteranis etiã ſuis cedere non eru-
beſcẽtibus, cum cædi cogiq; aciem ſuam
cerneret, præuenire morte futurũ uicti
dedecus cogitarit, cũ ſubito uerſus in fu-
gam, Pompeiorũ ceſſit exercitus. Et qui-
dem eo die hoc actum eſt, quo Pompeius
pater ab urbe bellum geſtur⁹ aufugerat,
quatuorq; annis hoc ciuile bellum indeſi
nenter toto orbe tonuit. Titus Labienus
& Accius Varus in acie cæſi ſunt. Cneus
Põpeius cũ cẽteſimo eqte aufugit. Frater
eius Sextus Pompeius cõtracta celeriter
non parua Luſitanorum manu, cum Cæ
ſonio congreſſus & uictus, fugienſq; in-

*Cæſaris deſperatio.*

*Sex. Pom. occiditur*

Universidad de Deusto Biblioteca



terfectus eſt. Munda ciuitas cum immenſa hominum cæde, Cæſare oppugnante, uix capta eſt.

*De Cæſaris interitu, & ob eum tumultibus & bellis.* Caput XVII.

CAeſar Romam redijt: ubi dum reipublicæ ſtatum contra exempla maiorum clemẽter inſtaurat, autorib⁹ Bruto & Caſſio, conſcio etiam ſenatu plurimo, in curia uiginti & tribus uulnerib⁹ confoſſus interijt. In qua coniuratione fuiſſe amplius ſexaginta conſcios ferunt. Duo Bruti & Caius Caſſius alijq; ſocij, ſtrictis pugionibus in Capitolium ſeceſſerunt.

*Cæſar occiditur.*

Diu deliberatum eſt, utrum Capitolium cum autorib⁹ cædis oporteret incendi. Corpus eius raptum populus dolore inſtimulatus, in foro fragmentis tribunalium ac ſubſelliorum cremauit. Percenſuit latitudinẽ regni ſui Roma cladibus ſuis, atq; in ſuam conuerſa cædem, ſingulas quaſq; gentes ibidem, ubi *domuit, uindicauit. Aſiæ, Europæ, atque Aphricæ, non dico tribus mundi partibus, ſed totis triũ partiũ angulis, edidit gladiatores ſuos; feriatiſq; inimicis, ſpectacu-

**potuit.*



lum miſeræ ultionis ingeſſit. Nec tamen ſufficit, ipſas quoq; cum autoribus cauſas fuiſſe conſumptas. recidiua ſemina in eodem agro germinant, magna continuo metentibus malorũ incrementa cum magno ſudore factura. uictor ciuilis belli à ciuibus Cæſar occiditur, in cædem unius trahitur agmina conſciorũ. Certum eñ erat, quia Cæſar indigne peremptus, plures poſſet habere ultores. Plurimaq; nobilitas unà ſimul catena ſceleris copulatur, ne forte tanta malorum materia non belli magnitudine ſuppleatur, ſed uindictæ breuitate teneatur. Medeam illam fabulæ ferunt, dentes quondam ſeuiſſe ſerpentis, è quibus quaſi competentes ſemini ſegetes, armati homines terra emerſerunt, ſeſeq; mox inuicem pugnando proſtrauerunt. Equidem hoc poëtarum cõmenta finxerunt. Noſtra autem Roma, Cæſare occiſo, quanta de cineribus eius agmina armata parturijt? Quãta bella in teſtimonium miſeræ fœcunditatis non legẽda pueris, ſed ſpectanda populis excitauit? & tamen horum omnium malorum initium ſuperbia eſt. Inde exarſerunt bel

Universidad de Deusto Biblioteca



a ciuilia, inde iterum pullularunt. Non ergo iniuſta cædes eſt eorum qui eam iniuſte conſectantur, ſi ambitionis æmulatio per ipſos atq; in ipſis & agitur & punitur, donec qui detrectauere collegium, diſcant ferre dominatum: ſummaq; imperij totius ad unum redacta, longe aliud omnes homines uiuendi genus ſubeant, ut omnes humiliter placere ſtudeãt, non inſolenter offendere. Sed ad tam ſalubrem humilitatis doctrinam magiſtro opus eſt. Itaq; opportune compoſitis rebus, Auguſti Cæſaris temporibus natus eſt dominus Chriſtus: qui cum in forma dei eſſet, formã ſerui humiliter aſſumpſit: ut tũc demũ aptior fieret humilitatis inſtitutio, quando iam per totum mũdum pœna ſuperbiæ omnibus eſſet exemplo.

*Philip. 2.*

*De Cæſare Octauio Auguſto, rebusq; per eũ geſtis. Caput XVIII.*

ANno ab urbe condita DCCX. interfecto Iulio Cæſare, Octauius q teſtamento Iulij Cæſaris auunculi & hæreditatem & nomẽ aſſumpſerat, idemq; qui poſtea rerũ potitus, Auguſtus eſt dictus, ſimul ut Romam adoleſcens admo-



dum uenit, indolem ſuam bellis ciuilibus uouit. Nam, ut breuiter coaceruationem malorum explicem, bella ciuilia quinque geſſit, Mutinenſe, Philippẽſe, Peruſinum, Siculum & Actiacum: è quibus duo, hoc eſt, primum & nouiſſimũ, aduerſus Marcum Antonium: ſecũdum aduerſus Brutum & Caſſium, tertium aduerſus Lucium Antonium, quartum aduerſus Sextum Pompeium, Cnei Pompeij filiũ, confecit. Antonius à ſenatu hoſtis pronunciatus, Decium Brutum apud Mutinam obſidione concluſerat. Conſules Hircius & Panſa & cum his Cæſar, ad liberandum Decium Brutum, expugnandumq; Antonium miſſi, Panſa primo ueniens, exceptꝰ inſidijs, inter ſuorum clades, ipſe quoque pilo grauiter uulneratus, ab eodem uulnere interpoſitis diebus eſt mortuus. Hircius auxilium collegæ ferẽs, magnas Antonij copias uaſta ſtrage deleuit. Cæſar eatenus caſtra cuſtodiuit. Secunda illa aduerſum Antoniũ pugna, magnæ utrinque ſtrages actæ ſunt. Nanq; tunc ibi Hircius conſul occiſus eſt, uictus fuit Antonius, Cæſar uictoria potitus eſt, cui Decius

*Quinq; bella ciuilia à Cæſare geſta.*

*Vincitur Antonius à Cæſare.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Brutus de coniuratione occiſi Iulij Cæſa-
ris confeſſus, preces pœnitētiæ fudit, Do
labella Trebonium unum ex interfectori
bus Cæſaris, Smyrnæ interfecit. Dolabel
lam ſenatus hoſtem pronunciauit. Con-
ſulum occiſorum uterq; exercitus Cæſa-
ri paruit. Poſtea Decius Brutus in Gal-
*Baſillus.* lia à Sequanis captus & occiſus eſt. Baſili
us autem æquè unus de percuſſoribus,
manu ſeruorum ſuorum necatus eſt. Le-
pido ſatiſagente, Cæſar Antonium rece-
pit in gratiam: atq; ob fidem recōciliatæ
gratiæ, filiam eius matrimonio ſortitus
eſt. Inde cum ad urbem acceſſiſſent, ac ru-
mor de futura proſcriptione ortus eſſet,
*Proſcriptorum numerus* Caius Toranius uir prætorius, nihil tale
metuens, incurſu militum domi ſuæ in-
terfect⁹ eſt, aliiq; cōplures trucidati ſunt.
Itaq; ne latius atq; effrenatius incircūſcri
pta cædes ageretur, centum triginta &
duum ſenatorū noīa in tabula propoſita
ſunt, primū Lepidi præcepto & noīe, de-
inde Antonij, tertio Cæſaris. Ibi Antoni⁹
*Tullius proſcribitur.* Tulliū Ciceronē inimicū ſuū, ibi L. Cæſa-
rem auunculū ſuū, & (qđ exaggerādo ſce
leri acceſſit) uiua matre proſcripſerat, ibi



Lepidus Lucium Paulum fratrē ſuum, in
eundem proſcriptorum gregem coniece
rat. Adiecti ſunt poſtea ad numerum pro
ſcriptorū triginta equites Romani. Mul-
tæ diu & uariæ cædes actæ, domus pro-
ſcriptorū, direptis omnibus, dirutæ ſunt.
At Dolabella in Syria multa cum Caſſio
bella geſſit, à quo uictus, ſeſe interfecit.
Brutus & Caſſius magnis exercitibus cō
paratis, apud Athenas conuenerunt, to-
tamq; Græciam depopulati ſunt. Rhodi
os Caſſius terra mariq; oppugnatos, ad
deditionem coegit, quibus præter uitam
nihil reliquit. Igitur Cæſar & Antonius
eoſdē in Macedoniam magnis bellorum
apparatibus perſecuti, ad mortem com-
pulerūt: quamuis manifeſtiſſime illa tunc
pugna, nō uirtute partis Antonij, ſed Cæ
ſaris felicitate confecta ſit. Cæſar eīm tunc
æger, cum ſe in caſtris capiendæ quietis
cauſa tenere ſtatuiſſet, hortatu & preci-
bus medici ſui, qui per ſomnum admo-
nitum ſeſe fatebatur, ut ea die caſtris Cæ
ſarē ſalutis ipſius cauſa educeret, in cam-
pū æger inter copias egreſſus eſt, ac mox
caſtra eius ab hoſtibus capta ſunt; ſed rur-

Universidad de Deusto Biblioteca



ſus Cæſariani milites Caſſij caſtra cepe=
rũt. Quare ad deſperationem adacti Bru=
tus & Caſſius, immaturam ſibi mortem
ante belli terminum conſciuerunt. Nam
inuitatis pcuſſoribus Caſſius caput, Bru=
tus latus præbuit. At Romæ Fuluia uxor
Antonij, ſocr⁹ Cæſaris, dominatũ ut mu
lier agitabat: incertũ in hac mutatiõe cõ=
ſularis regijq́; faſtigij, utrũ deficientis po
tẽtiæ ultima, an incipiẽtis prima nominã
da, certe etiã in eos inſolẽs, p quos ut inſo
leſceret, agebat. Nã & Cæſarẽ reuerſum
apud Brunduſiũ contumelijs, factionib⁹,
inſidijsq́; petijt. A quo ꝑpulſata, ad Anto
nium conceſſit in Græciam. Sextus Pom
peius poſtquam ſe in proſcriptorum nu=
merum relatum comperit, conuerſus in
latrocinia, omnem oram Italiæ cædibus
rapinisq́; uaſtauit. Sicilia prærepta, com
meatibusq́; impeditis, Romam fame affe
cit. Mox cum eo pacem triumuiri, ut nõ
dicam tyranni, id eſt, Lepidus, Cæſar An
toniusq́;, fecerunt. Sed cõtinuo cum con=
tra pactũ Põpeius fugitiuos *delegaret, ut
hoſtis habit⁹ eſt. Mœna libertus Põpeij,
cũ ·ſexaginta nauiũ claſſe ad Cæſarẽ defe

*Bruti & Caßij interitus.*

*Fuluiæ uxoris Antonij facinus.*

** deligeret.*

*·LXX,*



cit, eidemq́; claſſi ipſe iuſſu Cæſaris præ=
fuit. Idemq́; cõtinuo cum Statilio Tauro
aduerſus Menecratũ Põpeianũ ducẽ na=
uale bellum geſſit. Deinde ipſe Cæſar ad=
uerſus eoſdẽ Pompeianos cruẽtiſſimum
bellum geſſit, nauale confecit, ſed conti=
nuo uictricem claſſem pene uniuerſam
apud Scyllaceum naufragio amiſit. Ven
tidius Perſas & Parthos in Syriam irrũ=
pentes, tribus bellis maximis fudit, re=
gemq́; eorũ Pacorum in acie interfecit,
ea ſcilicet die qua Craſſus à Parthis fue=
rat occiſus. Antonius uno uix caſtello ex=
pugnato, pacem cum Antiocho fecit, ut
ipſe tantam rem cõſummaſſe uideretur.
Vẽtidium Syriæ præfecit, iuſſitq́; ut An=
tigono bellum inferret: qui Iudæos tunc
forte debellauerat, captisq́; Hieroſoly=
mis, templum ſpoliauerat, regnumq́; He
rodi dederat: quem continuo uictum, in
deditionem recepit. Mœna libertus cum
ſex nauib⁹ ad Pompeium redijt, à quo cle
menter receptus, Cæſaris claſſem incen=
dit, quamuis nuper Cæſar alteram ſecũ=
do naufragio perdidiſſet. Idemq́; Mœna
poſtea ab Agrippa nauali prælio circun=

*Cæſaris cruẽtum præliũ & naufragium.*

Universidad de Deusto Biblioteca



uentus, cum ſex triremibus ad Cæſarem tranſiit. Sed hunc Cæſar tertio transfugam, indulta tantum uita, ſegnẽ reliquit. Deinde Agrippa inter Milas & Liparas aduerſus Democham & Pompeium nauale præliũ geſſit, ac uicit: ibiq; tunc naues triginta aut demerſit, aut cepit, reliq; laceratis. Pompeius deniq; Meſſanã confugit. Cæſar interea Taurominium traiecerat, quem repẽtino impetu Pompeius afflixit. Vñ multis dimerſis nauibus ſuis, ac magna multitudine ſuorum militum perdita, in Italiã Cæſar aufugit, nec interueniente mora, in Siciliã rediit: ibiq; Lepidum ex Aphrica aduentãtem, obuium habuit, ſummas ſibi partes terrore, minis ac ſuperbia uendicantem. Poſt dies paucos Agrippa iuſſu Cæſaris à littore cum acie inſtructa proſpectantis, atrociſſime nauali prælio aduerſus Pompeium conflixit & uicit. Nã CLXIIII. naues aut demerſit, aut cepit. Pompeius cum decem & ſeptem nauibus uix elapſus, euaſit. Lepidus magna uiginti legionum inſolentia tumẽs, cum Meſſanam militibus permiſſam diripuiſſet, ipſum Cæſarem ad ſe

*Bellum Agrippæ inter Milas & Liparas.*



uenientem ſemel atq; iterum ſpreuit, ac potius telis appeti iuſſit: quæ ille, collecta in læuum brachium lacerna, repellẽdo uitauit. Mox immiſſo equo ad ſuos reuerſus, inſtructo exercitu aduerſus Lepidum ueniens, plurimas legiones Lepidi, paucis interfectis, trãſire in ſuam partem compulit. Lepidus tandem intelligens, quo uanitas ſua tenderet, depoſito paludamento, aſſumptaq; ueſte pulla, ſupplex Cæſari factus, uitã & bona impetrauit, perpetuo quidem mulctatus exilio. Taurus Cæſaris præfectus, totam pene Siciliam ferro perterritã cõterritamq;, in fidem recepit. quadraginta quatuor legiones ſub unius tunc imperio Cæſaris erãt. Milites multitudine ferociores, quoſdam pro ambiendis agris tumultus excitauerunt. Sed Cæſar animo ingens, uiginti millia militum exautorauit, triginta millia ſeruorum dominis reſtituit, ſex millia quorum domini non extabãt, in crucem egit. Ouans urbem ingreſſus, ut in perpetuũ tribunitiæ poteſtatis eẽt, à ſenatu decretũ eſt. His dieb⁹ trãs Tiberim ẽ taberna meritoria fons olei terra exundauit, ac

*Cæſaris animaduerſio in milites.*

*Fons olei largiſſime fluxi*

Universidad de Deusto Biblioteca



pertotum diem largiſſimo riuo fluxit.

*De bello & prælijs inter Antonium auxilian-
te Cleopatra & Auguſtum Cæſarem. qui il-
los uicerit, & ad mortem ſibi conſciſcendam
adegerit. Caput XIX.*

ANtonius uero poſtquam Araxem
transſmiſit, omnibus undiq; malis
circunuentus, uix tandem Antiochiam
cum paucis redijt. Nam cum multitudi
ne equitum & ſagittariorum ab omnib⁹
prælijs, quæ plura tẽtauit, uictus ſemper
effugeret, tum præterea incertis & igno
tis regionis locis impeditus, grauiſſima
fame ad nefandos cibos coactus eſt, pluri
miq; militum ſeſe hoſtibus dediderunt.
Inde in Græciam trãſijt, iuſſitq; Pompe-
ium, qui uictus à Cæſare exercitum bel-
lumq; reparabat, cum paucis ad ſe ueni-
re. Pompei⁹ fugiẽs, à Tito & Formo An-
tonianis ducibus ſæpe terreſtri naualiq;
bello uictus & captus, ac poſt paululum
interfectus eſt. Cæſar Illyricum & Pan-
noniam, partemq; Italiæ bellis ſubegit &
*Antonius Artabanẽ capit.*
domuit. Antoni⁹ Artabanem Armeniæ
regem, proditione & dolo cepit: quem
argentea catena uinctum, ad cõfeſſionem
theſaurorum regiorũ coegit, Expugna-



toq; oppido, in quo conditas eſſe prodi-
derat, magnam uim auri argẽtiq; abſtu-
lit. Qua elatus pecunia, denũciari bellum
Cæſari, atque Octauiæ ſorori Cæſaris,
*Antonius uxorẽ repudiat.*
uxori ſuæ, repudium indici iuſſit, & Cle
opatrã ſibi ex Alexandria occurrere im-
perauit. Ipſe Actium, ubi claſſem cõſtitu-
erat profectus, cum prope tertiam partẽ
remigum fame abſumptam offendiſſet,
nihil motus: remi, inquit, modo ſalui ſint.
Nam remiges non deerunt, quoad Græ-
cia homines habuerit. Cæſar ducẽtis tri-
ginta roſtratis nauibus à Brunduſio in E-
pirum profectus eſt. Agrippa uero præ-
miſſus à Cæſare, multas onerarias naues,
frumẽto atq; armis graues, ab Aegypto,
Syria, Aſiaq; ad ſubſidiũ Antonio ueni-
entes cepit. Peragratoq; Peloponnenſi-
um ſinu, Methonam urbem ualidiſſimo
Antoniano præſidio munitam, expugna
*Corcyra expugnata.*
uit. Inde Corcyram cepit. fugientes na-
uali prælio perſecutus, profligauit: mul-
tiſq; rebus cruentiſſime geſtis, ad Cæſa-
rem uenit. Antonius defectu & fame mi
litum ſuorum commotus, bellum inſti-
tuit maturare; ac repẽte inſtructis copijs,

Universidad de Deusto Biblioteca



ad Cæſaris caſtra proceſſit, & uictus eſt. Tertio poſt pugnam die, caſtra Antonius ad Actiũ tranſtulit, nauali prælio decernere paratus, ducentæ triginta roſtratæ fuere Cæſaris naues, & triginta ſine roſtris, triremes uelocitate liburnicis pares, & octo legiones claſſi ſuperpoſitæ, abſq; cohortibus quinq; prætorijs. Claſſis Antonij CLXX. nauium fuit, quantũ numero cedens, tantum magnitudine præcellens. Nam decem pedum altitudine à mari aberat. Famoſum & magnum hoc bellũ apud Actium fuit. Ab hora quinta uſq; in horam ſeptimam, incerta uincendi ſpe, grauiſſime utrinq; cædes actæ: reliquum diei cum ſubſequẽte nocte, in uictoriam Cæſaris declinauit. Prior regina Cleopatra cum ſexagita uelociſſimis nauibus fugit. Antonius quoque, detracto inſigni prætoriæ nauis, fugiẽtem ſecutus eſt uxorem. Illuceſcente iam die, uictoriam Cæſar conſummauit, duodecim millia ex uictis cecidiſſe referuntur, ſeptem

·VI. ·millia uulnerata ſunt, è quib⁹ mille inter curandum defecerunt. Antonius & Cleopatra communes liberos cum parte regiæ gazæ ad rubrum mare præmit-



tendos cenſuerũt. Ipſi præſidijs circa duo Aegypti cornua, Peluſiũ Parætoniumq; diſpoſitis, claſſem & copias inſtaurando bello parauerunt. Cæſar ſextum imperator appellatus, & quartum ipſe cũ Marco Licinio Craſſo conſul, Brunduſium uenit: ibiq; orbis terrarum præſidia, diuiſis legionibus, compoſuit. Inde in Syriam ꝓfectus, mox Peluſium adijt, ubi ab Antonianis præſidijs ultro ſuſcept⁹ eſt. Interea Corneli⁹ Gallus præmiſſus à Cæſare, q̃tuor legiões q̃s Antoni⁹ apud Cyrenas p̃ſidij loco cõſtituerat, ſuſcepit in fidẽ: atq; inde Parætoniũ primã Aegypti à Lybiæ parte ciuitatem, uicto cepit Antonio, ipſumq; continuo apud Pharum uicit. Antonius equeſtre aduerſus Cæſarẽ bellum inijt, in eo quoq; miſerabiliter uictus aufugit. Calẽdis ſextilibus prima luce Antonius cum ad inſtruendã claſſem in portum deſcẽderet, ſubito uniuerſæ naues ad Cæſarem tranſierunt. Cumq; unico præſidio ſpoliatus eſſet, trepidus ſe cum paucis recepit in regiam. Deinde imminente Cæſare, turbataq; ciuitate, idem Antonius ſeſe ferro tranſuerberauit. ac ſemiani-

*Cæſar ſextũ imperator & quartum conſul.*

*Antonij exitus.*

*Cleopatræ interitus.*

mis ad Cleopatram in monumentum, in quod ſe illa mori certa condiderat, perlatus eſt. Cleopatra poſtquam ſe ad triumphum ſeruari intellexit, uoluntariá mortem petens, ſerpentis (ut putatur) morſu in ſiniſtro tacta brachio, exanimis inuenta eſt, fruſtra Cæſare etiam Pſyllos admouente, qui uenena ſerpentium è uulneribus hominum hauſtu reuocare atq; exugere ſolent. Cæſar Alexādria, urbe omnium longe opulentiſſima & maxima, uictor potitus eſt. Nam & Roma intātum opibus eius aucta eſt, ut propter abundantiam pecuniarum, duplicia quàm uſque ad id fuerant, poſſeſſionum aliarumq; rerum uenalium precia ſtatuerentur. Occiſi ſunt iuſſu Cæſaris, maior Antonij fili', & Publius Caninius infeſtiſſimus qdem ſemper Cæſari, ſed & Antonio infidus, & Caſſius * Parmenſis, ultima uiolatæ partis Cæſaris uictima, & Q. Ouinius ob eam maxime notá, q obſcœniſſime lanificio textrinoq; reginæ, ſenator populi Romani peſſe nō erubuerat. Dehinc Cæſar pedeſtribus copijs in Syriā uenit, deinde in Aſiam ad hyberna conceſſit, ac pōſt per Græciam Brunduſium peruectus eſt.

*Cæſar quos occidi iuſſerit*

** Palmēſis*



*De triumpho Cæſaris & nomine Auguſti, monarchia Rom. & Epiphanijs noſtris, deinde fontis olei explicatio. Cap. XX.*

ANno ab urbe condita DCCXXV. ipſo imperatore Cæſare Auguſto quinquies, & Lucio Apuleio conſulibus, Cæſar uictor ab oriente rediens, octauo Idus Januarij urbē triplici triumpho ingreſſus eſt: ac tum primum ipſe Iani portas, ſopitis omnibus finitiſq; bellis ciuilibus, clauſit. Hoc die primum Auguſtus conſalutatus eſt. Quod nomen cunctis antea inuiolatum, & hucuſq; cæteris inauſum dominis, tantum orbis licite uſurpatum apicem declarat imperij: atq; ex eodem die ſumma rerum ac poteſtatum penes unum cœpit eſſe & māſit, quod Græci monarchiā uocant. Porro autē huncce eundem eſſe diem, hoc eſt, octauum Idus Januarias, quo nos Epiphania, hoc eſt, apparitionem ſiue manifeſtationem dominici ſacramēti obſeruamus, nemo credentium ſiue etiam fidei contradicētium, neſcit. De quo noſtræ ipſius fideliſſimæ obſeruationis ſacramento huberius nunc dicere, nec ratio, nec loc' flagitat: ut & quæ

*Auguſti uocabulū primo Cæſari inditum.*

rentibus reſeruaſſe, & negligētibus non ingeſſiſſe uideamur Hoc autem fideliter commemoraſſe ideo par fuit, ut ꝑ omnia uenturi Chriſti gratia præpa ratum Cæſaris imperium comprobetur. Nam cum primum, Caio Cæſare auunculo ſuo interfecto, ex Apollonia rediens urbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente liquido ac puro ſereno circulus ad ſpeciem cæleſtis arc⁹, orbē ſolis ambĳt, quaſi unũ eum ac potentiſſimum in hoc mundo, ſolumq́ꝫ clariſſimũ in orbe mōſtraret, cuius tempore uenturus eſſet, qui ipſum ſolem ſolus, mundumq́ꝫ totum & feciſſet & regeret. Dinde cum ſecundo in Sicilia receptis à Pompeio & Lepido legionibus, triginta ſeruorum millia dominis reſtituiſſet, & · quadragintaquatuor legiones ſolus imperio ſuo ad tutamē orbis terrarum diſtribuiſſet, ouáſq́ꝫ urbem ingreſſus, omnia ſuperiora populi Romani imperatori debita donanda, literarum etiam monimentis abolitis, cenſuiſſet, in diebus ipſius fons olei largiſſimus, ſicut ſuperius expreſſi, de taberna meritoria per totum diem fluxit. Quo ſigno q̃d

*Cæſaris beneficentia.*

·LIIII.



euidentius, quàm in diebus Cæſaris toto orbe regnātis, futura Chriſti natiuitas declarata eſt? Chriſtus enim lingua gentis eius in qua, & ex qua natus eſt, unctus interpretatur. Itaq; cum eo tēpore quo Cæſari perpetua tribunitia poteſtas decreta eſt, Romæ fons olei ꝑ totum diem defluxit: ſub principatu Romani imperĳ per totum diem, hoc eſt, per omne Romani temp⁹ imperĳ, Chriſtum & ex eo Chriſtianos, id eſt, unctum, atque ex eo unctos, de meritoria taberna, hoc eſt, de hoſpita largaq́ꝫ eccleſia affluenter atq; inceſſabiliter proceſſuros, reſtituendosq́ꝫ per Cæſarem omnes ſeruos, qui tamen cognoſcerent dominum ſuum, cæterosq́ꝫ, qui ſine domino inuenirēt, morti ſupplicioq́ꝫ dedendos, remittendaq́ꝫ ſub Cæſare debita peccatorũ in ea urbe, in qua ſpontaneum fluxiſſet oleum, euidētiſſima his qui prophetarũ uoces non audiebāt, ſigna in cælo, & in terra prodigia prodiderũt. Tertio autem, cum urbem triumphans quintum cōſul ingreſſus eſt, eo ſcilicet die, quē ſupra nominauimus, cum & Ianum poſt ducentos annos primũ ipſe clauſit, & cla-

*Fontis olei typ⁹.*

*Signa in cælo & terra Chriſti natiuitatis.*

riſſimum illud Auguſti nomē aſſumpſit, quid fidelius ac uerius credi aut cognoſci poteſt, concurrentibus ad tantam manifeſtationem, pace, nomine, die, quàm hunc occulte quidem geſtorum ordine, ad obſequium præparationis eius prædeſtinatum fuiſſe: qui eo die quo ille manifeſtandus mundo poſt paululum erat, & pacis ſignum prætulit, & poteſtatis nomen aſſumpſit? Quid autē in quarto reditu cum finito Cantabrico bello, pacatiſq; omnibus gentibus, Cæſar urbem repetijt, ad cōteſtationem fidei, quam expromimus, actum ſit, ipſo ordine melius proferetur.

*Cæſar quomodo Hiſpanias ingreſſus, Cantabros Aſtureſq; uicerit. Druſus quos in Germania ſubegerit, & Coſſus in Aphrica, deq; Tiberij, Quintilij Vari, & Agrippæ geſtis.*

*Caput* XXI.

ANno ab urbe cōdita DCCXXVI. imperatore Auguſto Cæſare ſexies, & bis Marco Agrippa cōſulibus, Cæſar parum in Hiſpania ꝑ ducentos annos actum intelligēs, ſi Cantabros atq; Aſtures duas fortiſſimas gentes Hiſpaniæ ſuis uti legib⁹ ſineret, aperuit Iani portas, atq;

*Iani por- ta aper- te.*



in Hiſpanias ipſe cum exercitu profectus eſt. Cantabri & Aſtures Gallecìæ prouinciæ portio ſunt, qua extentum Pyrenæi iugum haud procul ſecundo oceano ſub ſeptentrione deducitur. Hi non ſolum ꝓpriam libertatem tueri parati, uerumetiam finitimorū præripere auſi, Vacceos & Turmodigos & Autrigonas aſſiduis eruptionibus populabantur. Igitur Cæſar apud Segiſamam caſtra poſuit, tribus agminibus totam pene amplexus Cantabriam. Diu itaq; fatigato fruſtra atq; in periculum ſæpe deducto exercitu, tādem ab Aquitanico ſinu ꝑ oceanum incautis hoſtibus admouere claſſem, atq; exponi copias iubet. Tunc demum Cantabri ſub mœnibus *Belgicæ maximo cōgreſſi bello & uicti, in Vinnium mōtem natura tutiſſimum confugerunt, ubi obſidionis fame ad extremum penè conſumpti ſunt. *Aracillum deīde oppidum magna ui ac diu repugnans, poſtremo captum ac dirutum eſt. Præterea ulteriores Gallecìæ partes, quæ montibus ſyluiſq; cōſitæ, oceano terminantur, Antiſtius & Firmius legati magnis grauibuſq; bellis perdomue

*Atticæ.

*Racilliũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca



runt. Nam & Medullium montem Minio flumini imminentem, in quo ſe magna multitudo hominũ tuebatur, p̃ quindecim millia paſſuum foſſa circunſeptum obſidione cinxerunt. Itaq; ubi ſe gens hominũ trux natura & ferox, neq; tolerandæ obſidioni ſufficiẽtem, neq; ſuſpiciendo bello parem intelligit, ad uolũtariam mortẽ ſeruitutis timore cõcurrit. Nam ſe pene omnes certatim igne, ferro, ac ueneno necauerũt. Aſtures uero poſitis caſtris apud Aſturam flumen, Romanos, niſi proditi præuẽtiq; eſſent, magnis conſilijs uiribusq; oppreſſiſſent. Tres legatos cum legionibꝰ ſuis in tria caſtra diuiſos, tribus æque agminibus obruere repente moliti, ſuorum proditione detecti ſunt. Hos poſtea Cariſius bello exceptos, non parua etiam Romanorum clade ſuperauit. Pars eorum prælio elapſa, Lanciam confugit. Cumq; milites circundatam urbem incendio adoriri pararent, dux Cariſius, & à ſuis ceſſationem imperauit incendij, & à barbaris uoluntatem deditionis exigit. Studioſe enim nitebatur integram atq; incolumẽ ciuitatem uictoriæ



ſuæ teſtẽ relinquere. Cantabricæ uictoriæ hunc honorem detulit Ceſar, ut tũc quoq; belli portas clauſtro cohiberi iuberet. Ita tunc ſecundo per Cæſarẽ, quarto poſt urbem conditam clauſus eſt Ianus. Poſt hoc Claudius Druſus priuignꝰ Cæſaris, Galliam Rhetiamq; ſortitus, maximas fortiſſimasq; gentes Germaniæ, armis ſubegit. Nam tunc ueluti ad conſtitutum diem pacis feſtinarent, ita omnes ad experientiam belli deciſionemue fœderis undatim gentes commouebantur: aut ſuſcepturæ conditionem pacis, ſi uincerẽtur: aut uſuræ quieta libertate, ſi uincerent. Norici, Illyrici, Pannonij, Dalmatæ, Mœſii, Thraces, & Daci, Sarmatæ, plurimiq; & maximi Germaniæ populi, per diuerſos duces uel ſuperati, uel repreſſi, uel etiam obiectu maximorum fluminũ Rheni Danubijq; ſecluſi ſunt. Druſus in Germania primo Vſipetes, deinde Tencteros & Cattos perdomuit. Marcomannos pene ad internecionem cecidit. Poſtea fortiſſimas nationes, & quibus natura uires, conſuetudo experientiã uirium dabat, Cheruſcos, Sueuos & Sicambros

*Druſus in Germanos.*

*Plurimi Germaniæ populi bello ſuperati.*

pariter uno bello, ſed etiã ſuis aſpero, ſuperauit. Quorum ex eo cõſiderari uirtus ac feritas poteſt, quod mulieres quoq; eorum, ſiquando præuentu Romanorum inter plauſtra ſua concludebãtur, deficientibus telis, uel qualibet re, qua uelut telo uti furor poſſit, paruos filios colliſos humi in hoſtium ora iaciebant, in ſingulis filiorum necibus bis parricidæ. Tunc etiam in Aphrica Muſolanos & Getulos latius uagãtes, Coſſus dux Cæſaris arctatis finibus coercuit, atq; Romanis limitibus abſtinere metu cõpulit. Interea Cæſarem apud Tarraconẽ citerioris Hiſpaniæ urbem, legati Indorũ & Scytharum toto orbe tranſmiſſo, tandem ibi inuenerũt, ultra quod iam quærere nõ poſſent, refuderuntq; in Cæſarem Alexandri Magni gloriam: quem ſicut Hiſpanorũ Gallorumq; legatio in medio oriente apud Babylonem contemplatione pacis adijt, ita hunc apud Hiſpaniã in occidentis ultimo ſupplex cum gentilitio munere eous Indus, & Scytha boreus orauit. Cantabrico bello per quinque annos acto, totaq; Hiſpania in æternã pacem cum qua-



dam reſpiratione laſſitudinis reclinata ac repoſita, Cæſar Romam redijt. Quibus etiã diebus multa per ſe, multaq; per duces & legatos bella geſſit. Nam inter cæteros & Piſo aduerſum Vindelicos miſſus eſt. Quib' ſubactis, uictor ad Cæſarẽ Lugdunum uenit. Pãnonios nouo motu intumeſcẽtes, Tiberius priuignus Cæſaris cruentiſſima cæde deleuit. Idemq; cõtinuo Germanos bello arripuit, è quibus quadraginta millia captiuorũ uictor abduxit.

*Tiberius Pannonios delet.*

Quod reuera bellum maximum & formidoloſiſſimum quindecim legionibus per triennium geſtum eſt, nec fere ullum magis bellum, ſicut Suetonius atteſtatur, poſt Punicum fuit. Sub eodẽ uero tempore Quintili' Varus cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus, mira ſꝑbia atq; auaritia in ſubiectos agẽs, fundit' deletus eſt: quam reipub. cladem Cæſar Auguſt' adeo grauiter tulit, ut ſæpe ꝑ uim doloris caput parieti collidens, clamaret: Quintili Vare, redde legiones. Boſphoranos uero Agrippa ſuperauit, & ſignis Romanis, quæ illi quõdam ſub Mithridate ſuſtulerant, bello recupera-

Universidad de Deusto Biblioteca



*Parthi Auguſto ſupplices.*

tis, uictos ad deditionem coëgit. Parthi, quaſi toto terrarum orbe uel domito uel pacato, omnium oculis ſignarentur, atq; in ſe ſolos omnis uigor Romani imperij uertendus eſſet, quippe quos priſtina ulciſcendæ Craſſianæ cædis conſciētia mordebat, ultro ſigna, quæ Craſſo interfecto abſtulerant, ad Cæſarem remiſerunt: regijsq; obſidibus traditis, firmum fœdus fideli ſupplicatione meruerunt.

*Octauius Auguſtus compoſita undiq; pace, Ianum ipſe tertio clauſit, & rempublicam cō poſuit, deq; cenſu Cæſaris acto.*

*Caput XXII.*

*Auguſtus tertio Ianū clauſit*

ANno ab urbe cōdita DCCLII. Cæſar Auguſtus ab oriente in occidentē, à ſeptentriōe in meridiem, ac ꝑ totum oceani circulum cunctis gentibus una pace compoſitis, Iani portas tertio ipſe tūc clauſit. Quas ex eo per duodecim fere annos quietiſſimo ſemper obſeratas ocio, ipſa etiam rubigo conſignauit: nec prius unquam niſi ſub extrema ſenectute Auguſti pulſatæ, & Athenienſium ſeditione & Dacorum cōmotione patuerūt. Clauſis igitur Iani portis, rēpu. quā bello quæ-



ſiuerat, pace enutrire atq; amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit, per quas humanum genus libera reuerentia diſciplinæ morem gereret. Domini appellationem, ut homo declinauit. Nam cum eodem ſpectāte ludos, pronunciatum eſſet à quodam mimo, O dominum æquum & bonū: uniuerſiq;, quaſi de ipſo dictum eſſe exultātes approbauiſſent, ſtatim quidem manu uultuq; indecoras adulatiōes repreſſit, & in ſequēti die grauiſſimo corripuit edicto, dominumq; ſe poſthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus ſuis uel ſerio uel ioco paſſus eſt.

*Auguſtus dominus dici noluit.*

Igitur eo tempore, id ē, eo anno, quo firmiſſimam ueriſſimamq; pacem ordinatione dei Cæſar compoſuit, natus eſt Chriſtus: cuius aduentui pax iſta famulata eſt, in cuius ortu audientibus hominibus exultantes angeli cecinerunt, Gloria in excelſis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Eodemq; tempore, hic, ad quem rerum omnium ſumma conceſſerat, dominum ſe hominum appellari nō paſſus eſt: imò non auſus, quo uerus dominus totius generis humani, inter homines nat⁹ eſt. Eo

*Naſcente Chriſto ubiq; pax*

*Lucæ. 2.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Orbis ab Auguſto cenſus.*

dem quidem anno tunc primum idem Cæſar, quem his tantis myſterijs prædeſtinauerat deus, cenſum agi ſingularum ubique prouinciarum, & cenſeri omnes homines iuſſit, quando & deus homo uideri, & eſſe dignatus eſt. Tunc igitur natus eſt Chriſtus, Romano cẽſui ſtatim aſſcriptus ut natus eſt. Hæc eſt prima illa clariſſimaq; profeſſio, quæ Cæſarẽ omnium principem, Romanosq; dominos rerum ſigillatim cũctorum hominum edita aſſcriptione ſignauit, in qua ſe & ipſe, qui cũctos homines fecit, inueniri hominem, aſſcribiq; inter homines uoluit. Qđ nunquam penitus ab orbe condito atq; ab exordio generis humani in hunc modum, ne Babylonio quidem uel Macedonico, ut non dicam minori cuiquam regno conceſſum fuit. Nec dubium quin omnium cognitioni, fidei, inſpectioniq; pateat, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus hanc urbem nutu ſuo auctam defenſamq;, in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potiſſime uoluit eſſe, cum uenit, dicendus utique ciuis Romanus, cenſus profeſſione Romani. Quamobrem quia

*Roma Chriſti nutu aucta & perfecta.*



ad id temporis peruẽtum eſt, quo & dominus Chriſtus hunc mũdum primum aduentu ſuo illuſtrauit, regnumq; Cæſari trãquilliſſimum dedit, hunc quoq; ſextum libellum hoc fine concluſerim: ut germinantia tẽpora Chriſtiana, magiſq; inter reprimentium manus creſcẽtia, & quæ adhuc in prouectu poſita, hoꝝ ipſorum, quibus hæc reſpõdere cogimur inſectatione, mordentur, ſeptimo libello, ſi tamen adiuuante domino ſuffecerim, cõprehendam: ut quoniam ab initio &
peccare homines & puniri propter
peccata non tacui, nunc quoq;
quæ perſecutiones Chri
ſtianoꝝ actæ ſint, &
quæ ultiones
ſecutæ
ſint,
abſque
eo quod omẽs
ad peccandum gene
raliter proni ſunt, atque
ideo ſigillatim cor-
ripiunt, ex-
pediam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# PAVLI OROSII HISPANI ADVERSVS PAGANOS HISTORIARVM

## LIBER VII.

*Vnum ſolum uerumq; deum, mũdi omniumq; conditorem, atq; adeo potentiam ſuam ac patientiam, per unum, hoc eſt, Chriſtum, uoluiſſe hominibus innoteſcere.* Caput .I.

Sufficiẽtia (ut arbitror) documẽta ſunt collecta, quibꝰ abſq; ullo arcano, qđ paucorũ fideliũ ẽ, pbari de medio queat, unum illũ & uerum deũ, quem Chriſtiana fides prædicat, & condidiſſe mundum creaturáſq; eius cum uoluit, & diſpoſuiſſe per multa, cum per multa ignoraretur; & confirmaſſe ad unum, cum per unicum declaratus eſt, ſimulq; potentiã patientiamq; eius multimodis argumentis eluxiſſe. In quo



quidẽ anguſtas, deiectaſq; mentes offendi pauliſper intelligo, quod tantæ potẽtiæ, patientia tanta miſcetur. Si enim potens erat, inquiunt, creare mundum, cõponere pacem mundi, inſinuare mundo cultum ac notitiã ſui, quid opus fuit tãta (uelut ipſi ſentiſſit) & tam pernicioſa patientia, ut in ultimo erroribus, cladibus, laboribuſq; hominum fieret, quod à principio uirtute eius, quem prædicatis dei, ſic potius cœpiſſe potuiſſet? *obiectio aduerſariorum.* Quibus quidem ueraciter reſpõdere poſſem, *Dilutio.* ad hoc ab initio creatum & inſtitutũ humanum genus, ut ſub religione cum pace & ſine labore uiuens, fructu obedientiæ æternitatẽ promereretur: ſed abuſum bonitate creatoris, libertatem indulgentis in contumacem uertiſſe licentiam, atq; ex contemptu in obliuionẽ defluxiſſe; iuſtamq; nunc eſſe patientiã dei, & iuſtam in utrãque partem, ut nec cõtemptus diſperdat in totum, cui miſereri uelit; & affici laboribus, dum uelit, ſinat contemptus potẽs. Deinde ſubſequens eſſe, iuſte ſemper adhibere, quamuis ignoranti gubernatio-

Universidad de Deusto Biblioteca



nem, cui aliquãdo pie reſtituturꝰ ſit pœ-
nitenti antiquæ gratiæ facultatem. Sed
hæc quoniã etſi uerißime fortißimeq; di-
cantur, fidelem tamen atq; obedientem
requirunt: mihi autẽ, uidero an aliquan-
do credituris, certe nunc cum incredulis
actio eſt, promptius ea proferam, quæ
ipſi & ſi probare noluerint, improbare
non poßint. Itaque quantum ad conſci-
entiam humanarum mentium pertinet,
utique ſub reuerentia religionis & con-
feßiõe, cultuq; ſupernæ potẽtiæ uiuimꝰ,
diſtante duntaxat fide: quia noſtrum eſt
fateri, ex uno & per unum deum conſta-
re omnia: illorum, tam multos deos pu-
tare, quàm multa ſunt elementa. Si potẽ-
tiæ dei, inquiũt, quem prædicatis fuit, ut
Romanum imperiũ tam amplum ac tã
ſublime fieret, cur igitur patientia eiuſdẽ
obfuit ut antè non fieret? Quibus ſub eo-
dem uerbo reſpondebitur: Si potentiæ
deorum, quos prædicatis fuit, ut Roma-
num imperium tam amplũ ac tam ſubli-
me fieret, cur igitur patientia eorundem
obfuit ut antè non fieret? an ipſi dij non-
dum erãt? an adhuc Roma ipſa nõ erat?

Aliam obiectio

Reſpõſio.



an illi non colebãtur? an hæc nondũ ido-
nea imperio uidebatur? Si nondum erãt
dij, aut potentia, ceſſat intentio. Vt quid
enim iam ibi eorum diſcutio morã, ubi
ne ipſam quidẽ inuenio naturam? Si aũt
erant dij, aut potentia eorum, ut ipſi iudi-
cant, aut patientia in culpa eſt: uel patiẽ-
tia, ſi fuit: uel potentia, ſi defuit: aut ſi ma-
gis ſuadibile uidetur eſſe, tunc quidem
deos qui prouehere potuiſſent, ſed non-
dum extitiſſe Romanos qui prouehi iu-
re poſſent. Nos autem autòrem rerum
potentiam, non artificem ſciẽtiam quæ-
rimus. De dijs quippe (ut putant) ma-
gnis, non de fabris uilißimis quæſtio eſt,
quibus niſi materia accedat, ars ceſſat. Si
enim præſciſſe illis ac uoluiſſe p̃ſto ſemp
fuit, imò etiam ſubiacente præſcientia, q̃a
apud omnipotentiam de operibus dunta-
xat ſuis, hoc eſt, p̃ſcire, quod uelle, quod-
cunq; illud præſciebatur, cui uolũtas aſti-
pularetur, nõ expectari oportuit, ſed cre-
ari: maxime, cum & Iouem illum ſuum
aceruos formicarum in populos homi-
num ludo uertere ſolitum ferant. Porro
autem de cura ceremoniarum, nec recen

Fabula de Ioue.

ſendum arbitror: quoniam inter ſacra cōtinua inceſſabilibus cladibus nullus finis, ac nulla requies fuit, niſi cū ſaluator mundi Chriſtus illuxit, cuius aduentui prædeſtinatam fuiſſe imperij Romani pacem, & ſi iam ſufficienter oſtendiſſe me arbitror, paucis tamen adhuc ſupplere conabor.

*Babylonem & Romā, regnumq́; illius & huius in pleriſq; omnibus conuenire. De quatuor mundi monarchijs, de incēdio quodam Romæ, Chriſti & Abraam ſeculis.*

*Caput .II.*

PRincipio ſecundi libelli cum tempora Romanæ conditionis ſtyli tenore perſtringerem, multa cōuenienter inter Babyloniam urbem Aſſyriorū tūc principem gentium, & Romam nunc æque gentibus dominantem, compacta cōſcripſi: fuiſſe illud primum, hoc ultimum imperium: illud paulatim cedēs, at iſtud ſenſim cōualeſcēs defluxiſſe: illi ſub uno tempore nouiſſimum regem, iſti primum regem fuiſſe: illam deinde tunc inuadente Cyro, captam uelut in mortem cōcidiſſe, cum iſtam fiducialiter aſſurgentem, poſt

*Babylonis & Romæ collatio*



expulſos reges, liberis uti cœpiſſe conſilijs: præcipue cum uindicante libertatem ſuam Roma, tunc quoq; Iudæorum popul⁹, qui apud Babyloniam ſub regibus ſeruiebat, in ſanctam ciuitatem Hieruſalem recepta libertate redierit, templūq́; domini ſicut à ꝓphetis prædictū fuerat, reformarit. Præterea interceſſiſſe dixerā inter Babylonium regnum, quod ab oriente fuerat, & Romanum, quod ab occidente conſurgens, hæreditate oriētis enutriebatur, Macedonicum, Aphricanumq́; regnum, hoc eſt, quaſi à meridie ac ſeptentrione breuibus uicibus partes tutoris curatoriſq; tenuiſſe. Orientis & occidentis regnum, Babylonium & Romanum iure uocitari, neminem unquam dubitaſſe ſcio. Macedonicum regnum ſub ſeptētrione eſſe cum ipſa cæli plaga, tum Alexandri Magni aræ poſitæ uſq; ad nūc ſub Riphæis mōtibus docent. Carthaginem uero uniuerſæ præcelluiſſe Aphricæ, & nō ſolum in Siciliam, Sardiniam, cæteraſq́; adiacentes inſulas, ſed etiam in Hiſpanias regni terminos tetendiſſe, hiſtoriarum ſimul monimenta urbiumq́; declarant. Di

*Regna partium mūdi quatuor.*



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



ctum eſt etiam uaſtatæ per Medos Baby
loniæ, & irruptæ per Gothos Romæ, pa
res admodum annorum numeros cucur
riſſe. Nunc autem his illud adijcio, quo
magis clareat unum eſſe arbitrum ſeculo
rum, regnorum, locorumq́; omnium de
um. Regnum Carthaginienſe à conditio
ne uſq; ad euerſionem eius, paulo ampli
us quàm ſeptingētis annis ſtetit: æque re
gnum Macedonicū à Carano uſq; ad Per
ſen paulo minus quàm DCC. utrunq; ta
men ſeptenarius ille numerus, quo iudi
cantur, omnia terminauit. Roma ipſa eti
am quamuis ad aduētum domini noſtri
Ieſu Chriſti perfecto proueheretur impe
rio, tamen paululum & ipſa in occurſu
numeri huius offendit. Nam ſeptingē
teſimo conditionis ſuæ anno, quatuorde
cim uicos eius, incertum unde conſurgēs
flamma conſumpſit: nec unquam, ut ait
Liuius, maiore incendio uaſtata eſt, adeo,
ut poſt aliquot annos, Cæſar Auguſt⁹ ad
reparationem eorum, quæ tunc exuſta erāt,
magnam uim pecuniæ ex ærario publi
co largitus ſit. Poteram quoq; oſtendere,
eundem duplicatum numerum manſiſſe

*Roma incēdio correpta.*



Babyloniæ, quæ poſt mille quadringen
tos & quod excurrit annos, ultime à Cy
ro rege capta eſt, niſi præſentium cōtem
platiōe reuocarer. Illud ſane libēter adij
cio, quia primi illius regum omniū Ni
ni, quáuis & pater eius Belus obſcure pri
mus regnaſſe referatur. Illius ergo Nini
anno, poſtquā regnare cœperat, XLIII.
natus eſt ſanctus ille Abraam, cui dictæ
ſunt repromiſſiones, ex cuius ſemine pro
miſſus eſt Chriſtus: deinde nunc primi
iſtius imperatorū omnium Auguſti Cæ
ſaris, quamuis & pater eius Cæſar meta
tor imperij potius quàm imperator exti
terit: iſtius inquā Cæſaris, poſteaquā im
perare cœpit, emenſo ꝓpemodum anno
XLII. natus eſt Chriſtus, qui Abraæ ſub
Nino primo rege fuerat repromiſſ⁹. Na
tus eſt autem VIII. calēdas ianuarij, quan
do primum incrementa omnia anni ueni
entis incipiunt. Ita factum eſt ut cū Abra
am XLIII. nat⁹ ſit anno, ſub fine XLII. na
tiuitas Chriſti conueniret, ut iam nō ipſe
in parte tertij anni, ſed in ipſo potius ter
tius annus oriretur. Qui annus, quantis,
quàm nouis, quàq; inuſitatis bonis abun

*Abraam ſub Nino. Chriſtus ſub Auguſto natus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



dauerit, ſatis etiã me non proferente cõpertum haberi arbitror, toto terrarũ orbe una pax omnium, non ceſſatione, ſed abolitione bellorum, clauſæ Iani gemini portæ, extirpatis bellorum radicibꝰ, non repreſſis, cenſus ille primus & maximus fuit, cum in hoc unũ Cæſaris nomen uniuerſa magnarum gentium creatura iurauit: ſimulq; per cõmunionem cẽſus, unius ſocietatis effecta eſt.

*Chriſtus quando ad hominum ſalutem natus, quomodo ſtatim perſecutus, de ingẽti Romæ fame & iugi pace.* Caput III.

*Chriſtus quoto urbis anno natus.*

IGitur anno ab urbe cõdita ſeptingenteſimo quinquageſimoſecundo natus eſt Chriſtus, ſalutarẽ mundo afferens fidem, uere petra medio rerum poſita: ubi comminueretur, qui offenderet: qui crederet, ſaluaretur: uere ignis ardens, quem qui ſequitur, illuminatur: qui tentat, exuritur. Ipſe eſt Chriſtus, Chriſtianorum caput, ſaluator bonorum, malorum punitor, iudex omnium, qui formam ſubſecuturis uerbo & opere ſtatuens, quo magis doceret patiẽtes in perſecutionibus, quas pro uita æterna exciperẽt, eſſe opor-



tere, mox ut uirginis partu editus mundo apparuit, de paſſionibus ſuis cœpit. Nanq; cum rex Iudææ Herodes ſimul ut natum competit, necare decreuit, plurimosq; tunc paruulos, dum unum inſectatur, occidit. Hinc malignis improbe incurrẽtibus digna punitio eſt. Hinc inquantum tranquille agitur mundus, credentium gratia: inquantũ pernicioſe inquietatur, blaſphemantium pœna eſt: ſecuris per om̃ia Chriſtianis fidelibꝰ, quibus aut æternæ uitæ requies in tuto, aut etiam huiꝰ in lucro eſt: quod promptius cum per ordinẽ referam, ipſis rebus oſtẽdam. Poſtquam redemptor mũdi dominus Ieſus Chriſtus uenit in terras, & Cæſaris cenſu ciuis Romanus aſcriptus eſt, dum per duodecim, ut dixi, annos, clauſæ belli portæ beatiſſima pacis tranquillitate cohibentur, Caium nepotẽ ſuum Cæſar Auguſtus ad ordinandas Aegypti Siriæq; prouincias miſit, qui præteriens ab Aegypto fines Palæſtinæ, apud Hieroſolymam in templo dei tunc ſancto & celebri adorare contempſit, ſicut Suetonius Trãquillus refert. Quod Auguſtꝰ ubi

*Matth. 2.*

Universidad de Deusto Biblioteca



per eum comperit, prauo uſus iudicio, prudenter feciſſe laudauit. Itaq; anno imperij Cæſaris quadrageſimooctauo, adeo dira Romanos fames cõſecuta eſt, ut Cæſar laniſtarum familias, omnesq; peregrinos, ſeruorum quoq; maximas copias, exceptis medicis & præceptoribꝰ, trudi urbe præceperit. Ita peccãte principe in ſanctum dei, & correpto per famem populo, quantitatem offenſionis qualitas ultionis oſtendit. Deinde, ut uerbis Cornelij Taciti loquar, ſene Auguſto Ianꝰ patefactus, dum apud extremos terrarum terminos nouæ gentes ſæpe ex uſu, & aliquando cum damno quæruntur, uſq; ad Veſpaſiani durauit imperium: Hucuſq; Cornelius. Cæterum & tunc capta euerſaq; urbe Hieroſolymorũ, ſicut prophetæ prænunciauerunt, extinctiſq; Iudæis, Titus qui ad uindicãdum domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguinẽ iudicio dei fuerat ordinatus, uictor triumphãs cum Veſpaſiano patre Ianum clauſit. Igitur etſi ſub extremis Cæſaris temporibꝰ apertus eſt Ianus, tamen per multa ex eo tempora quamuis in procinctu eſſet exercitus, nul-

*Grauiſſima fames Romæ ob religionis cõtemptũ*

*Titus euerſa Hieruſalem Ianũ claudit.*



la bella ſonuerunt. Vnde etiam dominus ipſe Ieſus Chriſtus in euangelijs, cum tẽporibus illis in ſumma trãquillitate uniuerſus mundus ageret, cunctaſq; gentes pax una uelaret, & à diſcipulis ſuis interrogatus eſſet, de conditione temporum ſubſequentium, inter cætera ſic ait: Audituri autem eſtis prælia & opiniões præliorũ. uidete ne turbemini. Oportet enim hæc primum fieri, ſed nondum eſt finis. Conſurget enim gẽs in gẽtem, & regnũ in regnum, & erunt peſtilentiæ & fames & terræmotus per loca. Hæc autem omnia, initia ſunt dolorum. Tunc tradent uos in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gẽtibus propter nomen meum. Hoc autem diuina prouidẽtia docens, & credentes præmonendo firmauit, & incredulos prædicendo confudit.

*Matt. 24*

*De uita & geſtis Tiberij Cæſaris, quomodo Chriſtum amplexus ſit, de eius crudelitate in plurimos.* *Caput* .IIII.

ANno ab urbe condita ſeptingenteſimo LXVII. poſt mortem Auguſti Cæſeris, Tiberiꝰ Cæſar imperium ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ceptus eſt, manſitq; in eo annis uiginti & tribus. Hic ꝑ ſemetipſum nulla bella geſſit, ſed ne ꝑ legatos quidem aliqua grauia, niſi quod tantum in aliquantis locis p̄cogniti cito gentium tumores comprimebantur. Sane quarto imperij eius anno, Germanic⁹ Druſi filius, Caligulæ pater, de Germanis, ad quos ab Auguſto ſene miſſus fuerat, triumphauit. Ipſe autem Tiberius plurima imperij ſui parte, cũ magna & graui modeſtia reipub. p̄fuit, adeo ut quibuſdam præſidibus augẽda prouincijs tributa ſuadentibus, ſcripſerit: Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere. At poſtquã paſſus eſt dñs Chriſtus, atq; à mortuis reſurrexit, & diſcipulos ſuos ad prædicandum dimiſit, Pilatus præſes Palæſtinæ prouinciæ, ad Tiberium imperatorem atq; ad ſenatum retulit de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſequentibuſq; uirtutibus, quæ uel per ipſum palam factæ fuerãt, uel per diſcipulos ipſius in nomine eius fiebãt, & de eo quod certatim creſcente plurimorũ fide deus crederetur. Tiberius cũ ſuffragio magni fauoris retulit ad ſenatũ, ut Chriſtus de-

*Pilatus Tiberio de miraculis Chriſti ſcripſit.*



us habaretur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi prius ſecundum morem delatum eſſet, ut de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, cõſecrationem Chriſti recuſauit, edictoq; conſtituit exterminandos eſſe urbe Chriſtianos: præcipue cum & Seianus præfect⁹ Tiberij, ſuſcipiendæ religioni obſtinatiſſime contradiceret. Tiberius tamen edicto accuſatoribus Chriſtianorum mortem comminat⁹ eſt. Itaq; paulatim immutata eſt illa Tiberij Cæſaris laudatiſſima modeſtia, in pœnã cõtradictoris ſenatus. Nam regi quæcunque uoluntate faciebat, uoluptas erat; atq; ex manſuetiſſimo principe ſæuiſſima beſtia exarſit. Nam plurimos ſenatoꝝ proſcripſit & ad mortem coegit. Viginti ſibi patritios uiros conſilij cauſa legerat, horũ uix duos incolumes reliquit, cæteros diuerſis cauſis necauit. Seianum p̄fectum ſuum res nouas molientem, interfecit. Filios ſuos Druſum & Germanicum, quorum Druſus naturalis, Germanicus adoptiuus erat, manifeſtis ueneni ſignis p̄didit. Filios Germanici filij ſui interfecit. Referre ſigillatim facta eius horret ani-

*Tiberij ſæuitia in Chriſtianorũ perſecutores*

ff

Universidad de Deusto
Biblioteca



mus,pudetq́;tanta libidinis & crudelita
tis rabie efferbuit,ut qui ſpreuerant Chri
ſto rege ſaluari,rege Cæſare punirentur.
Huius tamen imperij anno duodecimo
noua & incredibilis clades apud Fidena-
tium urbem accidit.Amphitheatri cauea
populo gladiatoriũ mun⁹ ſpectante,col-
lapſa eſt,& pluſquã uiginti millia hoĩum
occidit.Dignum ſane poſteris tantæ cor-
reptionis exemplum,tum ad ſpectandas
hominum mortes,auidos homines con-
Chriſti ueniſſe,quãdo pro ſalute hominum pro-
ſuppliciũ. uidenda,deus homo eſſe uoluiſſet. De-
inde anno eiuſdem decimoſeptimo,cum
dominus Ieſus Chriſtus uoluntarie qui-
dem ſe tradidit paſſioni,ſed impie à Iudæ
is apprehẽſus,& patibulo ſuffixus eſt,ma
ximo terræmotu p orbem facto , ſaxa in
montibus ſciſſa ſunt,maximarumq́; urbi
um plurimæ partes plus ſolita cõcuſſio-
ne ceciderũt.Eadem quoq; die ad horam
diei ſextam ſol in totũ obſcuratus, tetraq́;
nox ſubito obducta terris eſt , & ſicut di-
ctum eſt,impiaq́; æternam timuerunt ſe-
cula noctem. Vſque adeo autem neq; lu-
nã lumini ſolis, neq; nubes obſtitiſſe ma-



nifeſtum eſt,ut XIIII. luna ea die tota cæ
li regione interiecta,longiſſime à conſpe-
ctu ſolis abfuiſſe,& ſtellas tũc diurnis ho-
ris,uel potius in illa horrenda nocte toto
cælo fulſiſſe referatur.Quod non ſolũ ſan
ctorum euangeliorũ fides, ſed etiam ali-
quanti Græcorum libri atteſtantur. Iam
hinc poſt paſſionem domini,quem Iudæi
quantum in ipſis fuit perſecuti ſunt,conti
nuæ clades Iudæorũ, donec exinaniti di-
ſperſiq́; deficiãt,inceſſabiliter perſtrepũt.
Tiberius ſiquidem iuuentutem eorũ per
ſpeciem ſacramenti*in prouincias graui- *intume-
oris cæli relegauit, reliquos gentis eiuſ- ſcentè in
dem uel ſimilia ſectantes urbe ſubmouit, prouinci.
ſub pœna perpetuæ ſeruitutis,niſi obtem
paſſent. Sane Aſiæ ciuitates illo terræmo
tu dirutas , tributo dimiſſo, ꝓpria etiam Interitus
libertate donauit.Hic ambiguis ſignis ue Tib.
neni obijt.

*C. Caligulæ Cæſaris mores,res geſtæ & cru-
delia facinora. Caput V.*

ANno ab urbe condita ſeptingente-
ſimo XC. terti⁹ ab Auguſto Caius
Caligula cœpit regnare, mãſitq́; in impe
rio annis non plenis quatuor, homo ante

Universidad de Deusto Biblioteca



ſe omnium flagitioſiſſimus, & q uere di-
gnus Romanis blaſphemātibus, & Iudæ-
is perſecutoribus punitor adhibitus uide
retur. Hic, ut breuiter magnitudinem cru
delitatis eius exprimā, exclamaſſe fertur:
*Caligulæ dictum.* Vtinam populus Romanus unam ceruí-
cem haberet. Sæpe etiam de conditione
temporum ſuorum conqueſtus eſt, quod
nullis calamitatibus publicis inſigniren-
tur. O beata germina tēporis Chriſtiani,
quantum præualuiſtis in rebus humanis,
ut etiam crudelitas hominis magis potu
erit clades deſiderare, quàm inuenire. Ec
ce de trāquillitate generali feritas ieiuna
conqueritur. Furor impius intus Sæua ſe
dens ſuper arma, & centum uinctus ahe-
nis Poſt tergū nodis, fremit horridus ore
cruento. Serui fugitiui & rebelles gladia
tores perterruere Romam, euertere Ita-
liam, Siciliam deleuere, iam pene uniuer
ſo humano generi toto orbe metuēdi. In
diebus autem ſalutis, hoc eſt, temporibus
Chriſtianis, cōuellere quietem nō poteſt
uel Cæſar infeſtus. Hic ſiquidem magno
& incredibili apparatu profectus quære
re hoſtem uiribus ocioſis, Germaniā Gal



liāq; percurrens, in ora oceani circa pro-
ſpectum Britāniæ reſtitit. Cumq; ibi Mi-
nocynobellinum Britannorum regis fili *Sue. Bata*
um, qui à patre pulſus, cum paucis ober- *uorum.*
rabat, in deditionem recepiſſet, deficiēte
belli materia, Romā rediit. Iiſdem autem
diebus Iudæi, qui iam tunc ob paſſionem
Chriſti meritis ubiq; cladibꝰ exagitaban *Iudæorū*
tur, apud Alexandriam ſeditiōe excitata, *perſecu*
profligati cæde, atq; ab urbe propulſi, ex- *tio.*
promendarum querelarum cauſa Philo
nem quendam uirum ſane in primis eru
ditum, legatum ad Cæſarē miſerunt. Sed
Caligula cum omnibus hominibus, tum
præcipue Iudæis eſſet infeſtiſſimus, ſpreta
legatione Philonis, omnes Iudæorum ſa-
cras ædes, atq; in primis antiquum illud
in Hieroſolymis ſacrarium prophanari
ſacrificijs gentiliū, ac repleri ſtatuis ſimu
lacriſq; imperauit, ſeq; ibi ut deum coli
præcepit. Pilatus autem præſes, qui ſen-
tentiam damnatiōis in Chriſtum dixerat,
poſtquam plurimas ſeditiones in Hiero-
ſolymis expleuit & fecit, tantis irrogante
Caio angoribꝰ coartatꝰ eſt, ut ſua ſe trāſ- *Pilati in-*
uerberans manu, malorum cōpendium *teritus.*

mortis celeritate quæſierit. Caiꝰ uero Ca
*Caligulæ interitus.* ligula libidinibus ſuis etiam illud ſceleris
adiecit, ut ſorores ſuas primũ ſtupro pol-
luerit, deinde exilio dãnarit: q poſt omẽs
ſimul exules iuſſit occidi. Ipſe autẽ à ſuis
ꝓtectoribus occiſus eſt. Duo libelli ĩ ſecre
tis eius reperti ſunt, quorũ alteri pugio,
alteri gladiꝰ ꝓ ſigno nominis aſſcriptum
erat: ambo lectiſſimorum uiroꝝ utriuſq;
ordinis ſenatorij & equeſtris nomina &
notas continebant morti deſtinatorum.
*Venena apparata à Caligula.* Inuenta eſt & arca ingẽs, uariorũ ueneno
rum *pocula continẽs: quibus mox Clau-
dio Cæſare iubente demerſis, infecta ma-
ria traduntur non ſine magno piſciũ exi-
**Poc. cõ. Vetera nõ habẽt.* tio, quos enecatos ꝑ proxima littora paſ-
ſim æſtus eiecit. Magnum uero indicium
miſerẽtis dei, propter ſuffragium gratiæ
in populum continuo ex parte creditu-
rum, & propter iræ temperamentum in
populum tunc infideliter obſtinatum, ut
quãta multitudo hominum præparatam
mortem euaſerit, ex multitudine interfe-
ctorũ piſciũ diſceret: omnibuſq; noteſce-
ret, quid tanta ueneni moles arte aucta,
agere in miſera ciuitate potuiſſet: quæ ne



gligenter effuſa, etiam maria corrupit.

*Claudij Tiberij Cæſaris uita & res geſtæ, & grauiſſima ſub eo fames Romæ.*

*Caput VI.*

ANno ab urbe condita ~~octingenteſi-
mo~~ [septingentesimo] XCV. Tiberius Claudiꝰ ab Au
guſto quartus, regnũ adeptus eſt, mãſitq;
in eo annos quatuordecim. Exordio re-
gni eius Petrus apoſtolus domini noſtri
Ieſu Chriſti Romam uenit, & ſalutarem
cunctis credẽtibus fidem fideli uerbo do
cuit, potentiſſimiſq; uirtutibus approba
uit. Atq; exĩde Chriſtiani Romæ eſſe cœ
perunt. Senſit hoc collatum fidei ſuæ Ro
ma beneficiũ. Nam cũ interfecto Caligu
la, multa mala de abrogando imperio, ac
repub. in antiquũ ordinẽ reſtituẽda, euer
tendaq; penitus Cæſarum uniuerſa fami
lia ſenatus & conſules decreuiſſent, Clau
dius mox ut confirmauit imperium, ma
gna atque adhuc Romæ incognita uſus
clementia, ne in tantam nobilium multi-
tudinẽ ultio ſi eſſet cœpta, ſæuiret *iudi- **biduum.*
cium illud, quod ex reipub. ſtatu infelici-
ter conſultatum actumq; fuerat, memo-
riæ exemit, omniumq; factorum dicto-

Universidad de Deusto Biblioteca



rum'ue in eo ueniã & obliuionẽ in per-
petuum ſanxit. Ita illam præclaram & fa-
moſam Athenienſium amneſtiam, quam
quidẽ Romæ inducere Iulio Cæſare in-
terfecto, ſenatus, Cicerone ſuadente, ten-
tauerat: ſed & Octauiano & Antonio ꝓ-
pter ultionem extincti Cæſaris irrum-
pentibus, in irritum ceſſerat: hanc Clau-
dius, quamuis multo truculentiore cau-
ſa in cædem cõſpiratorum ſtimularetur,
ultronea clementia nullo expetente fir-
mauit. Accidit etiam eodem tẽpore præ-
ſentis gratiæ dei grande miraculum: ſi-
quidem Furius Camillus Scribonianus
Dalmatiæ legat⁹, bellum ciuile molitus,
legiões multas fortiſſimasq; ad ſacramẽ-
ti mutationem pellexerat. Itaq; die dicto,
ut in unum undiq; ad nouum imperato-
rem conueniretur, neque aquilæ ornari,
neq; conuelli quoquo modo ſigna moue-
ri'ue potuerunt. Exercitus tanta & tam
inuſitata miraculi fide motus, & conuer-
ſus in pœnitẽtiam, Scribonianum quin-
to ſtatim die deſtitutũ interfecit, ſeſeq; ſa-
cramento prioris militiæ continuit. Tri-
ſtius ac pernicioſius urbi Romæ nihil un-

Cice. in phil. 1.

Miraculũ



quam fuiſſe, quàm bella ciuilia, ſatis no-
tum eſt. Itaq; propter aduentum apoſto-
li Petri, & tenera Chriſtianorũ germina,
uixdũ adhuc pauca ad ſanctæ fidei pro-
feſſionẽ erumpentia, hanc exorientem ty-
rannidem, & conſurgens iſtud ciuile bel-
lum neget quiſquam diuinitus eſſe com-
preſſum, qui præteritis temporibus de
compreſſione bellorum ciuilium ſimile
probarit exemplũ? Claudius quarto im-
perij ſui anno, cupiens ſe utilem reipub.
oſtentare principem, bellum ubiq; & ui-
ctoriam undecunq; quæſiuit. Itaque ex-
peditionem in Britanniam mouit: quæ
excitata in tumultum propter non red-
ditos trãsfugas uidebatur, tranſuectusq;
in inſulam eſt, quã neq; ante Iulium Cæ-
ſarem, neq; poſt eum quiſquam adire au-
ſus fuerat. Ibiq;, ut uerbis Suetonij Tran-
quilli loquar, ſine ullo prælio ac ſanguine
intra pauciſſimos dies plurimam inſulæ
partem in deditionem recepit. Orcadas
etiam inſulas ultra Britãniam in oceano
poſitas, Romano adiecit imperio, ac ſe-
xto quàm profectus erat menſe Romam
redijt. Conferatur nunc, ſi cuiquam pla-

Claudij expeditio in Britanniam.

Universidad de Deusto
Biblioteca



cet, inſula & inſula, tempus & tempus,
bellum & bellũ, Cæſar & Cæſar. Nam
de fine nihil profero: quoniá hoc feliciſ-
ſima uictoria, illud acerbiſſima clades fu-
it: & ſic demũ Roma cognoſcat, per eius
latentem prouidentiam, in agẽdis rebus,
antea ſe partem felicitatis habuiſſe, cuius
agnitione ſuſcepta, pleniſſima felicitate
perfruitur, non tamen inquantũ blaſphe
miarum offendiculis deprauatur. Eo-
dem anno imperij eius, fames grauiſſima
per Syriam facta eſt, quam etiá prophe-
tæ prænũciauerant: ſed Chriſtianorum
neceſſitatibus apud Hieroſolymam, con-
uectis ab Aegypto frumẽtis, Helena Adi
abenorum regina conuerſa ad fidẽ Chri
ſti, largiſſime miniſtrauit. Anno imperij
eius quinto, inter Theram & Theraſiam
inſulas, de profundo emicuit belua trigin
ta ſtadiorum extenta ſpatio. Anno eius
ſeptimo, ſub procuratore Iudææ Cuma-
no, in Hieroſolymis tanta ſeditio in die-
bus azymorũ exorta eſt, ut in portarum
exitu populo coartato, triginta millia Iu-
dæorum cæde proſtrata & compreſſio-
ne ſuffocata referantur. Anno eiuſdem

*Belua mirabilis extenſionis.*



nono, expulſos per Claudium urbe Iu-
dæos, Ioſephus refert. ſed me magis Sue-
tonius mouet, qui ait hoc modo: Claudi-
us Iudæos impulſore Chriſto aſſidue tu-
multuátes, Roma expulit. Quod, utrum
contra Chriſtũ tumultuantes Iudæos co-
erceri & cõprimi iuſſerit, an etiam Chri
ſtianos ſimul uelut cognatæ religiõis ho
mines uoluerit expelli, nequaquá diſcer-
nitur. Veruntamen ſequenti anno tanta
fames Romæ fuit, ut medio foro impera
tor correptus à populo conuitijs & fra-
gminib⁹ panis turpiſſime infeſtat⁹, ægre
per Pſeudotyrum in palatum refugiens,
furorem excitatæ plebis euaſerit. Paruo
autem intercedente tempore, triginta-
quinq; ſenatores & trecẽtos ſimul equi-
tes Romanos minimis cauſis interfecit,
ipſe autem manifeſtis ueneni ſignis mor
tuus eſt.

*Iudæi expulſi Roma.*

*Fames apud Romanos.*

### *Neronis Claudij Cæſaris fœdi mores, & ſceleſta facinora.* Caput VII.

ANno ab urbe condita octingente-
ſimooctauo, Nero Cæſar ab Augu
ſto quintus, principatum adept⁹ eſt, man
ſitq; in eo annis nõ plenis quatuordecim,

*Nero Caligulã ſectatur.*

Caij Caligulæ auunculi ſui erga oĩa uitia ac ſcelera ſectator, imò trãſgreſſor, petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem nullo non ſcelere exercuit: ſiquidem percitus petulãtia, omnia pene Italiæ ac Græciæ theatra perluſtrãs, aſſumpto etiam uarij ueſtitus dedecore, ceritos, cithariſtas, tragœdos & aurigas ſæpe ſibi ſuperaſſe uiſus eſt. Libidinibus porro tantis exagitatus eſt, ut ne à matre quidem uel ſorore uel ulla conſanguinitatis reuerentia abſtinuiſſe referatẽ, uirum in uxorem duxerit, ipſe à uiro ut uxor acceptꝰ ſit. Luxuriæ uero tam effrenatæ fuit, ut retibus aureis piſcaretur, quæ purpureis funibus extrahebãtur: frigidis & calidis lauaret unguẽtis. Qui etiam nunquam minus M. carrucis confeciſſe iter traditur. Deniq; urbs Romæ incẽdium, uoluptatis ſuæ ſpectaculum fecit. Per ſex enim dies ſeptemq; noctes ardẽs ciuitas, regios pauit aſpectꝰ. Horrea quadro ſtructa lapide, magnæq; illæ ueterum inſulæ, quas diſcurrens adire flamma non poterat, magnis machinis quondam ad externa bella præparatis, labefactatæ atque

*Incendiũ Romæ, Neroni uoluptati fuit.*



inflammatæ ſunt, ad monimẽtorum buſtorumq; diuerſoria infelici plebe cõpulſa. Quod ipſe ex altiſſima illa Mecœnatiana turre proſpectans, lætusq; flammæ (ut aiebat) pulchritudine, tragico habitu Iliadem decãtabat. Auaritiæ autem tam præruptæ extitit, ut poſt hoc incendium urbis, quam ſe Auguſtus ex lateritia marmoream reddidiſſe iactauerat, neminem ad reliquias rerum ſuarum adire permiſerit. cuncta quæ flammæ quoquo modo ſuperfuerãt, ipſe abſtulit. Centies centena millia ſeſtertiûm ad annuá impenſam à ſenatu ſibi cõferri imperauit. Plurimos ſenatorum, nulla extãte cauſa, bonis priuauit. Negociatorum omnium ſub una die, tormentis quoq; adhibitis, omnẽ penitus cẽſum abſterſit. Crudelitatis autem rabie ita efferatus eſt, ut plurimam ſenatus partem interfecerit, equeſtrem ordinem pene deſtituerit. Sed ne parricidijs quidem abſtinuit, matrem, fratrem, ſororem, uxorem cæterosq; omnes cognatos & propinquos ſine hæſitatione proſtrauit. Auxit hanc molem facinorum eius, temeritas impietatis in deum. Nam pri-

*Nero pri*

Universidad de Deusto
Biblioteca



mꝰ Romæ Chriſtianos ſupplicijs & mor-
tibꝰ affecit, ac ꝑ om̃es prouĩcias pari per-
ſecutione excruciari imperauit: ipſumq́;
nomẽ extirpare conatꝰ, beatiſſimos Chri-
*Petri & Pauli ſupplicium.*
ſti apoſtolos Petrum cruce, Paulum gla-
dio occidit. Mox aceruatim miſeram ci-
uitatem obortæ undiq; clades oppreſſe-
re. Nam ſubſequente autumno tanta ur-
bi peſtilentia incubuit, ut triginta millia
funerum in rationem libitinæ uenirent.
Britannica deinde clades è ueſtigio acci-
dit, qua duo præcipua oppida, magna ci-
uium ſociorumq́; clade & cæde direpta
ſunt. Præterea in oriente magnis Arme-
niæ prouincijs amiſſis, Romanæ legiões
ſub iugum Parthicum miſſæ, ægreq́; Sy-
ria retenta eſt. In Aſia tres urbes, hoc eſt,
Laodicea, Hierapolis, Coloſſæ, terræmo-
tu conciderunt. At uero Nero poſtquam
*Neronis interitus.*
Galbam in Hiſpania imperatorem crea-
tum ab exercitu cognouit, totus animo
ac ſpe concidit. Cumq́; incredibilia per-
turbandæ, imò ſubruendæ reipub. mala
moliretur, hoſtis à ſenatu pronunciatus,
& ignominioſiſſime fugiẽs, ad quartum
ab urbe lapidem ſeſe ipſe interfecit, atque



in eo omnis Cæſarum familia conſum-
pta eſt.

*De Galbæ, Othonis & Vitellij imperio, & moribus & facinoribus.* Caput VIII.

ANno ab urbe condita octingenteſſi-
mo XXIIII. Galba apud Hiſpanias
uſurpauit imperiũ: qui mox ut Neronis
mortem cõperit, Romam uenit. Cumq́;
om̃es auaritia & ſæuitia ſegnitiaq́; offen-
*Roma afflicta ob Chriſtianos perſecutos.*
deret, Piſonem ſibi nobilẽ induſtriumq́;
adoleſcentem in filium atque in regnum
adoptauit, cum quo ſeptimo menſe im-
perij ſui ab Othone iugulatꝰ eſt. Luit Ro-
ma cædibus principum, excitatiſq́; ciui-
libus bellis, recentes Chriſtianæ religio-
nis iniurias: & ſigna legionum illa, quæ
ſub aduentu in urbem Petri apoſtoli di-
uinitus coercita, conuelli nullo modo ad
excitandũ ciuile bellũ ualuerãt, quod per
Scribonianũ parabãt, Petro ĩ urbe inter-
fecto, & Chriſtianis pœnarũ diuerſitate la-
niatis, toto ſe orbe ſoluerũt. De Hiſpania
ſiquidẽ ilicò Galba ſurrexerat: quo mox
oppreſſo, Otho Romæ, Vitellius in Ger-
mania, Veſpaſianus in Syria imperia ſi-
mul atq; arma rapuerunt, Probent ſane

Universidad de Deusto
Biblioteca



etiam inuiti potentiam ſimul & clemen-
tiam dei, qui Chriſtianis temporib⁹ offen
duntur, quãta celeritate tantorum incen-
dia bellorum & excitata ſunt & repreſſa,
cum & antea minimis cauſis magnæ ac
diutinæ clades agitarentur, & nunc maxi
mi undiq; concrepantes magnorum ma
lorũ fragores, minimo negocio ſopiren-
tur. Iam enim erat Romæ, quamuis per-
ſecutiõe uexata eccleſia, quæ iudici omni-
um Chriſto etiam pro inimicis & perſe-
cutoribus ſupplicaret. Igitur Otho cum
Galba & Piſone Romæ interfectis, inter
tumultus cædeſq; inuaſiſſet imperium, ac
mox creatum imperatorẽ in Gallia per
Germanicas legiones Vitellium compe-
riſſet, bellum ciuile molitus, tribus pri-
mum leuibus prælijs, hoc eſt, uno apud
Alpes, alio circa Placentiam, tertio circa
locum, quem Caſtoris uocant, cõtra Vi-
tellianos duces congreſſus uictor extitiſ-
ſet, quarto apud Bebriacum prælio, cum
*Otho ſibi mortem intulit.* animaduertiſſet ſuos uinci, menſe tertio
quàm imperare cœperat, ſeſe interfecit.
Vitellius uictor Romam uenit: ubi cum
multa crudeliter ac nequiter ageret, in-



credibili etiã uoracitatis appetitu huma-
nam uitã probris aggrauaret, poſtquam
de Veſpaſiano comperit, primum depo-
nere eſt molitus imperium: poſtea à qui-
buſdam animatus, Sabinum Veſpaſiani
fratrem nihil mali tum ſuſpicãtem, cum
cæteris Flauianis in Capitolium compu-
lit: ſuccẽſoq; templo, & mixta ſimul flam
ma ruinaq;, omnes in unum pariter inte-
ritum ac tumulum dedit. Pòſt, deficiente
in Veſpaſiani nomen exercitu, ſuo deſti-
tutus, appropinquantibus iam hoſtibus
trepidus, cum ſe in quandam cellulã ꝓxi *Vitellij graue ſuppliciũ.*
mam palatio contruſiſſet, turpiſſime inde
protractus, cum per uiam ſacram nudus
duceretur, paſſim cũctis fimum in os ei-
us cõiectantibus, in forũ deductus, VIII.
quàm regnum præſumpſerat mẽſe, apud
Gemonias ſcalas minutiſſimorũ ictuum
crebris compũctionibus excarnificatus,
atq; inde unco tractus, & in Tiberim mer
ſus, etiam cõmuni caruit ſepultura. Mul-
tis autem & nefarijs modis per complu
res dies à Veſpaſiani militibus, aduerſum
ſenatum populumq; Romanũ indiſcre-
ta cæde ſæuitum eſt,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Veſpaſiani Auguſti & Titi imperium, quomodo rebellãtes Iudæos compreſſerit, ad hæc urbem Hieroſolymam cum templo ſolo æquauerit. De cæteris eorum geſtis.*

Caput IX.

ANno ab urbe condita octingenteſimo uigeſimoquito, breui illa quidem, ſed turbida tyrannorum tempeſtate diſcuſſa, tranquilla ſub Veſpaſiano duce ſerenitas rediȷt. Nanq; ut paulo altius repetam, Iudæi poſt paſſionem Chriſti in totum deſtituti gratia dei, cum omnibus undiq; malis circunuenirentur, quidam in Carmelum montem ſeducti ſortibus, quæ portenderent exortos à Iudæa duces rerũ potituros fore, bellũ ad ſe trahentes, in rebellionem exarſerunt. Extinctisq; Romanis præſidȷs, legatum quoq; Syriæ ſuppetias ferẽtem, rapta aquila & cæſis copȷs, fugauerunt. Ad hos Veſpaſianus à Nerone miſſus, Titũ filium ſuum maiorem inter legatos habuit. Nam multas & ualidas legiones ſecum in Syriam traiecit. Itaq; cum Iudæos multis eorũ oppidis captis, in urbem Hieroſolymorũ, præcipue ob diem feſtum congregatos



obſidiõe clauſiſſet, cognita Neronis morte, hortatu plurimorum regũ & ducum maxime Ioſephi Iudæorum ducis ſententia, qui captus, cum in uincula conȷceretur, conſtantiſſime dixerat, ſicut Suetonius refert, continuo ſe ab eodem, ſed imperatore, ſoluendũ, imperium adeptus eſt: relictoq; in caſtris ad procurationem obſidionis Hieroſolymorum filio Tito, per Alexandriam profectus eſt Romam. Sed cognita interfectione Vitellȷ, pauliſper Alexandriæ ſubſtitit. Titus uero magna ac diuturna obſidione Iudæos premens, machinis cunctisq; bellicis molibus non ſine ſuorum multo ſanguine tandem muros ciuitatis irrupit. Sed ad expugnandã interiorem templi munitionem, quã incluſa multitudo ſacerdotũ ac principum tuebatur, maiore ui & mora opus fuit. Quod tamen poſtquam in poteſtatem redactum opere & antiquitate ſuſpexit, diu deliberauit, utrum tanquã incitamentum hoſtium incẽderet, an in teſtimonium uictoriæ reſeruaret. Sed eccleſia dei iam p totum orbẽ huberrime germinante, hoc tãquam effœtum ac uacuum, nulliq; uſui

*Titus templũ oppugnat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bono commodum, arbitrio dei auferen-
dum fuit. Itaq; Titus imperator ab exerci-
tu pronunciatus, tempum in Hierosoly-
mis incendit ac diruit: quod à die conditi-
onis primæ uſq; ad diem euerſionis ulti-
mæ, manſerat annis M.CII. Muros urbis
uniuerſos ſolo adæquauit. DC.M. Iudæo-
rum eo bello interfecta, Corneli⁹ & Sue-
tonius referunt. Ioſephus uero Iudæus, q
ei tunc bello pfuit, & apud Veſpaſianum
propter prædictum imperium ueniam
gratiamq; meruerat, ſcribit undecies cen-
tena millia gladio & fame periſſe, reliqui-
as uero Iudæorum diuerſis actas conditi-
onibus toto orbe diſperſas, quarũ nume-
rus ad nonaginta millia hominum fuiſſe
narratur. Veſpaſianus autem & Titus im-
peratores, magnificum agentes de Iudæ-
is triunphum, urbem ingreſſi ſunt. Pul-
chrum & ignotum antea cunctis morta-
libus inter trecentos uiginti triumphos,
qui à conditione urbis uſq; in id tempus
acti erãt, hoc ſpectaculum fuit, patrem &
filium uno triunphali curru uectos, glo-
rioſiſſimam ab his qui patrem & filium
offenderant, uictoriã reportaſſe. Qui con-

*Titus tẽplũ incendit, urbis muros diruit.*

*Cædes Iudæorum.*



tinuo omnibus bellis ac tumultib⁹ domi
foriſq; compreſſis, pacem totius orbis pro-
nunciauerunt, & Ianum geminum obſe-
ratis cohiberi clauſtris, ſextum demum
ipſi poſt urbem conditam cenſuerunt. Iu-
re enim idem honos ultioni paſſionis do-
mini impenſus eſt, qui etiam natiuitati fu-
erat attributus. Tunc deinde ſine ullis bel-
lorum tumultibus in immẽſum reſpub.
Romana prouehitur: ſiquidem Achaia,
Lycia, Rhodus, Byzantiũ, • Samos, Thra-
cia, Cilicia, Comagene, tum primum re-
dactæ in prouincias, Romanis iudicibus
legibuſq; paruerunt. Nono autem impe-
rij ei⁹ anno tres ciuitates Cypri terræmo-
tu corruerunt, & Romæ magna peſtilen-
tia fuit. Veſpaſianus aũt in uilla propria
circa Sabinos nono anno principatus ſui
profluuio uentris mortuus eſt. Anno
ab urbe cõdita octingenteſimo uigeſimo-
octauo, Titus ſegregatis à numero princi-
pũ Othone & Vitellio, ab Auguſto octa-
uus biennio poſt Veſpaſianum regnauit.
Cuius tanta tranquillitas in imperio fuit,
ut nullius omnino ſanguinem in republi-
ca adminiſtranda fudiſſe referatur. Et ta-

*Ianus ſexto clauſus.*

*• Samothracia.*

*Veſpaſiani interitus.*

Universidad de Deusto Biblioteca



men tunc Romæ orto repente incendio, plurimæ ædes publicæ cõcrematæ ſunt. Abruptum tunc etiã Veſuuij montis uerticem magna profudiſſe incendia ferunt, torrentibusq; flammarum uicina regiõis cum urbibus hominibusq; deleſſe. Titus cum ingenti omnium luctu in eadem uilla, qua pater eius, morbo abſumptus eſt.

*Titi interitus.*

*De Flauij Domitiani Cæſaris imperio, rebus geſtis & facinoribus.* Caput X.

ANno ab urbe condita octingenteſimo triceſimo, Domitianus Titi frater, ab Auguſto nonus, fratri ſucceſſit in regnũ. Qui per annos quindecim ad hoc paulatim ꝑ omnes ſcelerum gradus creuit, ut confirmatiſſimam toto orbe Chriſti eccleſiam, datis ubiq; crudeliſſimæ pſecutionis edictis, conuellere auderet. Is in tantam ſuperbiam prolapſus fuit, ut dominum ac deum ſeſe uocari, ſcribi, coliq; iuſſerit. Nobiliſſimos è ſenatu, inuidiæ ſimul ac prædæ cauſa, alios palam interfecit, alios in exilium truſit, ibiq; trucidari imperauit. Libidinis intemperantia quicquid cogitari poteſt, fecit. Plurimas urbis ædes, deſtructis populi Romani proprijs

*Chriſtianorũ perſecutio.*



rebꝰ, extruxit. Bellum aduerſum Germanos & Dacos ꝑ legatos geſſit pari reipu. pernicie: cum & in urbe ipſe ſenatum populũq; laniaret, & foris male circũactum exercitum aſſidua hoſtes cæde cõficerẽt. Nam quãta fuerint Diurpanei Dacorum regis cũ Fuſco duce prælia, quantæq; Romanorum clades, lõgo textu euoluerem, niſi Cornelius Tacitus, qui hãc hiſtoriam diligentiſſime contexuit, de reticendo interfectorum numero, & Saluſtium Criſpum, & alios autores quãplurimos ſanxiſſe, & ſeipſum idem potiſſimum elegiſſe dixiſſet. Domitianus tamen prauiſſima elatus iactãtia, ſub nomine ſuperatorum hoſtium de extinctis legionibꝰ triumphauit. Idemq; efferatꝰ ſuperbia, qua ſe deum coli uellet, perſecutionem in Chriſtianos agi ſecundus à Nerone imperauit. Quo tempore etiam beatiſſimus Iohannes apoſtolus in Patmũ inſulam relegatus fuit. Inter Iudæos quoque acerbitate tormentorum & cruentiſſimæ quæſtionis, exquiri genus Dauid, atq; interfici præceptũ eſt, dũ prophetis ſanctis & inuideẽ & creditur, quaſi adhuc futurus eſſet ex ſemi-

*Domitiani triumphus.*

*Iohannes in Patmo exulat.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ne Dauid, qui regnũ poſſet adipiſci. Continuo tamẽ Domitianus crudeliter in palatio à ſuis interfectus eſt: cuius cadauer populari ſandapila per ueſpillões exportatum, atq; ignominioſiſſime ſepultũ eſt.

*Domitiani interitus.*

### Cocceij Neruæ Cæſaris imperium. Caput XI.

ANno ab urbe condita octingenteſimo quadrageſimoſexto, quamuis Eutropius quinquageſimum hũc eſſe annum ſcripſerit, Nerua admodum ſenex à Petronio præfecto prætorio, & Parthenio ſpadone interfectore Domitiani, imperator decim⁹ ab Auguſto creat⁹, Traianum in regnum adoptauit, per quem re uera afflictæ reipub. diuina prouiſio conſuluit. Hic primo edicto ſuo cũctos exules reuocauit, unde & Iohãnes apoſtolus hac generali indulgentia liberatus, Epheſum rediit: emenſoq; anno imperij ſui, Nerua confectus morbo, diem obiit.

*Neruæ obitus.*

### D. Vlpij Traiani Cæſ. Auguſt. imperium & res geſtæ. Caput XII.

ANno ab urbe condita octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Traianus genere Hiſpanus, XI, ab Auguſto,



reipub. gubernacula Nerua tradẽte ſuſcepit, ac per annos decem & nouem tenuit. Apud Agrippinam Galliæ urbem inſignia ſumpſit imperij, mox Germaniam trans Rhenum in priſtinũ ſtatum reduxit: trans Danubiũ multas gentes ſubegit. Regiones autem trans Euphratem & Tigrim ſitas, prouincias fecit. Seleuciam & Cteſiphõtem & Babylonẽ occupauit. In perſequẽdis ſanè Chriſtianis errore decept⁹, tertius à Nerone cum paſſim repertos cogi ad ſacrificandum idolis, ac detrectantes interfici præcepiſſet, plurimiq; interficerentur, Plinij Secundi qui inter cæteros iudices perſecutor dat⁹ fuerat, relatu admonit⁹, eos homines præter confeſſionem Chriſti honeſtaq; conuenticula, nihil contrarium Romanis legibus facere, fiducia ſane innocentis confeſſionis, nemini mortem grauem ac formidoloſam uideri, reſcriptis ilicò lenioribus temperauit edictum. Veruntamen continuo Romæ aurea domus, à Nerone totis priuatis publiciſq; rebus impenſis condita, repẽtino conflagrauit incendio: ut intelligeretur miſſa etiam ab alio per

*Chriſtianorũ tertia perſecutio. Plin. epiſt. li. 10.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſecutio in ipſius potiſſime monimentis, à quo primum exorta eſſet, atq; in ipſo autore puniri. Terræmotu IIII. urbes Aſiæ ſubuerſæ, Helea, *Myrina, Pitane, Syme, & Græciæ ciuitates duæ, Opūtiorum & Oritorum. Tres Galatiæ ciuitates eodem terræmotu dirutæ. Pantheon Romæ fulmine concrematum. Terræmotus Antiochiam penè totam ſubruit ciuitatem. Incredibili deinde motu ſub uno tempore Iudæi, quaſi rabie efferati, per diuerſas terrarum partes exarſerunt. Nam & per totam Libyam aduerſus incolas atrociſſima bella geſſerunt; quæ adeo tunc interfectis cultoribus deſolata eſt, ut niſi poſtea Adrianꝰ imperator collectas illuc aliunde colonias deduxiſſet, uacua penitus terra, abraſo habitatore, manſiſſet. Aegyptum uero totam & Cyrenen & Thebaida cruentis ſeditionibus turbauerunt. In Alexandria autem commiſſo prælio, uicti & attriti ſunt. In Meſopotamia quoq; rebellantibus, iuſſu imperatoris bellum illatum eſt. Itaq; multa millia eorū uaſta cæde deleta ſunt. Sane Salaminā urbem Cypri, interfectis omnibus accolis, dele-

*Smyrna

Iudæorū cædes.



uerunt. Traianus, ut quidam ferūt, apud Seleuciam Iſauriæ urbem profluuio uentris extinctus eſt.

### D. Aelius Adrianus Cæſar, eiuſq; imperium. Caput XIII.

ANno ab urbe condita octingenteſimo ſexageſimoſeptimo Adrianus cōſobrinæ Traiani filius, XII. ab Auguſto principatum adeptus, uno & uiginti annis imperauit. Hic per Quadratum diſcipulum apoſtolorum, & Ariſtidem Athenienſem, uirum fide & ſapiētia plenum, & per Serenū Granium legatum, libris de Chriſtiana religione cōpoſitis inſtructus atque eruditus, præcepit per epiſtolam, ad Minutium Fundanum proconſulem Aſiæ datam, ut nemini liceret Chriſtianos ſine obiectu criminis aut probatione damnare. Idem quoq; cōtinuo pater patriæ in ſenatu ultra morem maiorum appellatur, & uxor eius Auguſta. Adrianus rempublicam iuſtiſſimis legibus ordinauit, bellum cōtra Sauromatas geſſit, & uicit. Iudæos ſane perturbatione ſcelerum ſuorum exagitatos, & Palæſtinam prouinciam, quondam ſuam depopulan

Vide Spartianum.

Edictū de Chriſtianorū incolumitate.

Bellū Adriani in Sauromatas & Iudæos.

Universidad de Deusto Biblioteca



tes, ultima cæde pdomuit: ultusq; ē Chriſtianos, quos illi Cotheba duce, quòd ſibi aduerſus Romanos non aſſentarētur, excruci bant. Præcepitq;, ne cui Iudæo introeundi in Hieroſolymam eſſet licentia, Chriſtianis tantū ciuitate permiſſa: quam ipſe in optimum ſtatum, murorū extructione reparauit, & Aeliā uocari de prænomine ſuo præcepit.

### D. Antonini Pij Cæſaris imperium. Caput XIIII.

*Vide de hoc latius Capitolinum.*

ANno ab urbe condita octingenteſimo octogeſimooctauo, Antoninꝰ cognomento Pius, decimustertius ab Auguſto imperator creatus, cum liberis ſuis Aurelio & Lucio, uiginti & non plenis tribꝰ annis remp. gubernauit, adeo tranquille & ſancte, ut merito pius, & pater patriæ nominatus ſit. Huius tamen temporibus Valētinus hæreſiarches, & Cerdo magiſter Marcionis Romā uenerunt. Verum Iuſtinus philoſophꝰ librum pro Chriſtiana religione cōpoſitum Antonino tradidit, benignumq; eū erga Chriſtianos hoīes fecit. Antoninꝰ ad duodecimū ab urbe lapidē morbo correptꝰ, interijt.

*Valentinus hæreſiarches.*

### M. Antoninus Verus quid in imperio ſuo



### geſſerit. Caput XV.

ANno ab urbe cōdita DCCCCXI. Marcus Antoninꝰ Verꝰ, decimusquartꝰ ab Auguſto, regnum cum Aurelio Commodo fratre ſuſcepit, manſitq; in eo annis decē & nouem. Hi primi rempubl. æquo iure tutati ſunt, bellum deinde contra Parthos admirabili uirtute & felicitate geſſerunt. •Annius Antoninus Verus ad bellum profectus eſt. Vologeſus enim rex Parthorum, graui eruptione Armeniam & Cappadociā, Syriamq; uaſtabat. Sed Antoninus per ſtrenuiſſimos duces magnis rebꝰ geſtis, Seleuciam Aſſyriæ urbē ſuper Hydaſpem fluuium ſitam, cū quadringētis millibꝰ hominum cepit, & cum fratre de uictoria Parthica triumphauit: ac non multo poſt, dū cum fratre ī uehiculo ſederet, caſu morbi quē apoplexiam Græci uocant, ſuffocatus interijt. Quo defuncto, Marcus Antoninus ſolus reipub. præfuit, ſed in diebus Parthici belli perſecutiones Chriſtianorum quarta iam poſt Neronē uice, in Aſia & in Gallia graues præcepto eius extiterūt, multiq; ſanctoꝝ martyrio coronati ſunt. Secuta eſt lues plurimis infuſa prouīcijs:

*•Marcus Vologeſus rex Parthorū*

Universidad de Deusto Biblioteca



Grauiſsima peſtis per Italiã.

totamq; Italiam peſtilentia tanta uaſtauit, ut paſſim uillæ, agri atq; oppida ſine cultore atq; habitatore deſerta, in ruinas ſyluasq; conceſſerint. Exercitum uero Romanorum, cunctasq; legiones per lõginqua late hyberna diſpoſitas, ita conſumptas ferunt, ut Marcomannicum bellum, quod cõtinuo exortum eſt, non niſi nouo delectu militum, quem triennio iugiter apud *Carnotum Marcus Antoninus habuit, geſtũ fuiſſe referatur. Hoc quidem bellum prouidentia dei adminiſtratum eſſe cum plurimis argumentis, tum præcipue epiſtola grauiſſimi ac modeſtiſſimi imperatoris apertiſſime declaratum eſt. Nam cũ inſurrexiſſent gentes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc eſt, Marcomãni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atq; omnis pene Germania, & in Quadorum uſque fines progreſſus exercitus, circumuẽtusq; ab hoſtibus, propter aquarum penuriam, *præſentius ſitis quã hoſtis periculum ſuſtineret: ad inuocationem nominis Chriſti, quam ſubito magna fidei cõſtantia quidam milites effuſi in preces palam fecerunt, tanta uis

*Carnuntium.

*potius.



Siti Ro. ſubuentũ à Chriſtianis.

pluuiæ effuſa eſt, ut Romanos quidẽ largiſſime ac ſine iniuria refecerit, barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, præſertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coëgerit. Quorum terga Romani uſq; ad internecionem cædentes, glorioſiſſimã uictoriam, & omnibus penè antiquorum titulis præferendam, rudi paruoq; militum numero, ſed potẽtiſſimo Chriſti auxilio, reportarunt. Extare etiam nunc apud pleroſq; dicuntur literæ imperatoris Antonini, ubi inuocatione nominis Chriſti per milites Chriſtianos, & ſitim illam depulſam, & collatam fatetur fuiſſe uictoriam. Idemq; Antoninus Cõmodum filiũ ſuum aſſumpſit in regnum, præteriti etiam temporis per omnes prouincias tributa donauit, omniaq; ſimul fiſcalium negociorum calumnioſa monimenta congeſta in foro iuſſit incendi, ſeuerioresq; leges nouis cõſtitutionibus temperauit. Poſtremo in Pannonia conſtitutus, repentino morbo diem obijt.

### *L. Antonini Cõmodi, P. Aelij Pertinacis, & Didij Iuliani Cæſarum Augg. imperia.*

### *Caput* XVI.

Universidad de Deusto Biblioteca



*Lampridius copioſius.*

ANno ab urbe condita nongenteſimo triceſimo, Lucius Antoninus Commodus, decimusquintus ab Auguſto, patri ſucceſſit in regnum: manſitq; in eo annis tredecim, & aduerſus Germanos bellum feliciter geſſit. Cæterum per omnia luxuriæ & obſcœnitatis dedecora deprauatus, gladiatorijs quoq; armis ſæpiſſime in ludo depugnauit, & in amphitheatro feris ſeſe obiecit frequēter: interfecit etiam quamplurimos ſenatores, maxime quos animaduertit nobilitate induſtriaq; excellere. Flagitia regis, pœna urbis inſequitur. Nam fulmine Capitoliū ictum, ex quo facta inflammatio, bibliothecam illam maiorū cura ſtudioq; compoſitā, ædesq; alias iuxtà ſitas, rapaci turbine concremauit. Deinde aliud incendium poſtea Romæ exortum, ædem Veſtæ & palatium, plurimamq; urbis partem ſolo coæquauit. Commodus cunctis incommodus, in domo Veſtiliani ſtrangulatus interijſſe fert, hoſtis generis humani etiam uiuus iudicatus. Poſt hunc à ſenatu creatus eſt ſenex Aelius Pertinax, XVI. ab Auguſto, qui ſexto mēſe quàm regna

*Incendiū.*



re cœperat, Iuliani iuriſperiti ſcelere in palatio occiſus eſt. Iulianus interfecto Pertinace, inuaſit imperium: ſed mox à Seuero apud pontem Miluium bello ciuili uictus, & interfectꝰ eſt mēſe ſeptimo poſtquam cœperat imperare. Ita inter Pertinacem & Iulianū unus annus abſumptus eſt.

*De imperio Septimij Seueri Pertinacis Cæſaris Aug. quomodo Chriſtianos afflixerit. caput XVII.*

ANno ab urbe condita nongenteſimo quadrageſimoquarto, Seuerus genere Apher Tripolitanus, ab oppido Lepti: q ſe ex nomine imperatoris, quem occiſum ultus fuerat, Pertinacem appellari uoluit, decimuſſeptimus ab Auguſto deſtitutum adeptus imperium, decem & octo annis tenuit. Hic natura ſæuus, multis * ſæpe bellis laceſſitus, fortiſſime quidē rempub. ſed laborioſiſſime rexit. Peſcennium Nigrum, qui in Aegypto & Syria ad tyrannidē aſpirauerat, apud Cyzicum uicit & interfecit. Iudæos & Samaritas rebellare conantes ferro compeſcuit. Parthos & Arabas Adiabenosq; ſuperauit.

*Spartianus latius*

** ſemper.*

Universidad de Deusto Biblioteca

*V. perſecutio eccleſiæ.*

Quinta poſt Neronem pſecutione Chriſtianos excruciauit, plurimiq́; ſanctorum per diuerſas prouincias martyrio coronati ſunt. Hanc prophanã in Chriſtianos & eccleſiam dei præſumptionem Seueri, cæleſtis ultio è ueſtigio acta ſubſequitur. Nam continuo rapitur, uel potius retrahitur in Galliam Seuerus è Syria ad tertium ciuile bellum. Iam enim unum Romæ aduerſum Iulianum, aliud in Syria contra Peſcennium geſſerat, tertium Clodius Albinus Iuliani in occidendo Pertinace ſocius, qui ſe in Gallia Cæſarem fecerat, ſuſcitabat, cuius bello multũ utrinq; Romani ſanguinis fuſum eſt. Albinus tamen apud Lugdunum oppreſſus & interfectus eſt. Seuerus uictor in Britanniam defectu pene omnium ſociorum trahitur: ubi magnis grauibusq́; prælijs ſæpe geſtis, receptam partem inſulæ à cæteris indomitis gentibus uallo diſtinguendam putauit. Itaq; magnam foſſã firmiſſimumq́; uallum crebris inſuper turribus communitum per cẽtum & trigintaduo millia paſſuũ à mari ad mare duxit. Ibiq́; apud Eboracum oppidum morbo obijt,

*Britãnia uallo diſtincta.*



relinquens duos filios, Baſſianum & Getam. Quorum Geta hoſtis publicus iudicatus, interijt: Baſſianus uero, Antonini cognomine aſſumpto, regno potitus eſt.

*Baſſianus regnum adeptus.*

*De Aurelij Antonini Caracallæ, Opilij Macrini, M. Aurelij Antonini, Heliogabali, et Aurel. Alexandri Seueri imperijs.*

*Caput* XVIII.

ANno ab urbe cõdita nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, Aurelius Antoninus Baſſianus, idemq́; Caracalla, decimus octauus ab Auguſto principatũ adeptus eſt, manſitq́; in eo annis non plenis ſeptem. Vixit uero patre aſperior, omnibus libidine intemperantior, qui etiam nouercam ſuam Iuliã uxorẽ duxerit. Hic contra Parthos bellũ moliẽs, inter Edeſſam & Carras ab hoſtibus circunuentus, occiſus eſt. Poſt hunc decimusnonus ab Auguſto Opilius Macrinus, qui præfectus prætorio erat, cũ filio Diadumeno inuaſit imperium: ſed emenſo anno continuo, apud Archelaidem militari tumultu occiſus eſt. Anno ab urbe condita nongenteſimo ſeptuageſimo, Marcus Aurelius Antoninus, XX, ab Auguſto, impe-

*Lege plura apud Spartianum.*

*Vide Capitolinũ.*

*Mar. Au. Antoni. impe.*

Universidad de Deusto Biblioteca



rium adeptus,tenuit annis quatuor. Hic
ſacerdos Heliogabali templi, nullam ſui
niſi ſtuprorum & flagitioru̅ totiuſq; ob-
ſcœnitatis infamem ſatis memoriam reli
quit.Tumultu autem militari exorto,Ro
mæ cum matre interfectus eſt. Anno
*Alexand. imper.*
ab urbe condita nongenteſimo ſeptuage
ſimoquarto,Aurelius Alexa̅der,uiceſim⁹
primus ab Auguſto,ſenatus ac militu̅ uo
luntate imperator creat⁹, tredecim annis
dignus æquitatis p̄conio fuit.Cuius ma-
ter Mamea Chriſtiana,Origene̅ preſbyte
rum audire curauit.Nam ſtatim expedi-
tione in Perſas facta, Xerxem regem eo-
rum maximo bello uictor oppreſſit. Vl-
piano uſus aſſeſſore, ſumma̅ ſui modera-
tionem reip.exhibuit, ſed militari tumul
tu apud Moguntiacum interfectus eſt.

### *De Iulij Maximini & Gordiani iunioris imperijs,& Chriſtianorum perſecutione.* Caput XIX.

ANno ab urbe condita no̅genteſimo
LXXXVII.Maximinus uiceſimuſſe
cu̅dus ab Auguſto,nulla ſenatus uolu̅tate
imperator ab exercitu, poſtqua̅ bellum
in Germania proſpere geſſerat creatus,



perſecutione̅ in Chriſtianos ſextus à Ne-
rone exercuit.Sed co̅tinuo,hoc eſt tertio
quàm regnabat anno,à Pupieno Aquile-
iæ interfectus,& perſecutionis & uitæ fi-
nem fecit.Qui maxime propter Chriſtia
*VI. afflictio Chriſtianoru̅ per Maximinum.*
nam Alexa̅dri,cui ſucceſſerat,& Mameæ
matris eius familiam , perſecutionem in
ſacerdotes & clericos,id eſt,doctores, uel
præcipue propter Origenem preſbyte-
rum miſerat. Anno ab urbe co̅dita no̅-
genteſimo XCI. Gordianus uigeſimuſter
tius ab Auguſto imperator creat⁹ eſt,ma̅
*Gordian⁹ impera.*
ſitq; in eo annis ſex.Nam Pupienus inter-
fector Maximini, & frater eius Albinus,
*Pupienus & Albinus imp.*
qui uſurpauerat imperiu̅,in palatio mox
interfecti ſunt.Gordianus admodum pu
er in orientem ad bellum Parthicum p̄-
fecturus,ſicut Eutropius ſcribit,Iani por
tas aperuit:quas utru̅ poſt Veſpaſianum
& Titum aliquis clauſerit,neminem ſcri-
pſiſſe memini,cum tamen eas ab ipſo Ve
ſpaſiano poſt annum apertas, Cornelius
Tacitus prodat.Igitur Gordianus ingen-
tibus prælijs aduerſum Parthos proſpe-
re geſtis,ſuoru̅ fraude haud longe à Cyr
ceſſo ſuper Euphratem interfectus eſt.

Universidad de Deusto Biblioteca



### Imperium M. Iulij Philippi cum filio. Caput XX.

Philippus primus ex imperatorib' Chriſtianus.

ANno ab urbe condita nõgenteſimo XCVII. Philippus uiceſimus quartus ab Auguſto imperator creatus, Philippum filium ſuum conſortem regni fecit, manſitq́ in eo annis ſeptẽ. Hic primus imperatorum omnium Chriſtianus fuit, ac poſt tertium imperij eius annum, milleſimus à conditiõe Romæ annus impletus eſt. Ita ludis magnificis auguſtiſſimus omnium præteritorum hic natalis annus à Chriſtiano imperatore celebratus eſt. Nec dubium eſt, quin Philippus huius tantæ deuotionis gratiam & honorem ad Chriſtum & ad eccleſiam reportarit, quando uel aſcenſum fuiſſe Capitolium, immolataſq́ ex more hoſtias nullus autor oſtendit. Ambo tamẽ, quamuis diuerſis locis tumultu militari & Decij fraude interfecti ſunt.

### M. Qu. Traiani Decij, & Galli Hoſtiliani cũ Voluſiano filio imperium. Caput XXI.

ANno ab urbe cõdita milleſimo q̃rto, Decius ciuilis belli incentor &



repreſſor, occiſis Philippis, XXV. ab Auguſto inuaſit imperium, tenuitq́ annis tribus. Idem continuo, in quo ſe etiã ob hoc Philippos interfeciſſe docuit, ad ꝓſequendos interficiendoſq́ Chriſtianos, VII. poſt Neronẽ feralia diſperſit edicta, plurimoſq́ ſanctorum ad coronas Chriſti de ſuis crucibus miſit. Idemq́ filium Cæſarem legit, cum quo ſimul continuo in medio barbarorũ ſinu interfectus eſt.

VII. Chriſtianorũ afflictio.

Gall. Hoſtilianus impera.

Anno ab urbe cõdita milleſimoſeptimo, Gallus Hoſtilian' uiceſimuſſextus ab Auguſto regnum adeptus, uix duobus annis cum Voluſiano filio obtinuit. Exoritur ultio uiolati nominis Chriſtiani, & quatenus ad profligandas eccleſias edicta Decij cucurrerũt, eatenus incredibiliũ morborum peſtis extenditur. Nam nulla fere ꝓuincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali peſtilẽtia correpta atq́ uaſtata ſit. Hac ſola pernicie inſignes Gallus & Voluſianus, dũ cõtra Aemilianum nouis rebus ſtudentem bellum ciuile moliuntur, occiſi ſunt. Aemilianus tamen tertio menſe inuaſæ tyrannidis extinctus eſt.

*Valerianus & Galienus quomodo & quãdiu imperauerint. Interim de perſecutione eccleſiæ, eiusq; per uaria bella & tyrannorum cõſpirationes ultione.* Caput. XXII.

ANno ab urbe cõdita milleſimo X. duo imperatores uigeſimoſeptimo poſt Auguſtum loco creati ſunt. Valerianus in Rhetia ab exercitu Auguſtus eſt appellatus. Romæ autem à ſenatu Galienus Cæſar creatus, manſitq; in regno infeliciter annis quindecim, reſpirante pauliſper ab illa ſupra ſolitum iugi & graui peſtilẽtia humano genere. Prouocat pœnam ſuã obliuioſa malitia. Impietas enim flagella quidẽ excruciata ſentit, ſed à quo flagellatur, obdurata non ſentit. Et ut de ſuperioribus taceam, facta à Decio Chriſtianoꝝ perſecutione, totum Romanum imperiũ peſtilentia magna uexauit. Mentita eſt iniquitas ſibi, prauo in perniciem ſuam circunuenta iudicio, peſtilentiam cõmunis caſus eſſe: accidentemq; ex morbis mortem, naturæ finem eſſe, non pœnam. Rurſus igitur atq; in breui iram dei ſceleratis actionibus prouocat, exceptura plagam, cuius aliquãdo meminiſſe coga-



tur. Valerianus ſiquidem mox ut arripuit imperium octauus à Nerone, adigi per tormenta Chriſtianos ad idololatriã, abnegantesq; interfici iuſſit, fuſo per omnem Romani regni latitudinẽ ſanctorum ſanguine.

*VIII. perſecutio Chriſtianorum.*

Valerianus ilicò, nefarij autor edicti, à Sapore Perſarum rege captus, imperator populi Romani, ignominioſiſſima apud Perſas ſeruitute cõſenuit: hoc infamis officij continua, donec uixit, damnatiõe ſortitus, ut ipſe accliuis humi, regem ſemper aſcẽſurum in equum non manu ſua, ſed dorſo attolleret.

*Sapor Valerianum capit.*

Et Galienus quidẽ tam claro dei iudicio territus, tamq; miſero collegæ permotus exemplo, pacem eccleſiis trepida ſatisfactione reſtituit. Sed non compenſat iniuriæ ultionisq; menſuram unius impij, quamuis perpetua & ſupra modũ abominanda captiuitas, contra tot millia excruciata ſanctorum: iuſtorumq; ſanguis ad deum clamans, in eadem ſeſe terra ubi fuſus eſt, uindicari rogat. Non enim de ſolo conſtitutore præcepti, iuſto ſupplicium iudicio flagitabatur, ſed etiam executores, delatores, accuſatores, ſpectatores ac iudices, po



Universidad de Deusto Biblioteca

ſtremo qui iniuſtiſſimæ crudelitati uel ta-
cita uolūtate aſſentiebantur, quia deus ſe-
cretorum cognitor eſt, & quorum maxi-
ma per om̃es prouincias pars hominum
uerſabatur, eadem ultionis plaga corripi
iuſtum erat. Soluūtur repēte undiq; per-
miſſu dei ad hoc circumpoſitæ relictæq;
gẽtes, laxatiſq; habenis, in omnes Roma-
norum fines inuehuntur. Germani, Alpi-
bus, Rhetia, totaq; Italia penetratis, Rauē-
nam uſq; perueniunt. Alemanni Gallias
peruagantes, etiam in Italiam tranſeunt.
Græcia, Macedonia, Pontus & Aſia Go-
thorum inundatiōe delentur. Nam Dacia
trās Danubiū in ꝑpetuū aufert̃. Quadi &
Sarmatæ Pānonias depopulant̃. Germa-
ni ulteriores abraſa potiuntur Hiſpania.
Parthi Meſopotamiam auferunt, Syri-
amq; corrodunt. Extant adhuc per diuer-
ſas prouĩcias in magnarum urbium rui-
nis paruæ & pauperes *ædes, ſigna miſe-
*ſedes riarum, & nominum indicia ſeruātes, ex
quibus nos quoque in Hiſpania Tarraco
Vide nem noſtram ad conſolationem miſeriæ
Spartia- recentis oſtēdimus. Et ne quid forte Ro-
rum. mani corporis ab hac dilaceratione ceſſa-



ret, conſpirant intrinſecus tyranni, con-
ſurgunt bella ciuilia, funditur ubiq; plu-
rimus ſanguis Romanorum, Romanis
barbariſq; ſæuientibus. ſed cito ira dei in
miſericordiam uertitur, & cœptæ ultio-
nis maior forma quàm pœna in menſu-
ram plenitudinis reputat̃. Igitur primus
Genuus, qui purpuram imperij ſumpſe- Genuus.
rat, apud Myrſam occiditur. Poſthumius
in Gallia inuaſit tyrannidem, multo qui- Poſthumi-
dem reipublicæ commodo. Nam per de- us.
cem annos ingenti uirtute ac moderatio-
ne uſus, & dominantes hoſtes expulit, &
perditas prouincias in priſtinam faciem
reformauit, ſeditione tamen militum in-
terfectus eſt. Aemilianus apud Moganti- Aemilia-
acum, cum res nouas moliretur, oppreſ- nus.
ſus eſt. Poſt mortē Poſthumij Marius ibi- Marius.
dem inuaſit imperium, ſed continuo in-
terfectus eſt. Deinde Victorinus à Gallis Victorin.
ultro creatus, & poſt paululum occiſus
eſt. Huic ſucceſſit Tetricus, qui tunc Aqui- Tetricus
tanicæ præſidatus adminiſtrabat officiū,
multaſq; ſeditiōes militū ꝑtulit. At uero
in oriēte per Odenatum quendam colle- Odenatus
cta agreſti manu, uicti repulſiq; Perſæ,

Universidad de Deusto Biblioteca



defenſa Syria, recepta Meſopotamia eſt, & uſq; ad Cteſiphontem ruſticani Syriæ cum Odenato ſuo uincẽdo uenerunt. Galienus aũt cũ rempub. deſeruiſſet, ac Mediolani libidinibus inſeruiret, occiſus eſt.

*Flauius Claudius, Aurelius Quintillus, & Valerius Aurelianus imperatores.*
*Caput* XXIII.

ANno ab urbe cõdita milleſimo uiceſimoquinto, Claudius XXVIII. à Cæſare, uoluntate ſenatus ſumpſit imperium, ſtatimq́; Gothos iam p annos quindecim, Illyricum Macedoniamq́; uaſtantes bello adortus, incredibili ſtrage deleuit, cui à ſenatu clypeus aureus in curia, & in Capitolio ſtatua æque aurea decreta eſt. ſed continuo apud Syrmium priuſquam biennium in imperio expleret, morbo correptus interijt. Claudio mortuo, Quintillus frater eius ab exercitu imperator electus, uir quidem moderationis unicæ, & ſolus fratri præferendus, XVII. imperij die interfectus eſt. Anno ab urbe condita milleſimo uiceſimoſeptimo, Aurelianus uiceſimuſnonus imperium adeptus, quinq; annis & ſex men

*Quintillus imperator.*

*Aurelianus imperator.*



ſibus tenuit, uir induſtria militari excellẽtiſſimus. Expeditiõe in Danubium ſuſcepta, Gothos magnis prælijs profligauit, ditionemq́; Romanam antiquis terminis ſtatuit. Inde in orientem cõuerſus, Zenobiã quæ occiſo Odenato marito ſuo, Syriam receptam ſibi uindicabat, prælij magis terrore quàm prælio in poteſtatem redegit. Tetricum in Gallia minime ſufficientem ſuſtinere ſeditiões militum ſuorum, ſcribentemq́; etiam, Eripe me his inuicte malis, ac per hoc proditorem exercitus ſui, ſine labore ſuperauit. Sic orientis & aquilonis receptor magna gloria triumphauit, urbem Romam muris firmioribus cinxit. Nouiſſime cum perſecutionem aduerſus Chriſtianos agi, nonus à Nerone decerneret, fulmen añ eum magno pauore circunſtantiũ ruit, ac non multo pòſt in itinere occiſus eſt.

*IX. Chriſtianorũ afflictio.*

*P. Annius Tacitus, Floria. Aurel. Vale. Probus, & M. Aurelius Carus imperatores.*
*Caput* XXIIII.

ANno ab urbe cõdita milleſimo triceſimoſecundo, Tacitus triceſimus

adeptus imperium, ſexto mẽſe occiſus in Ponto eſt. Poſt quem Florianus parẽ regni ſortem ferens, tertio demum menſe apud Tharſum interfectus eſt. Anno ab urbe condita milleſimo triceſimotertio,

*Probus impera.*

Probus triceſimusprimus regnum ſortitus, obtinuit annis ſex & menſibus quatuor. Gallias iamdudum à barbaris occupatas, per multa & grauia prælia deletis tandem hoſtibus, ad perfectum liberauit. Bella deinde ciuilia equidẽ plurimo ſanguine duo geſſit: unũ in oriente, quo Saturninũ tyrãnide ſubnixum oppreſſit & cepit: aliud, quo Proculum & Bonoſum apud Agrippinam magis prælijs ſuperatos interfecit. Ipſe autem apud Syrmium in turre ferrata militari tumultu interfectus eſt. Anno ab urbe condita milleſimo triceſimonono,

*Carus impera.*

Carus Narbonenſis, triceſimuſſecũdus ſuſcepit imperium, ac biennio tenuit. Qui cum filios ſuos Carinum & Numerianum cõſortes regni effeciſſet bello Parthico, poſtquam duas nobiliſſimas Parthorum urbes, Cochem & Cteſiphontẽ cepit, ſuper Tigridem in caſtris fulmine ictus interijt. Numerianus,



qui cum patre fuerat, rediẽs fraude Apri ſoceri ſui interfectus eſt.

*Numeriani interitus.*

*C. Aurelius Valerius Diocletianus quomodo imperauerit, & quid ſub eo perq; cũ geſtum ſit. Romanum imperium primo diſſectum.*

*Caput XXV.*

ANno ab urbe cõdita milleſimo quadrageſimoprimo, Diocletianus triceſimuſtertius ab exercitu imperator electus, annis uiginti fuit. Statimq; ut poteſtatis copiam habuit, Aprum interfectorem Numeriani manu ſua interfecit. Carinum deinde, quem Carus Cæſarem in Dalmatia reliquerat, flagitioſe uiuẽtem, difficilimo bello & maximo labore ſuperauit. Dehinc cum in Gallia Amandus & *Aeliãdus collecta ruſticanorum manu, quos Vacaudas uocabãt, pernicioſos tumultus excitauiſſent, Maximianũ cognomẽto Herculium, Cæſarem fecit, miſitq; in Gallias, qui facile agreſtiũ hominum imperitam & confuſam manum militari uirtute compeſcuit. Deinde Carauſius quidam, genere quidem infimus, ſed conſilio & manu promptus, cum ad obſeruãda oceani littora, quæ tunc Franci & Sa-

** Helian⁹*

*Vacaudæ qui.*

*Maximianus. Herculius Cæſar.*

*Carauſi⁹*

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



xones infeſtabant poſitus, plus in pernici
em, quàm in prouentum reipublicæ age-
ret, ereptam prædonibus prædam nulla
ex parte reſtituendo dominis, ſed ſibi ſo-
li uindicando, accēdens ſuſpicionem, quia
ipſos quoque hoſtes ad incurſandos fi-
nes artifici negligentia pmitteret, quam-
obrem à Maximiano iuſſus occidi, purpu
ram ſumpſit, ac Britannias occupauit. Igi
*Tumult⁹ maiorum bellorum*
tur per omnes Romani imperij fines ſu-
bitarum turbationum fragores cōcrepu
erunt. Carauſio rebellante in Britannijs,
Achilleo in Aegypto, cum & Aphricam
Quinquegentiani infeſtarent, Narſeus eti
am rex Perſarum orientem bello preme
ret. Hoc periculo Diocletianus pmotus,
Maximianū Herculium ex Cæſare fecit
Auguſtum. Conſtantiū uero & Maximi-
anum Galerium, Cæſares legit. Conſtan
tius Herculij Maximiani priuignā Theo
doram accepit uxorem, ex qua ſex filios
fratres Conſtātini ſuſtulit. Carauſius Bri
tannia ſibi per ſeptē annos fortiſſime uin
dicata ac retēta, tandem fraude Allecti ſo
cij ſui interfectus eſt. Allectus poſtea ere-
ptam Carauſio inſulam per triēnium te-



nuit quem Aſclepiodotus præfectus præ
torio oppreſſit, Britāniamq́ post decem
annos recepit. Conſtantius uero Cæſar in
Gallia primo prælio ab Alemannis pro-
fligato exercitu ſuo, uix ipſe ſurrept⁹ eſt,
ſecundo autem ſecuta eſt ſatis ſecunda ui
ctoria. Nam paucis horis ſexaginta millia
Alemannorū cæſa referuntur. At Maxi
*Alemanni cæſi.*
mianus Auguſtus Quinquegentianos in
Aphrica perdomuit. Porro autē Diocle-
tianus Achilleum obſeſſum p octo men-
ſes apud Alexandriam cepit & interfecit.
Sed immoderata uictoria uſus, Alexādri
am direptioni dedit, Aegyptum totam
proſcriptionib⁹ cædibusq; fœdauit. Præ
terea Galerius Maximianus, cum duobus
iam prælijs aduerſus Narſeum conflixiſ
ſet, tertio inter Gallinicum & Carras cō-
greſſus & uict⁹, amiſſis copijs, ad Diocle
tianum refugit. A quo arrogantiſſime ex
ceptus eſt, ita ut per aliquot millia paſſu-
um purpuratus ante uehiculum eius cu-
curriſſe referatur. Veruntamen hac cōtu
melia quaſi cote ad uirtutē uſus eſt, p quā
detrita regij faſtus rubigine, aciē mentis
expedijt, Itaq; mox per Illyricum & Mœ

Universidad de Deusto Biblioteca



ſiam undiq; copias contraxit, raptimq́; in hoſtem reuerſus, Narſeum magnis conſilijs ac uiribus ſuperauit. Extinctisq; Perſarum copijs, ipſoq; Narſeo in fugā acto, caſtra eius inuaſit: uxores, ſorores, liberosq; cepit, immēſam uim gazæ Perſicæ diripuit, captiuos quamplurimos Perſarum nobilium abduxit. Reuerſus in Meſopotamiam, à Diocletiano plurimo honore ſuſceptus eſt. Poſtea per eoſdem duces ſtrenue aduerſus Carpos Baſternasq́; pugnatum eſt. Sarmatas deinde uicerūt: quorum copioſiſſimam captiuam multitudinem per Romanorū finium diſperſerunt præſidia. Interea Diocletianus in oriente, Maximianus Herculius in occidente uaſtari eccleſias, affligi interficiq; Chriſtianos decimo poſt Neronem loco præceperunt, quæ perſecutio omnibus fere antè actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendijs eccleſiarum, proſcriptionibus innocentum, cædibus martyrum inceſſabiliter acta eſt. Sequtur terræmotus in Syria, ex quo apud Tyrum & Sidonem paſſim labētibus tectis, multa millia hominum proſtrata ſunt.

*Decima eccleſiæ uaſtatio.*

*Terræmotus in Syria.*



Secundo perſecutionis anno Diocletianus ab inuito exegit Maximiano, ut ſimul purpuram imperiumq́; deponerent, ac iunioribus in rempublicā ſubſtitutis, ipſi in priuato ocio conſeneſcerent. Itaq; ſub una die Diocletian⁹ apud Nicomediam Maximianus apud Mediolanum poteſtatem imperij ſimul cultumq; poſuerūt. Galerius & Conſtantius Auguſti, primi Romanum imperium in duas parteis determinauerunt: Galerius Maximianus Illyricum, Aſiam & orientem: Conſtantius Italiam, Aphricā & Gallias obtinuit. Sed Conſtantius uir tranquilliſſimus, Gallia tantum Hiſpaniaq; contētus, Galerio cæteris partibus ceſſit. Galerius duos Cæſares legit, Maximinum, quem in oriente conſtituit, & Seuerum, cui permiſit Italiam, ipſe in Illyrico conſtitutus. Conſtantius uero Auguſtus ſummæ manſuetudinis & ciuilitatis, in Britānia mortē obijt, qui Conſtātinum filium ex cōcubina Helena, creatum imperatorem Galliarum reliquit.

*Galerius & Conſtātius Romanū imperiū primi inter ſe diuiſerunt.*

*Helena cōcubina Cōſtantij.*

*Cōſtantinus Magnus imperator Cæſ. Augu.*

*Interim obiectiones aduerſariorum de nouiſſi*

*ma decennaliq; eccleſiæ uaſtatione pulchre ſane diluit.* Caput XXVI.

Obiectiones aduerſariorum

ANno ab urbe cōdita milleſimo ſexageſimoprimo, Cōſtantinus triceſimuſquartus gubernacula imperij à Cōſtantio patre ſuſcepit, quæ uno & triginta annis feliciſſime tenuit. Occurritur mihi ſubito, & tripudijs quibuſdam inſultatur: Eia, inquiunt, tandē in foueas noſtras diu expectate ueniſti, hic te decurſurum opperiebamur, hic delapſum opprimimus, hic cōfuſum tenemus. Suſtinuimus te hactenus artificioſe quodammodo & callide fortuitas temporum mutationes Chriſtianorum ultionibus coaptantem: Et interdum quidem ueriſimilium ſpecie permoti, utpote homines ignari diuinorum ſecretorum, timore palluimus, ſed nunc euacuauit Maximianus noſter omnem ſcenam fabulæ tuæ, noſtræq; religionis *antiquatæ columna inexpugnabilis fulſit. Per annos decem euerſæ ſunt eccleſiæ ueſtræ, ut etiam tu fateris, dilacerati cruciatibus, exinaniti mortibus toto orbe Chriſtiani. Tenem' euidēs teſtimonium tuum, nullam ſuperiorem perſecu-

*antiquitatē col. inexpugnabili.

Universidad de Deusto Biblioteca



tionem adeo uel grauem uel diuturnam fuiſſe. Et tamen ecce inter tranquilliſſima temporum bona, ipſorum quoq; imperatorum, qui iſta fecerunt, inuſitata felicitas. Nulla domi fames, nulla peſtilentia, nullum foris bellum niſi uoluntariū, quo exerceri uires, non periclitari, queāt. Res præterea humano generi hucuſq; incognita, multorum ſimul regū patiens conſortium, & magna concordia, poteſtaſq; communis, aliâs nunquā niſi nūc in commune proſpiciens. Deinde etiam quod abſq; ulla hactenus mortaliū notitia eſt, imperatores illi maximi quippe & perſecutores, honore depoſito & aſſumpta q̃ete, priuati, quod beatiſſimū homines, & ſummum bonum uitæ bonæ iudicant, & hoc tunc uelut præmij loco, autores perſecutionis adepti ſunt, quando accenſa p̄ſecutio, medio ſui tempore toto orbe ſæuiebat. An etiam hanc beatitudinem illis temporibus pœnaliter accidiſſe aſſeris & nos hinc quoq; terrere moliris? Quibus humiliter reſponderim, me plurima cura pietatis accinctum, commonere de ueris, non terrere de falſis, Decem perſecu-

Dilutio.

Universidad de Deusto Biblioteca



tiones à Nerone uſq; ad Maximianum ec
cleſia Chriſti paſſa eſt. Nouem (ut ego di-
xi) ultiones, ut ipſi non negant, calamita-
tes è ueſtigijs conſecutæ ſunt. Nec in uer-
bo premor, utrum debitæ ultiōes, an for
tuitæ permutationes fuiſſe uideātur, quæ
tamen meo ſuoq; teſtimonio clades fue-
runt. In decima hæſitatum putant miſeri
& cæci, non uidentes tanto eam ipſis fuiſ-
ſe grauiorem, quāto minus intellecta eſt.
Impius enim flagellatr, & nō ſentit: quod
cum expoſitū fuerit, inuiti licet propter
ipſam rerum fidem fatebuntur: quia ex
illa Maximianæ pſecutionis maxima pu-
nitione iſta ſunt uulnera, quibus etiā nūc
iſti dolent, & intantum dolent, ut etiam
clament, noſq; ad reclamandum laceſſant
ſolicitos fieri, qualiter conticeſcant.

*Collatio populi Iſraelitici & Chriſtiani, Aegyptiaci item & Romani, quomodo illi pro deo in afflictionibus, hi à deo in plagis ſimilia fere paßi ſint.* Caput XXVII.

Iuſti. lib. 36. Dio- do. lib. 3.

IN primo libello expoſitū à nobis eſt,
Pompeium Trogum & Cornelium
Tacitum commemoraſſe non plene qui-
dem, noſtrum uero Moyſen, etiā ipſorum



teſtimonio fidelem, fideliter ſufficiēterq;
dixiſſe, Aegyptios & regem eorum, cum
populum dei ſeruire intentum & para-
tum deo ſuo impediendæ deuotionis in-
ſtinctu, ad lutum paleaſq; reuocarent, de
cē acerbiſſimis plagis fuiſſe uexatos. De-
inde uiolentia malorum edomitos, non
ſolum coegiſſe feſtinantem, ſed etiam pro
prijs ſuis argēteis & aureis uaſis accumu
lauiſſe: Poſt oblitos plagæ ſuæ, & cupi-
dos prædæ indebitæ, inuidos etiam reli-
gionis alienæ, dum innocentes auide per
ſequuntur, mari rubro ultime receptos Exo. 14.
omnes funditus interiſſe. Quod ego nūc
refero ac renuncio, etſi forte fide non acce
ptatum, exitu tamen probandum, quia
hæc in figuram noſtri facta ſunt. Vter-
que popul⁹ unius dei eſt, una populi utri
uſq; cauſa. Subdita fuit Iſraelitarum ſyna
goga Aegyptijs, ſubdita eſt Chriſtianorū
eccl'ia Romanis. Perſecuti ſunt Aegyptij
Hebræos, pſecuti ſunt Romani Chriſtia-
nos. Decem ibi contradictiones aduerſus
Moyſen, hic decem edicta aduerſas Chri-
ſtū. Diuerſæ ibi plagæ Aegyptiorū, diuer
ſæ hic calamitates Romanorū. Nam ut eti

Universidad de Deusto Biblioteca



am ipſas inter ſe plagas, inquantũ tñ figu
ra formæ cõparari põt, cõferá: ibi prima
habuit correptio, ſanguinem uulgo uel
manaſſe de puteis, uel in fluminibꝰ cucur
*Prima plaga Aegyptiorũ & Romanorum.* riſſe: Hic prima ſub Nerõe exegit plaga,
ut ubiq; morientiũ ſanguis eſſet, uel mor
bis in urbe correptꝰ, uel bellis in orbe ꝑ
fuſus. Ibi ſequens plaga prodidit, per-
ſtrepentes perſultanteſq; in penetralibus
II. ranas, inediæ propemodum cauſam ha-
bitatoribus atq; exilij fuiſſe: Hic ſequens
ſub Domitiano pœna, ſimiliter oſtendit
ſatellitum militumq; eius improbis effre
natiſq; diſcurſibus, cruẽtiſſimi iuſſa prin-
cipis exequẽtium, ad inopiã penè omnes
ciues Romanos adactos exilioq; diſper-
III. ſos. Ibi tertia uexatio habuit cyniphes,
muſculas ſcilicet paruiſſimas ac ſæuiſſi-
mas, quæ medijs ſæpe æſtibꝰ ꝑ loca ſqua-
lida ſe coadunatim uibrando denſatæ, &
in nullo uolatu allabi ſolent, capilliſq; ho
minum ac pecudum ſetis cum urẽte mor
ſu interſeri: Hic itidem tertia ſub Traia-
no plaga Iudæos excitauit: qui cum antea
ubiq; diſperſi, ita iam quaſi nõ eſſent, qui-
eſcerent, repentino omnes calore permo



ti, in ipſos inter quos erant, toto orbe ſæ-
uierunt, abſq; magnis multarum urbium
ruinis, quas crebri terræmotus iiſdẽ tem IIII.
poribus ſubruerunt. Ibi in quarta pla
ga muſcæ caninæ fuerũt, reuera alumnæ
putredinis, uermiumq; matres: Hic itidẽ
quarta ſub Marco Antonino plaga, lues
plurimis infuſa prouĩcijs, Italiam quoq;
cum urbe Roma uniuerſa, exercitumq;
Romanum per longinquos limites & di
uerſa hyberna diſperſum, in mortem diſ-
ſolutum, putredini ſimul ac uermibꝰ de-
dit. Ibi quinta correptio pecorum ac V.
iumentorum repentino interitu expleta
eſt: Hic ſimiliter quinta ultione ſub per-
ſecutore Seuero creberrimis ciuilibꝰ bel
lis propria uiſcera & adiumenta reipub.
hoc eſt, plebes prouinciarum, & legiones
militum cõminutæ ſunt. Ibi ſexta ue- VI.
xatio intulit ueſicas efferueſcentes, hulce-
raq; manantia: Hic æque ſexta punitio,
quæ poſt Maximini perſecutionem fuit,
ꝗ ſpecialiter epiſcopos & clericos omiſſa
turba populari, hoc eſt, eccleſiarum pri-
mates trucidari imperauerat, intumeſcẽs
crebro ira atq; inuidia, non per uulgi cæ-

Universidad de Deusto Biblioteca



dẽ, ſed per uulnera morteſq; principum
exhalata ac potẽtium, exaltata eſt. Ibi ſeptima pla-
VII. ga numeratur coacto aëre grãdo profu-
ſa, quæ hominibus, iumentis ſatiſq; exitio
fuit: Hic ſimiliter VII. ſub Gallo & Vo-
luſiano, qui perſecutori Decimo mox in-
terfecto ſucceſſerant, plaga extitit, corru-
pto aëre peſtis infuſa: quæ per omnia Ro
mani regni ab oriente in occidentem ſpa
tia, cum omne propemodum genus ho-
minum & pecudũ neci dedit, tum etiam
corrupit lacus, infecit pabula tabo. Ibi
VIII. octauam Aegypti cõtritionem fecere ex-
citatæ undiq; locuſtæ, tenentes, terentes,
tegenteſq; omnia: Hic octauam æque in
ſubuerſiõem Romani orbis excitatæ un-
diq; intulere gentes, quæ cædibus atque
incendijs cunctas prouincias deleuerunt.
Ibi nona turbatio diuturnas & craſſas ac
pene tractabiles tenebras habuit, plus o-
mnino periculi comminata quàm fecit.
IX. Hic itidem nona correptio fuit, cum Au
reliano perſecutionem decernenti, diris
turbinibus terribile ac triſte fulmen ſub
ipſis pedibus ruit, oſtẽdens quid, cum ul-
tio talis exigeret, tantus poſſet ultor, niſi



& clemens eſſet & patiens: quàquam in-
tra ſex abhinc menſes ſuccidui tres impe
ratores, hoc eſt, Aurelian⁹, Tacitus & Flo
rianus, diuerſis cauſis interfecti ſunt. Ibi X.
poſtremo decima plaga, quæ & nouiſſi-
ma omnium fuit, interfectio filiorũ, quos
primos quiq; genuerant: Hic nihilo mi-
nus decima, id eſt, nouiſſima pœna, omi-
um idolorum perditio eſt, quæ primitus
facta in primis amabát. Ibi rex poten-
tiam dei ſenſit, probauit, & timuit, ac per
hoc populum dei liberum abire permi-
ſit: Hic rex potentiam dei ſenſit, probauit
& credidit, ac per hoc populum dei libe-
rum eſſe permiſit. Ibi nunquam populus
dei poſtea ad ſeruitutẽ retractus, hic nun-
quam populus dei ad idololatriá coactus
eſt. Ibi Aegyptiorum uaſa precioſa He-
bræis tradita ſunt, hic in eccleſias Chri-
ſtianorum præcipua paganorum templa
ceſſerunt. Sane illud, ut dixi, denuncian-
dum puto, quia ſicut Aegyptijs poſt has
decẽ plagas dimiſſos Hebræos perſequi
molientibus, irruit per ſuperinductum
mare æterna perditio: ita & nos libere q-
dem peregrinantes, ſuperuentura quan-

Universidad de Deusto
Biblioteca



doque perſecutio gentilium manet, donec mare rubrum, hoc eſt, ignem iudicij, ipſo domino noſtro Ieſu Chriſto duce & iudice, trãſeamus. Hi uero in quos Aegyptiorum forma transfunditur, permiſſa ad tempus poteſtate ſæuiẽtes, grauiſſimis quidem permiſſu dei Chriſtianos cruciatibus perſequentur. Veruntamen ijdem omnes inimici Chriſti cum rege ſuo Antichriſto acceptiſtagno ignis æterni, quod magna impediẽte caligine, dum non uidetur, intratur, perpetuam perditionem immortalibus arſuri ſupplicijs ſortient.

*De Conſtantini Magni Auguſt. Item Maxẽtij, M. Iulij Licinij, & Maximiani imperijs & rebus geſtis. Item de Ario hæretico, eiuſq; dogmate damnato.* Caput XXVIII.

*Conſtantinus primus imperator Chriſtianus.*

IGitur mortuo, ut dixi, Conſtantio in Britannijs, Conſtantinus imperator eſt creatus, primus imperatorum Chriſtianꝰ, excepto Philippo, qui Chriſtianus annis admodum pauciſſimis ad hoc tantum conſtitutus fuiſſe mihi uiſus eſt, ut milleſimus Romæ annus Chriſto potius, quàm idolis dicaretur. A Conſtãtino autem ſemper omnes Chriſtiani imperato-



res uſq; in hodiernum diem creati ſunt, excepto Iuliano, quem impia (ut aiunt) machinantẽ, exitiabilis uita deſeruit. Hæc eſt lenta illa paganorum pœna, ſed certa. Hinc ſani inſaniũt, hinc nõ uulnerati compunguntur, hinc ridentes gemunt, hinc uiuẽtes deficiunt, hinc ſecreto excruciantur, quos nemo perſequitur: hîc iam pauciſſimi remãſerunt, qui nunquam aliquo perſequẽte puniti ſunt. Veruntamẽ quales tunc perſecutores illos, de quorũ impunitate nõ ſolum gloriari, ſed etiam inſultare conantur, finis manſit, expediam. Conſtantino in Gallijs ſtrenuiſſime rempub. procurãte, prætoriani milites Romæ Maxentium filium Herculij, qui priuatus in Lucania morabatur, Auguſtum nuncupauerunt. Maximianus Herculius iam ex Auguſto priuatus, & adhuc publicus perſecutor, occaſione filij ſolicitatus, qui imperium abiecerat, arripuit tyrannidem. Galerius Auguſtus Seuerum Cæſarem aduerſus Maxentium Romã cum exercitu miſit. Seuerus cum urbem obſideret, militum ſuorum ſcelere deſertꝰ & proditus, atq; ex eo fugiẽs, Rauennæ in-

*Maxentius Au.*

*Seueri cædes.*

Universidad de Deusto Biblioteca



terfectus eſt. Herculius Maximianus perſecutor, & ex Auguſto tyrannus, confirmatum iam imperio filium ueſte ac poteſtate regia ſpoliare conatus, cõuicijs autem ac tumultibus militum palam conterritus, in Galliam profectus eſt, ut Conſtãtino genero æque dolis iunctus auferret imperium: ſed per filiam deprehenſus & proditus, deinde in fugam uerſus, Maſſiliæ oppreſſus & interfectus eſt.

*Licinius impera.*

Porro Galerius occiſo Seuero, Licinium imperatorem creauit. Cumq; perſecutionem à Diocletiano & Maximiano miſſam ipſe atrocioribꝰ edictis accumulauiſſet, ac poſtquam per annos decem omni genere hominum exhauſit prouĩcias, putrefacto introrſum pectore, & uitalibus diſſolutis, cum ultra horrorem humanæ miſeriæ etiam uermes eructaret, neque medici ultrà iam fœtorem ferentes, crebro iuſſu eius occiderentur, à quodã medico conſtantiam ex deſperatiõe ſumente increpitus, iram dei eſſe pœnam ſuam, atque à medicis ideo non poſſe curari, edictis late miſſis, Chriſtianos de exilijs reuocauit. Ipſe autem cruciatus non ſuſtinens,



uim uitæ ſuæ attulit. Ita tunc reſpub. ſub nouis quatuor principibus fuit, Conſtantino & Maxentio filijs Auguſtorum, Licinio autem & Maximiano hominibus nouis. Conſtãtinus pacem eccleſiis poſt decẽ annos, quàm à perſecutoribꝰ uexabantur, indulſit. Deinde inter Conſtantinum & Maxentium bellum ciuile exortũ eſt.

*Bellum ciuile inter Conſtan. & Maxentium.*

Maxentius ſæpe multis prælijs fatigatus, ad Pontem miluium ultimo uictus & interfectus eſt. Maximianus, perſecutionis Chriſtianorum incentor executorq; infeſtiſſimus, apud Tharſum dum ciuile bellum contra Licinium diſponit, interijt. Licinius repentina rabie ſuſcitatus, omẽs Chriſtianos è palatio ſuo iuſſit expelli. Mox bellũ inter Licinium ipſum & Conſtãtinum efferbuit. Sed Conſtantinus Licinium ſororis ſuæ uirum in Pannonia primum uicit, deinde apud Cibalas oppreſſit.

*Eutr. Cibalias.*

Vniuerſa Græcia potitus, Liciniũ crebris bellis terra mariq; aſſurgentem & repreſſum, tandem ad deditionem coegit: ſed Herculij Maximiani ſoceri ſui motus exemplo, ne iterum depoſitã purpuram in perniciem reipub. ſumeret, pri

Universidad de Deusto Biblioteca



uatum iuſſit occidi, quãuis omnibus iam miniſtris nefariæ perſecutionis extinctis, hunc quoq; inquantum exercere *potuit perſecutionem, digna punitio flagitaret.

*exercere potuit

Conſtantini filij, Criſpus & Conſtãtinus, & Licinius adoleſcens, Licinij Auguſti filius, Conſtantini autem ex ſorore nepos, Cæſares ſunt creati. His diebus Arius Alexandrinæ urbis presbyter, à ueritate fidei catholicæ deuians, exitiale plurimis dogma conſtituit.

*Arius hæreticus.*

Qui ſimul ut primum Alexãdriæ uel notus uel notatꝰ inter confuſos uulgo ſectatores inſectatoresq; factus eſt, ab Alexãdro eiuſdem urbis tunc epiſcopo pulſus eccleſia eſt. Cumq; homines, quos in errorem ſeduxerat, etiam in ſeditionem excitaret, apud Niceã urbem Bithyniæ conuentus CCCXVIII. epiſcoporum factus eſt, per quos Arianum dogma exitiale & miſerum eſt euidentiſſime deprehenſum, palam proditum ac reprobatum eſt.

*Nicenum cõcilium.*

Sed inter hæc latent cauſæ, cur uindicem gladiũ & deſtinatam in impios punitionem Conſtantinus imperator etiam in proprios egit affectus. Nam Criſpum filium ſuum & Liciniũ filium



ſororis ſuæ interfecit. Præterea multas gentes diuerſis prælijs ſubegit. Vrbẽ nomine ſuo Romanorũ regum uel primus uel ſolus inſtituit. Quæ ſola expers idolorum, ad hoc breuiſſimo tempore condita à Chriſtiano imperatore prouecta eſt, ut ſola Romæ, tot ſeculis miſerijsq; prouectæ, forma & potentia merito poſſet æquari.

*Conſtantinopolis dedicatur.*

Tum deinde primus Conſtantinus iuſto ordine & pio uicem uertit edicto, ſiquidem ſtatuit citra ullam hominum cædem paganorum templa claudi. Mox Gothorum fortiſſimas & copioſiſſimas gentes in ipſo barbarici ſoli ſinu, hoc eſt, in Sarmatarum regione deleuit.

*Gothorũ deletio.*

Calocerum quendam in Cypro aſpirantem nouis rebus oppreſſit. Tricẽnalibus ſuis Dalmatium Cæſarem legit. Cumq; bellũ in Perſas moliretur, in uilla publica iuxta Nicomediam, diſpoſitam bene rempublicam filijs tradens diem obijt.

*Conſtantinus, Conſtantius & Conſtans imperatores. Interim de Magnentio arripiẽte imperium, & Decentio.* Caput XXIX.

ANno ab urbe condita milleſimo nonageſimoſecundo, Conſtantinus tri

Universidad de Deusto Biblioteca



ceſimusquintus cum Conſtantio & Conſtante fratribus ſuis adeptus imperium, uigintiquatuor annis tenuit. Fuit autem inter ſucceſſores Conſtantini & Dalmatius Cæſar fratris filius, ſed continuo militari factione decerptus eſt. Interea maligna ſemper aduerſus deum uerum inſectatio diaboli, quæ ab initio mundi uſque ad nunc, à ſyncero tramite fidei religioniſq; infuſis errorum nebulis, lubrica hominum corda ꝑturbat, poſtquam Chriſtianis imperatoribꝰ ſummam regiæ poteſtatis in meliora uertentibus eccleſiam Chriſti zelo idololatriæ ꝑſequi deſtitit, aliud machinamentum, quo per eoſdem Chriſtianos imperatores Chriſti eccleſiam uexaret, inuenit. Fit igitur Ario noui erroris autori, cæteriſq; diſcipulis ipſius ad familiaritatem Conſtantij imperatoris promptus aditus & facilis uia. Suadetur Conſtãtio, ut quoſdam in deo gradus credat: & qui per ianuam ab errore idololatriæ fuerat egreſſus, reuerſus in ſinũ eiuſdem, in deo deos quærit, & tanquam per pſeudotyrũ inducitur. Peruerſo igitur zelo poteſtas armat illuſa, & ſub no-

*Dalmatij Cæſaris interitus*

*Conſtantius Ario adeſt.*



mine pietatis, uis perſecutionis agitatur. De noui nominis electione contenditur, ut Arianorum potius eccleſiæ quàm catholicoꝝ ſint. Sequitur terræmotus horribilis, qui plurimas orientis urbes ſolo ſtrauit. Conſtantinus dum Conſtantem fratrem bello inſectatur, incauta petulantia periculis ſeſe offerens, à ducibus eius occiſus eſt. Conſtans aduerſas Perſas & Saporem, qui Meſopotamiã uaſtauerãt, nouem prælijs parum proſpere decertauit. Seditione nouiſſime atq; intemperantia militũ nocte adoriri pugnã coactus, patratam pene uictoriam inſuper uictus amiſit. Poſtquam ſe Conſtans intolerãdis uitijs dediſſet, ac pœna prouincialium fauorem militum compararet, Magnentij dolis in oppido cui Helena nomẽ eſt, in ꝓximo Hiſpaniæ interfectꝰ eſt. Magnentius enim apud Auguſtodunum arripuit imperium, quod continuo ꝑ Galliam & Aphricam Italiamq; porrexit. In Illyrico autem Veteranionem ætate grandæuum, imperatorẽ ſibi milites creauerũt, uirum natura ſimplicem, cunctiſq; iucundum, ſed qui ne prima quidem unquam

*Veteranio imperator.*

Universidad de Deusto Biblioteca



literarum elementa didiciſſet. Itaq; cum primas literas, literarumq; ſyllabas imperator ſenex, interdum inuitus meditaretur, à Conſtantio qui tunc in Magnentium, ultione fratris accenſus, bellum parabat, deponere iuſſus imperium, abijciens cum literis purpuras, contẽtusq; priuatis ferijs, palatium ſimul ſcholamq; dimiſit. Nepotianus deinde Romæ Cõſtantini ſororis filius, gladiatorum manu fretus, inuaſit imperium: qui deinde cum improbus ac per hoc inuiſus cunctis eſſet, à Magnentianis ducibus oppreſſus eſt. Sequitur bellum illud horribile inter Conſtantium Magnentiumq; apud Murſam urbem geſtum, in quo multa Romanarũ uirium profligatio etiam in poſterũ nocuit. Magnentius tamen uictus aufugit, ac non multo pòſt apud Lugdunum propria ſe manu interfecit. Decentius quoq; frater eiuſdem, quem Cæſarẽ Gallis præfecerat, apud Senonas laqueo uitam finiuit. Conſtantius continuo Gallum patrui filium, Cæſarem legit: quẽ rurſus crudeliter ac tyrannice agentẽ, paulo poſtquam creauerat, occidit, Syluanum quoq; per

*Nepotianus oppreſſus.*

*Magnentij & Decentij interitus.*



Gallias rebus nouis inhiantem, mature circũueniendum opprimendumq; curauit. Igitur Syluano interfecto, Iulianum patruelem ſuum, Galli fratrẽ, Cæſarem creatũ miſit ad Gallias. Itaq; Iulianus Cæſar euerſas oppreſſasq; ab hoſtibus Gallias ſtrenuiſſime in integrum reſtituit. Alemannorum paruis copijs magnam multitudinem fudit. Rheno Germanos reuinxit. His elatus ſucceſſibus, faſtigium uſurpauit Auguſti: & mox Italiam Illyricũq; puadens, Conſtantium Parthicis prælijs occupatum, regni parte priuauit. Cõſtantius Iuliani ſcelere comperto, dimiſſa expeditione Parthorum, dum ad ciuile bellum reuertitur, in itinere inter Ciliciam Cappadociamq; defunctus eſt. Ita ille qui diſciſſa pace & unitate fidei catholicæ, Chriſtianos aduerſus Chriſtianos armãs, ciuili (ut ita dicam) bello eccleſiæ membra dilacerauerat, totum inquietum tempus imperij ſui, moleſtumq; ſpatium uitæ ſuæ, bellis ciuilibus etiam per propinquos & cõſanguineos excitatis, exercuit, exegit, expendit.

*Iuliani perfidia.*

*Conſtantij interitus.*

*Fl. Cl. Iulianus imperator Cæſar.* *C. t.* XXX.

Universidad de Deusto Biblioteca



*Iulianus nititur abolere fidem Chriſti.*

ANno ab urbe cōdita milleſimo cēteſimo decimoſexto, Iulianus dudum Cæſar, poſt autem triceſimuſſextus ab Auguſto regno potitus, anno uno & menſibus octo imperij ſummam ſolꝰ obtinuit, Chriſtianam religionem arte potius quàm poteſtate inſectatus, ut negaretur fides Chriſti, & idolorum cultus ſuſciperetur, honoribus magis prouocare, quàm tormentis cogere ſtuduit. Aperto tamen præcepit edicto, ne quis Chriſtianus docendorum liberalium ſtudiorum profeſſor eſſet. Sed tamen ſicut à maioribus noſtris compertum habemus, om̄es ubiq; propemodum præcepti conditiones amplexati, officiũ quàm fidem deſerere maluerũt. Iulianus autem bellum aduerſus Parthos parans, cum Romanas uires contractas undiq; ad deſtinatã ſecum retraheret perditionem, Chriſtianorum ſanguinem dijs ſuis uouit, palam perſecuturus eccleſias, ſi uictoriam potuiſſet adipiſci. Nam & amphitheatrum Hieroſolymis extrui iuſſit, in quo reuerſus à Parthis, epiſcopos, monachos, omneſq; eius loci ſanctos, beſtijs etiam arte ſæuioribus



obijceret, ſpectaretq; laniãdos. Itaq; poſtquam à Cteſiphonte caſtra mouit, dolo cuiuſdam trãsfugæ in deſerta perductus, cum ui ſitis & ardore ſolis, atq; inſuper labore arenarum confectus periret exercitus, imperator tãto rerum periculo anxius, dum per uaſta deſerti incautius euagatur, ab obuio quodã hoſtium equite conto ictus interijt. Sic miſericors deus impia conſilia impij morte diſſoluit. *Iuliani interitus.*

*Iouinianus imperator Cæſ. Auguſt.*
*Caput* XXXI.

ANno ab urbe cōdita milleſimo cēteſimo decimoſeptimo, Iouinianus triceſimuſſeptimꝰ imperator, in ſummo rerũ diſcrimine ab exercitu creatus, cum & locorum iniquitate captus, & hoſtibus circũſeptus, nullam euadendi facultatem nanciſceretur, fœdus cum Sapore rege Perſarum, etſi parum putant dignum, ſatis tamen neceſſarium pepigit: quippe ut tutum & incolumem Romanum exercitum non ſolum ab incurſu hoſtium, uerumetiam à locorum periculo liberaret. Niſibin oppidum & partem ſuperioris Meſopotamiæ, Perſis conceſſit. Inde dum

Universidad de Deusto Biblioteca



Illyricum rediẽs, per Galatiam iter agit, cum in cubiculum quoddam nouum ſeſe cubitum recepiſſet, calore prunarum & nidore parietũ nuper calce illitorum, aggrauatus & ſuffocatus, octauo demum menſe quàm imperare ceperat, uitam finiuit.

*Iouiniani interitus.*

*Fla. Valerius Valentinianus imp. Cæſ. Augu. cum Valente fratre. Deq; Gratiano iam Cæſare. Caput XXXII.*

*Laus Valentinia.*

ANno ab urbe cõdita milleſimo centeſimo decimo octauo, Valentinianus triceſimuſoctauus apud Niceam conſenſu militum imperator creatꝰ eſt, manſitq; in eo annis undecim: qui cum Chriſtianus integra fide ſacramentum militiæ gereret, & ſub Iuliano Auguſto tribunus ſcutariorum, iuſſus ab imperatore ſacrilego aut immolare idolis, aut militia excedere, fideliter ſciens & grauiora dei eſſe iudicia & meliora promiſſa, ſpõte diſceſſit. Ita parua interiecta mora, Iuliano interfecto, ac mox Iouiniano mortuo, qui pro Chriſti nomine amiſerat tribunatũ, retribuente Chriſto, in locum perſecutoris ſui accepit imperium: qui poſtea fra-



trem ſuũ Valentem participem fecit imperij, & Procopium tyrannum pluresq; poſtea ſatellites eius occidit. Terræmotus per totum terrarũ orbem factus, ita turbatum quoq; pelagus excuſſit, ut per uicinas terrarum campeſtriũ partes refuſo mari, plurimæ inſularum urbes concuſſæ & ſubrutæ, perijſſe referantur. Valens ab Eudoxio epiſcopo Ariani dogmatis aſſertore & baptizatus & perſuaſus, in ſæuiſſimam hæreſim declinauit: ſed malignam inſectatiõem diu texit, nec uoluntati poteſtatem admiſcuit, quoad uiuentis fratris autoritate cõpreſſus eſt. Contemplabatur enim de eo quantam uim in ulciſcenda fide imperator poſſet exercere, qui tantam conſtantiam pro retinenda quondam miles habuiſſet. Horum anno imperij tertio, Gratianus Valentiniani filius imperator eſt factus. Eodem anno apud Atrebatas uera lana de nubibꝰ pluuiæ mixta defluxit. Præterea Athanaricꝰ rex Gothorum Chriſtianos in gente ſua crudeliſſime perſecutus, plurimos barbarorum ob fidem interfectos, ad coronam martyrij ſublimauit, quorum tamen plu

*Terræmotus.*

*Eudoxius Arianus.*

*Gratianus imperator.*

*Athanaricus Gothorum rex.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ximi in Romanum ſolum non trepidi ue
lut ad hoſtes, ſed certi, qđ ad fratres pro
Chriſti cōfeſſione fugerunt. Valentinia-
*Saxones qui.* nus Saxones gentem in oceani littoribus
& paludibus inuijs ſitam, uirtute atq; agi-
litate terribilem, periculoſam Romanis
finibus, eruptionem magna mole medi-
tantem, in ipſis Francorũ finibus oppreſ-
*Burgundiones q.* ſit. Burgundionum quoq; nouorum ho-
ſtium nouum nomen, qui pluſquã octo-
ginta millia (ut ferũt) armatorum, ripæ
Rheni fluminis inſederũt. Hos quondam
ſubacta interiore Germania à Druſo &
Tiberio adoptiuis filijs Cæſaris, p caſtra
diſpoſitos, aiũt in magnam coaluiſſe gen-
tem: atq; etiam ita nomen ex opere præ-
ſumpſiſſe, quia crebra per limitem habi-
*Burgundi unde dicti.* tacula conſtituta, Burgos uulgo uocant:
eorumq; eſſe præualidam & pernicioſam
manũ, Galliæ hodieq; teſtes ſunt, in qui-
bus præſumpta poſſeſſiõe conſiſtũt: quã-
uis prouidentia dei oẽs Chriſtiani mõ
facti, catholica fide, noſtriſq; clericis qui-
bus obedirent receptis, blande, manſuete,
innocenterq; uiuant, non quaſi cum ſub-
iectis Gallis, ſed uere cum fratribus Chri



ſtianis. Anno autem undecimo imperij
ſui, Valentinianus, cum Sarmatæ ſeſe per
Pãnonias diffudiſſent, eaſq; uaſtarent, bel
lum in eos parãs, apud *Brigitionem op- **Bergentionem.*
pidum ſubita effuſione ſanguinis, quod
græce ἀπόπληξις uocat, ſuffocatus & mor
tuus eſt. Poſt quem Gratianus filius eius
occidentis imperium tenuit. Valente pa-
truo in orientis partibus conſtituto, Va-
lentianum etiam fratrem ſuum paruum
admodum, ſocium creauit imperij.

*Valens imperator, quomodo Chriſtianos punierit, & quæ bella geßerit, deq; Gratiani imperio.* Caput XXXIII.

ANno ab urbe cõdita milleſimo cẽ-
teſimo uiceſimooctauo, Valens tri
ceſimuſnonus imperium quatuor annis
Valẽtiniano mortuo tenuit, qui ſolus cũ
impie ageret, & potuiſſet erubeſcere, ili-
co uelut effrenata libertatis audacia legẽ
dedit, ut monachi, hoc eſt, Chriſtiani, qui
ad unum fidei opus, dimiſſa ſecularium
rerum multimoda actiõe, ſe redegerant,
ad militiam cogerentur. Vaſtas illas tunc
Aegypti ſolitudines, arenaſq; diffuſas,
quas propter ſitim ac ſterilitatem pericu

Universidad de Deusto Biblioteca



loſiſſimamq́; ſerpētum abūdantiam conuerſatio humana non noſſet, magna habitantium monachorum multitudo compleuerat. Huc tribuni & milites miſſi, qui ſanctos ac ueros milites dei alio nomine perſecutiōis abſtraherent, interfecerunt ibi agmina multa ſanctorū. Quæ autem per diuerſas ubiq́; prouincias, his ſimilibuſq́; iuſſis aduerſus eccleſias catholicas, & rectæ fidei populos geſta ſint, ſatis ſignificatum ipſa reticendi electione ſufficiat.

*Monachi Aegyptiaci interfecti.*

Interea in Aphricæ partib' Firmus ſeſe, excitatis Maurorum gentib', regem conſtituens, Aphricā Mauritaniamq́; uaſtauit. Cæſaream urbem nobiliſſimā Mauritaniæ dolo captam, deinde cædibus incendiiſq́; cōpletam, barbaris in prædam dedit. Igitur comes Theodoſius, Theodoſii qui pōſt imperio præfuit, pater, à Valente miſſus effuſas Maurorū gentes multis prælijs fregit, ipſumq́; Firmum afflictum & oppreſſum coēgit ad mortem. Pōſt cum experiētiſſima prouidentia totam cum Mauritania Aphricam meliorem priſtinis legibus reddidiſſet inſtimulante & obrepente inuidia iuſſus interfi-

*Firmus (Diaconus Thirmus) Aphricam uaſtat.*



ci, apud Carthaginem baptizari ī remiſſionem peccatorū præoptauit. At poſtquam ſacramentum Chriſti, quod quæſierat aſſecutus eſt, poſt glorioſam ſeculi uitam, etiam de uitæ æternitate ſecurus, percuſſori iugulum ultro præbuit. Gratianus interea imperator admodum iuuenis, cum inæſtimabilē multitudinem hoſtium Romanis infuſam finibus cerneret, fretus Chriſti potentia, longe impari militum numero ſeſe in hoſtem dedit: & continuo apud Argentariam oppidum Galliarum, formidoloſiſſimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam plus quàm triginta millia Alemannorum, minimo Romanorū detrimento, in eo prælio interfecta narrantur.

*Cæſi Alemanni.*

Tertiodecimo autem anno imperij Valētis, hoc eſt, paruo tēpore poſtea quā Valens p totum orientem eccleſiarum lacerationes, ſanctorumq́; cædes egerat, radix illa miſeriarum noſtrarū copioſiſſimos ſimul frutices germinauit: ſiquidem gens Hunnorum diu inacceſſis ſecluſa montibus, repentina rabie percita, exarſit in Gothos: eoſq́; ſparſim conturbatos, ab antiquis ſe

*Hūni aduerſus Gothos.*

dibus expulit. Gothi tranſito Danubio fugientes, à Valente ſine ulla fœderis pactione ſuſcepti, ne arma quidem, quo tutius barbaris crederetur, tradidere Romanis. Deinde propter intolerabilẽ auaritiã Maximi ducis, fame & iniurijs adacti, in arma ſurgẽtes, uicto Valentis exercitu, per Thraciam ſeſe miſcẽtes, ſimul omnia cædibus, incendijs, rapiniſq; fœdarunt. Valens egreſſus de Antiochia, cum ultima infelicis belli ſorte traheretur, ſera peccati maximi pœnitẽtia ſtimulatus, epiſcopos cæteroſq; ſanctos reuocari de •exilijs imperauit. Itaq; decimoquinto imperij ſui anno lachrymabile illud bellum in Thracia cum Gothis, iam tunc exercitatione uirium rerumq; abundantia inſtructiſſimis, geſſit. Vbi primo ſtatim impetu Gothorum, perturbatæ Romanorum equitum turmæ, nuda peditum deſeruere præſidia. Mox legiones peditũ undiq; equitatu hoſtium cinctæ, ac primum nubibꝰ ſagittarum obrutæ, deinde cum amentes metu ſparſim per deuia cogerentur, funditus cæſæ, gladijs inſequentum contiſq; perierunt. Ipſe imperator

•bellis

Bellũ cũ Gothis.



cum ſagitta ſaucius, uerſuſq; in fugam, ægre in cuiuſdam uillulæ caſam deportatus lateret, ab inſequentibus hoſtibus deprehenſus, ſubiecto igne, conſumptus eſt: & quo magis teſtimonium punitionis eius & diuinæ indignatiõis terribili poſteris eſſet exemplo, communi caruit ſepultura. Conſoletur ſe, ſed in hoc ſolo peruicacia miſeriaq; gentilium, quia temporibus & regibus Chriſtianis tãtæ ſimul cõgeſtæ clades, preſſam reipu. onerauere ceruicem: euerſæ prouinciæ, deletus exercitus, imperator incenſus. Magnum reuera hoc eſt ad noſtrum dolorem, magiſq; miſerum, quo magis nouum. Sed quid hoc ad conſolationem proficit paganoꝝ, qui palam peruident & in his quoq; perſecutorẽ eccleſiarum fuiſſe punitũ? Vnus deus unam fidem tradidit, unam eccleſiam toto orbe diffudit, hanc aſpicit, hanc diligit, hanc defendit. Quolibet ſe quiſq; nomine tegat, ſi huic nõ ſociatur, alienus: ſi hanc impugnat, inimicus eſt. Conſolentur ſe gentiles inquantum uolunt, Iudæorum hæreticorumq; ſupplicijs: tãtum & unum deum eſſe, & eũdem perſonarum

Valentis obitus.

Universidad de Deusto Biblioteca

acceptorē nō eſſe, uel ex hac potiſſimum Valentis extincti probatione fateantur. Gothi antea per legatos ſupplices popoſcerunt, ut illis epiſcopi, à quibus Chriſtianæ fidei regulam diſcerent, mitterētur. Valēs imperator exitiabili prauitate doctores Ariani dogmatis miſit. Gothi primæ fidei rudimentum quod accepere, tenuerūt. †(Valens catholicæ fidei normā quam prius habuerat, derelinquens, peruerſo Arianorum ſeſe dogmati illexit.) Itaq; iuſto dei iudicio ipſi eum uiuum incenderunt, qui propter eum etiam mortui, uitio erroris arſuri ſunt.

†*Hanc clauſulā parētheſi incluſam uetera nō habent.*

*Gratianus imperator quanta prudentia imperium rexerit. Theodoſius orienti & Thraciæ imperat. deq; Arcadio & Maximo.*
*Caput* XXXIIII.

ANno ab urbe cōdita milleſimo cēteſimo XXXII. Gratianus quadrageſimꝰ ab Auguſto, poſt mortem Valentis ſex annis imperium tenuit, quamuis iamdudum antea cum patruo Valente & cum Valentiniano fratre regnaret: qui cum afflictum ac pene collapſum reipu. ſtatū uideret, eadem prouiſiōe qua quon-



dam legerat Nerua Hiſpanū uirum Traianum, per quem reſpublica reparata eſt, legit & ipſe Theodoſiū, æque Hiſpanum uirum: & reſtituendæ reipub. neceſſitate apud Syrmium purpuram induit, orientiſq; & Thraciæ ſimul præfecit imperio, in hoc perfectiore iudicio: quia cum in omnibus humanæ uitæ uirtutibꝰ iſte par fuerit, in fidei ſacramēto religioniſq; cultu ſine ulla comparatione præceſſit: ſiquidē ille perſecutor, hic propagator eccleſiæ. Ita illi ne unus quidem propriꝰ filius quo ſucceſſore gauderet, indultꝰ eſt. Huius autem orienti ſimul atq; occidenti per ſucciduas uſq; ad nunc generationes, glorioſa propago dominatur. Itaq; ut Theodoſius afflictā rempub. ira dei reparandam credidit miſericordia illiꝰ, omnem fidutiam ſui ad opem Chriſti conferens, maximas illas Scythicas gentes, formidataſq; cunctis maioribus, Alexandro quoque illi Magno, ſicut Pompeius Corneliuſq; teſtati ſunt, euitatas, nunc autem extincto Romano exercitu, Romanis equis armiſq; inſtructiſſimas, hoc eſt, Alanos, Hūnos & Gothos, incunctanter aggreſ-

*Theodoſius Hiſpanus imperator.*

*Theodoſius Scythicas gētes uicit.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſus, magnis multiſq; prælijs uicit. Vrbē Conſtantinopolim uictor intrauit: & ne paruā ipſam Romani exercitus manum aſſidue bellādo detereret, fœdus cū Athanarico Gothorum rege percuſſit. Athanaricus autem continuo ut Conſtantinopolim uenit, diem obijt. Vniuerſæ Gothorum gētes, rege defuncto, aſpiciētes uirtutem benignitatemq; Theodoſii, Romano ſeſe imperio dediderunt. In ijſdem etiam diebus Perſæ, q Iuliano interfecto aliiſq; imperatoribus ſæpe uictis, nunc etiam Valente in fugam acto, recentiſſimæ uictoriæ ſatietatem cruda inſultatiōe ructabant, ultro Conſtātinopolim ad Theodoſium miſere legatos, pacem ſuppliciter poſtulantes: ictumq; tunc fœdus eſt, quo uniuerſus oriens uſque ad nunc tranquilliſſime fruitur. Interea cum Theodoſius in oriente ſubactis barbarorum gentibus, Thracias tandem ab hoſte liberas reddidiſſet, & Arcadium filium ſuum conſortem feciſſet imperij, Maximus uir quidem ſtrenuus & probus, atque * Auguſto dignus, niſi contra ſacramenti fidem per tyrannidem emerſiſſet, in Britannia inuitus propemodum ab exercitu impe-

*Athanarici interitus.*

*Perſæ pacem petunt.*

*Theodoſius Arcadium aſciſcit ad imperium.*

**augmento*



rator creatus, in Galliam tranſiit: ubi Gratianum Auguſtum ſubita incurſiōe perterritum, atque in Italiam tranſire meditantem, dolis circūuentum interfecit, fratremq; eius Valentinianum Auguſtum Italia expulit. Valentinianus in orientem refugiēs, à Theodoſio paterna pietate ſuſceptus, mox etiam imperio reſtitutꝰ eſt.

*Maximꝰ Gratianū perimit.*

### Theodoſius imperator Cæſar Auguſtus quæ bella geſſerit. Interim de Maximi, Andragatij & Valentiniani interitu. Deq; Arbogaſte & Eugenio tyranno, per Theodoſium deletis. Caput XXXV.

ANno ab urbe cōdita milleſimo cēteſimo XXXVIII. Theodoſiꝰ XLI. interfecto per Maximum Gratiano, imperium Romani orbis obtinuit, manſitq; in eo annis undecim, cum iam in orientis partibus ſex annis Gratiano uiuente regnaſſet. Itaq; iuſtis neceſſarijſq; cauſis ad bellū ciuile permotus, cum è duobus Auguſtis fratribus, & ultionem unius interfecti ſanguis exigeretur, & reſtitutiōem miſeria alterius exulātis oraret, poſuit in deo ſpem ſuam, ſeq; aduerſus Maximum tyrānum ſola fide maior (nam longe mi-

*Theodoſius fide magis quàm copijs uincit.*

Universidad de Deusto Biblioteca



nor erat uniuerſa apparatus bellici comparatione) proripuit. Aquileiæ tunc Maximus uictoriæ ſuæ ſpectator inſederat. Andragatius comes eius ſummam belli adminiſtrabat: qui cum largiſſimis militum copijs, ipſaq; magnarum copiarum fortitudine, præcellente conſilio, omnes incredibiliter alpium ac fluminū aditus communiſſet, ineffabili iudicio dei, nauali expeditiōe dum incautum hoſtem præuenire & obruere parat, ſponte eadē, quæ obſtruxerat clauſtra, deſeruit. Ita Theodoſius nemine ſentiente, ut non dicam repugnante, uacuatas tranſmiſit alpes, atque Aquileiam improuiſus adueniēs, hoſtem illum magnum Maximum trucem, & ab immaniſſimis quoq; Germanorum gentibus tributa ac ſtipendia ſolo terrore nominis exigentem, ſine dolo & controuerſia clauſit, cepit & occidit. Valentinianus, recepta Italia, potitus imperio eſt. Andragatius comes cognita Maximi nece, præcipitem ſeſe ē naui in undas dedit, ac ſuffocatus eſt. Theodoſius incruentam uictoriam deo procurāte ſuſcepit. Ecce regibus & temporibus Chriſtianis qualiter bella ciuilia cum uitari nequeunt, tranſi-

*Andragatius comes Maximi.*

*Theodoſius Maximum occidit.*

*Andragatius ē naui ſe præcipitat.*



guntur. Ad uictoriam peruentum eſt, irrupta eſt ciuitas, correptus tyrannus, & hoc parum eſt. Ecce à parte alia uict⁹ hoſtilis exercitus, atque ipſo tyranno truculentior comes tyranni ad mortem coactus, tantæ diſſolutæ eluſæq; inſidiæ, tanti apparatus exinaniti ſunt: & tamen nullus dolos ſtruxit, nullus aciem diſpoſuit, poſtremo null⁹ (ſi dici licet) gladium de uagina extulit. Formidoloſiſſimū bellum ſine ſanguine uſq; ad uictoriam, & in uictoria duorum morte confectum eſt.

*Theodoſij felix uictoria.*

Et ne hoc quiſquam caſu factum putet, quo magis potentia dei qua & diſpēſantur & iudicantur uniuerſa, propalato ſui teſtimonio declarata, obſtrepentiū mentes uel ad confuſionē uel ad fidem cogat, dico rem & ignotam omnibus, & omnibus notam: Poſt hoc bellum quo Maximus interfect⁹ eſt, multa utiq;, ſicut om̄es recognoſcim⁹, Theodoſium filiumq; eius Honorium uſq; ad nunc externa bella & ciuilia conſecuta ſunt: & tamen om̄ia pene uſque in hodiernū diem, & quidē cū fructu ſimplicis ſanctæq; uictoriæ, uel nullo uel minimo ſanguine quieuerunt. Igi-

Valẽtinianus clam occiſus.

tur Valentinianus iunior regno reſtitutus, extincto Maximo, eiusq; filio Victore, quem imperatorem Gallis Maximus reliquerat, ipſe in Gallias tranſiuit: ubi cum tranquilla rep. in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogaſtis comitis ſui, ut ferunt, ſtrangulatus, atq; ut uoluntariam ſibi cõſciuiſſe mortem putaretur, laqueo ſuſpenſus eſt. Mortuo Valentiniano Auguſto, Arbogaſtes Eugenium tyrannum mox creare auſus eſt, legitq; hominem cui titulũ imperatoris imponeret, ipſe •acturus imperium: uir barbarus animo, conſilio, manu, audacia, potentiaq; nimius, contraxit undiq; innumeras, inuictasq; copias, uel Romanorum præſidijs uel auxilijs barbarorum, alibi poteſtate, alibi cognatione ſubnixus. Hiſtoriam notam etiam oculis plurimorum, quam melius qui ſpectauere nouerũt, dilatari non opus eſt uerbis. Potentia dei, non fiducia hominis, uictorem ſemper extitiſſe Theodoſium, Arbogaſtes iſte præcipuum in utroq; documẽtum eſt: qui & tunc, cum Theodoſio paruit, tantis inſtructũ præſidijs Maximũ ipſe •minimis cepit: & nunc

Arbogaſtes Eugenium tyrannũ imperatorẽ cre.

pauctu-rus

•minim⁹



cum aduerſus eundem Theodoſium collectis Gallorum Francorumq; uirib⁹ exundauit, nixus etiam præcipuo cultu idolorum, magna tamẽ facilitate ſuccubuit. Eugenius atq; Arbogaſtes inſtructas acies campis expedierant, arcta alpium latera atque ineuitabiles tranſitus, præmiſſis callide inſidijs occuparãt: ut etiam ſi numero ac uiribus impares forent, ſola tamen belli diſpoſitione uictores. At uero Theodoſius in ſummis alpibus conſtitutus, expers cibi ac ſomni, ſciens quod deſtitutus ſuis, neſciẽs quod clauſus alienis, dominũ Chriſtum ſolus ſolum qui poſſet omnia, corpore humi fuſus, mente cælo fixus, orabat. Dehinc poſtquam inſomnem noctem precũ continuatione tráſegit, & teſtes propemodum, quas in precium præſidij cæleſtis appenderat, lachrymarũ lacunas reliquit, fidutialiter arma corripuit ſolus. Sciens uero ſe eſſe non ſolum ſigno crucis tuendum, ſed & uictoriam adepturũ, ſigno crucis ſe muniens, ſignum uictoriæ dedit, ac ſigno crucis ſignum prælio dedit, ac ſe in bellum, etiam ſi nemo ſequeretur, uictor futurus immi-

Eugenius & Arbogaſtes clam Theodo- circũuenire parant.

Theodoſij fiducia in Chriſtũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſit. Prima ſalutis uia extitit Arbitrio, hoſtilium partiũ comes: qui cum ignarum imperatorem circũpoſitis excepiſſet inſidijs, conuerſus ad reuerentiam præſentis Auguſti, non ſolũ periculo liberauit, uerumetiam inſtruxit auxilio. At ubi ad cõtigua immiſcẽdæ pugnæ ſpatia peruentum eſt, cõtinuo magnus ille & ineffabilis turbo uentoꝝ in ora hoſtiũ ruit. Ferebantur per aerẽ ſpicula miſſa noſtroꝝ atq; ultra menſurã humani iactus per magnum inane portata, nuſquã propemodũ cadere, priuſquã impingerẽt, ſinebant. Porro aũt turbo continuus ora pectoraq; hoſtium nũc illis grauiter ſcutis euerberabat, nũc impreſſis pertinaciter obſtructa claudebat, nunc auulſis uiolenter deſtituta nudabat, nunc oppoſitis iugiter in terga trudebat: tela etiam quæ ipſi uehementer intorſerant, excepta uentis impetu ſupinata, ac retrorſum coacta, ipſos infeliciter configebant. Proſpexit ſibi humanæ conſcientiæ pauor: Nam cõtinuo ſeſe, parua ſuorum manu fuſa, uictori Theodoſio hoſtilis ꝓſtrauit exercitus. Eugenius captus atq; interfectus eſt. Arbogaſtes ſua ſe

*Turbo mirus Romanis auxiliatur.*

*Eugenij & Arbogaſtis interitus.*



manu ꝑculit. Ita & hic duorum ſanguine bellum ciuile reſtinctum eſt, abſq; illis decem millibus Gothorum, quos præmiſſos à Theodoſio Arbogaſtes deleſſe funditus fertur, quos utiq; ꝑdidiſſe lucrum, & uinci uincere fuit. Non inſulto obtrectatoribus noſtris. Vnum aliquod ab initio urbis conditæ bellum proferant, tam pia neceſſitate ſuſceptum, tam diuina felicitate confectum, tam clementi benignitate ſopitum, ubi nec pugna grauem cædem, nec uictoria cruẽtam exegerit ultionem: & fortaſſe concedã ut non hæc fidei Chriſtiani ducis conceſſa uideantur, quamuis ego hoc teſtimonio non laborem, quãdo unus ex ipſis poeta quidem eximius, ſed paganus peruicaciſſimus, huiuſmodi uerſibus & deo & homini teſtimonium tulit, quibus ait:

O nimiũ dilecte deo, tibi militat æther,
Et coniurati ueniunt ad claſſica uenti.

*Claudianus.*

Ita cælitus iudicatum eſt inter partem etiam ſine præſidio hominum de ſolo deo humiliter ſperantem, & partem arrogantiſſime de uiribus ſuis, & de idolis præſumẽtem. Theodoſius autem cõpoſita tran-

Theodoſij mors.

quillataq; rep. apud Mediolanum conſtitutus, diem obijt.

*De imperio & rebus geſtis Arcadij, Theodoſii iunioris & Honorij Cæſarum. De Gildonis perfidia ac molitionibus, tamen per Maſcelzelem compreſſis. Caput XXXVI.*

ANno ab urbe condita milleſimo centeſimo XLIX. Arcadius Auguſtus, cuius nunc filius Theodoſius orientem regit, & Honorius Auguſtus frater eius, cui nunc reſpub. innititur, XLII. loco cõmune imperiũ, diuiſis tãtum ſedib⁹ tenere cœperũt, uixitq; Arcadius poſt patris exceſſum annis duodecim, imperijq; ſummam Theodoſio filio ſuo paruo admodum moriens tradidit. Interea Gildo comes, qui in initio regni eorum Aphricæ præerat, ſimul ut defunctum Theodoſium comperit, ſiue, ut quidã ferunt, quadam permotus inuidia, Aphricam orientalis imperij partib⁹ iungere molitus eſt:

†nimiam

ſiue, ut alia tradit opinio, * minimam in paruulis ſpem fore arbitratus, præſertim cum abſq; his non facile antea quiſquam puſillus in imperio relictus, ad maturitatem uirilis ætatis euaſerit; iſtiq; propemo



dum ſoli inueniãtur, quos ob *regiam patris ac ſuam fidem & diuiſos & deſtitutos Chriſti tutela prouexerit. Aphricam excerptam à ſocietate reip. ſibi uſurpare auſus eſt, gentili magis licentia contẽtus, quàm ambitu regiæ affectatiõis inflatus. Huic *Maſcelzel frater fuit, qui nouarum rerum molitiões in fratre ꝑhorreſcens, relictis apud Aphricanam militiam *duobus filijs adoleſcentibus, in Italiam redijt. Gildo & abſentiã fratris & præſentiam filiorum eius ſuſpectam habẽs, adoleſcentes dolo circunuentos interfecit. Ad hũc iam ut hoſtem bello inſequẽdum Maſcelzel frater miſſus eſt, quem idoneum ꝓcurandæ reip. fore ꝓpriæ orbitatis recẽs dolor pollicebatur.

*gratiã

*Maſcelzer

*ducibus

Maſcelzel Chriſtianorũ orationibus uincit.

Igitur Maſcelzel iam inde à Theodoſio ſciens, quantũ in rebus deſperatiſſimis oratio hominis ꝑ fidem Chriſti à clemẽtia dei impetraret, Capraríam inſulam adijt, unde ſecũ ſanctos ſeruos dei aliquot permotos precibus ſuis ſumpſit: cum his, orationib⁹, ieiunijs, pſalmis dies & noctes continuans, ſine bello uictoriã meruit, ac ſine cæde uindictam. *Ardalio fluminis nomen eſt, quod fluit

*Ardalegio.

Universidad de Deusto Biblioteca



*Amederam

inter Thebaſtem & *Metrideram ciuitates: ubi cum parua manu, hoc eſt, cũ quinque millibus (ut aiunt) militum, contra ſeptuaginta millia hoſtium caſtra metatus, cum interiecta mora excedere loco, oppoſitasq́; præiacentis uallis anguſtias tranſgredi uellet, intercurrente nocte, beatum Ambroſium epiſcopum, Mediolani paulo antè defunctum, ꝑ ſomnium ſibi uidere uiſus eſt, ſignificantem manu & impacto ad humum ter baculo dicẽtem: Hic, hic, hic. Quod ille prudenti coniectura intellexit, merito annunciantis fidem uictoriæ, uerbo locum, numero diem ſignificari. Subſtitit, ac tertio demum die, poſt noctem orationibus hymniſq́; puigilem * ab ipſis cæleſtium ſacramentorum myſterijs, in hoſtem circunfuſum proceſſit. Et cum ad eos qui primi occurrerãt, pia pacis uerba iactaret, ſigniferum quendam inſolenter obſiſtentem, & iamiamq́; pugnam excitantem, gladio percuſſit in brachio: eumq́; manu debilem, ipſo uulnere coëgit pronum inclinare uexillum. Quo uiſo, reliquæ cohortes deditionem iam fieri priorum exiſtimantes, certatim

*Ambroſij apparitio.*

*munitus ipſis



ſeſe ad Maſcelzelem ſignis tradidere conuerſis. Barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum deſtituti, in diuerſa fugerunt. Gildo & ipſe fugam molitus, arrepta naui, ut in altum prouectus, ac deinde reuocatus in Aphricam eſt, poſt aliquot dies ſtrangulatus interijt. Periclitaremur ſub tantorum miraculorum relatu, quaſi præſumpta mentiẽdi impudentia, niſi adhuc uocem noſtram conſcientia eorum, qui interfuere, præcurreret. Nullæ aguntur inſidiæ, nulla corruptio, ſeptuaginta millia hoſtium uincuntur penè ſine pugna: fugit uictus ad tempus, ne plus audeat uictor iratus. Tranſportatur in diuerſum locum * ut neſciatur à fratre occidi, quo uindicentur occiſi. Sane idem Maſcelzel elatus rerum ſecundarum inſolentia, poſthabito ſanctorum conſortio, cum quibus antea deo militans uicerat, etiam eccleſiam temerare auſus eſt, atq; ex ea quoſdam non dubitauit extrahere. Secuta eſt pœna ſacrilegum. Nam ijſdem ſuperſtitibus atq; inſultantibus, quos ab eccleſia ad pœnam protraxerat, poſt ali-

*Gildonis exitus.*

*ut neſciat frater occidi, quo uindicatur occiſo.*

*Maſcelzelis impietas & interitus*

Universidad de Deusto Biblioteca



quantū tempus ſolus & ipſe punitus eſt: probauitq́; in ſe uno, ad utrunq; ſemp diuinum uigilare iudicium: quādo & cum ſperauit, adiutus: & cum contempſit, occiſus eſt.

*De Ruffini & Stiliconis ſcelere, item Rhadagaiſi regis Gothorum, quomodo Ro. terruerit & uictus ſit. Cap. XXXVII.*

*Ruffini & Stiliconis molitiones.*

INterea cum à Theodoſio imperatore ſeniore, ſingulis potiſſimis infantum cura & diſciplina utriuſq; palatij cōmiſſa eſſet, hoc eſt, Ruffino orientalis aulæ, Stiliconi occidentalis imperij, quid uterque egerit, quid ue agere conatus ſit, * exitus utriuſq; docuit: cum alius ſibi, alius filio ſuo affectās regale faſtigium, ut rebus repente turbatis, neceſſitas reip. ſcelus ambitus tegeret, gentes barbaras ille immiſit, hic fouit. Taceo de Alarico rege cū Gothis ſuis ſæpe uicto, ſæpe concluſo, ſemperq́; dimiſſo. Taceo de infelicibus illis apud Polentiam geſtis, quum barbaro & pagano duci, hoc eſt, Sauli, ſumma belli commiſſa eſt: cuius improbitate reuerendiſſimi dies, & ſanctū paſcha uiolatū eſt, cedētiq́; hoſti ꝑpter religionē, ut pugna-

*• ſtudium*



ret extortū ē: cū quidē, oſtēdēte in breui iudicio dei & qd fauor eius poſſet, & qd ultio exigeret. pugnātes uicim⁹, uictores uicti ſumus. Taceo de ipſorū inter ſe barbarorum crebris dilacerationibus, cum ſe inuicem Gothorum cunei duo, deinde Alani atq; Hunni uarijs cædibus populabantur. Rhadagaiſus omniū antiquorum præſentiumq́; hoſtium lōge immaniſſimus, repentino impetu totam * inundauit Italiam. Nam fuiſſe in populo eius plus quàm ducenta millia Gothorum ferunt. Hic ſupra hanc incredibilem multitudinem indomitamq́; uirtutē paganus & Scytha erat: q, ut mos eſt barbaris huiuſmodi gentibus, omnem Romani generis ſanguinem dijs ſuis propinare deuouerat. Hoc igitur Romanis arcib⁹ imminente, fit omnium paganorū in urbe concurſus, * clamantium hoſtem eſſe cū utique uirium copia, tum maxime præſidio deorum potētem: urbem autem ideo deſtitutam & mature perituram, quia deos & ſacra perdiderit. Magnis querelis ubique agitur, & continuo de repetendis ſacris, celebrandiſq́; tractatur, Feruent tota

*Radagaiſi Gothorū regis immanitas.*

** inuadit*

*• Clamantium uetera non habent*

Universidad de Deusto
Biblioteca



urbe blaſphemiæ, uulgo nomen Chriſti
tanquam lues aliqua præſentium tempo-
rum probris ingrauatur. Itaque ineffa-
bili iudicio dei factum eſt, uti, quoniam
in permixto populo pijs gratia, impijs
pœna debebatur, oportebatq; permitti
hoſtes, qui inſuadibilem in plurimis, &
contradicentem ciuitatem ſeuerioribꝰ ſo
lito flagris coarguerent, non tamen eos
qui indiſcrete cunctos intemperata cæde
delerent, duo tunc populi Gothorꝝ cum
duobus potẽtiſſimis regibus ſuis per Ro
manas prouincias baccharẽtur: quorum
unus Chriſtianus propiórque Romano,
& (ut res docuit) timore dei mitis in cæ
de: alius paganus barbarus, & uere Scy-
tha, q nõ tantũ gloriã aut prædã, quãtum
inexaturabili crudelitate ipſam cædẽ ama
ret in cæde: & hic iam receptus ſinu Ita
liæ, Romam è proximo trementem ter-
rore quaſſabat. Itaq; ſi huic ultionis pote-
ſtas permitteretur, quẽ Romani ob hoc
præcipue timendum arbitrabãtur, quia
fauorem deorum ſacrificiorũ obſequijs
inuitaret, & immoderatior cæde ſine fru
ctu emendationis arſiſſet, & error nouiſ-



ſimus peior priore creuiſſet: quandoqui-
dem in pagani & idololatræ manus inci-
diſſe, non ſolum paganis reſiduis de re-
ſtaurando cultu idolorum eſſet indubita-
ta perſuaſio, ſed & Chriſtianis periculoſa
confuſio, cum & hi præiudicio terreren-
tur, & illi confirmarẽtur exẽplo. Quam-
obrem iuſtus diſpẽſator humani generis
deus perire paganum hoſtem uoluit, &
Chriſtianum præualere permiſit, ut pa-
gani blaſphemãteſq; Romani, & illo con
funderentur perdito, & hoc punirentur
immiſſo: maxime cum imperatoris Ho-
norij admirãda in rege continẽtia & ſan-
ctiſſima fides, non parum diuinæ miſeri-
cordiæ mereretur. Concedũtur quidem
aduerſus immaniſſimum illum hoſtem
Rhadagaiſum, aliorum hoſtium cum co
pijs ſuis inclinati ad auxilium animi. Ad-
ſunt. Vldin & Sarus Hunnorum & Go- Diaco-
thorum duces præſidio Romanorũ: ſed nus legit
non ſinit deus rem potẽtiæ ſuæ, uirtutem Virdinꝰ.
hominum & maxime hoſtiũ uideri. Con
territum diuinitus Rhadagaiſum, in Fe-
ſulanos montes cogit: eiuſq; (ſecundum
eos qui parciſſime referunt) ducenta mil

Universidad de Deusto Biblioteca



lia hominum, inopum conſilij & cibi, in arido & aſpero montis iugo, urgẽte undiq; timore concludit: agminaq; quibus dudum anguſta uidebatur Italia, latendi ſpe in unum ac paruum uerticem trudit. Quid multis morer? Non diſpoſita in bellum acies fuit, non furor timorq; incerta pugnæ prætulit, non cædes acta, non ſanguis effuſus eſt, non poſtremo (quod felicitatis loco deputari ſolet) dãna pugnæ euentu compenſata uictoriæ, edentibus, bibentibus ludentibusq; noſtris, tanti illi tamq; immanes hoſtes, eſuriẽtes & ſitientes languentesq;, cõfecti ſunt. Parum hoc eſt, niſi captum & catenatum ac ſubiugatum ſciant, quem timuere Romani: illúmque idololatram ſuum, cuius ſacrificia ſe magis pertimeſcere quàm arma fingebant, ſine prælio uictum ac uinctum ſub iugo catenisq; deſpiciant. Igitur rex Rhadagaiſus ſolus ſpẽ fugæ ſumẽs, clàm ſuos deſeruit, atq; in noſtros incidit: à quibus captus, & pauliſper retentus, ac deinde interfectus eſt. Tanta uero multitudo captiuorum Gothorum fuiſſe fertur, ut uiliſſimarum pecudum modo, ſingu-

*Rhadagaiſus captus.*

*Gothorũ captiuorum uilitas.*



lis aureis paſſim greges hominum uẽderẽtur. Sed nihil ſupereſſe deus de eodem populo ſinit. Nam ilicò cunctis qui emebantur morientibus, quod improbi emptores eorum non impẽderunt turpiter precijs, expenderũt miſericorditer ſepulturis. Igitur ingrata Roma, quæ ſicut nũc ſenſit, non ad remittendam, ſed ad reprimendam idololatriæ præſumptionẽ, iudicis dei obliquam miſericordiã, ita continuo ꝓpter uiuorꝫ mortuorꝫq; ſanctorꝫ piam recordationẽ, dei iram paſſura non plenam, ſi forte confuſa pœniteat, & per experientiã fidem diſcat, ab incurſu Alarici regis & hoſtis, ſed Chriſtiani, aliquãtulo ad tempus ſpatio, differtur.

*De molitionibus Stiliconis comitis, eiusq; & Eucherij interitu. Caput XXXVIII.*

INterea comes Stilico Vandalorum imbellis, auaræ, perfidæ & doloſæ gẽtis genere editus, paruipendens quòd ſub imperatore imperabat, Eucheriũ filium ſuum, ſicut à pleriſque trahitur, iam inde Chriſtianorum perſecutionem à puero priuatoq; meditantem, in imperio quoquo modo ſubſtituere nitebatur. Quam-

*Stilico.*

*Eucherius.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



obrem Alaricum cũctamq; Gothorum
gentem pro pace optima & quibuſcunq;
ſedibus ſuppliciter ac ſimpliciter oran-
tem, occulto fœdere fouens, publice autẽ
*terẽdã — & belli & pacis copia negata, ad *tenen-
dam terrendamq; rempub. reſeruauit.
Præterea gentes alias copijs uiribuſq; in-
tolerabiles, quibus nunc Galliarum Hi-
ſpaniarumq; prouinciæ premuntur, hoc
eſt, Alanorum, Sueuorum, Vãdalorum,
*Alani, Sueui, Vandali, & Burgundiones commoti à Stilicone* — ipſoq; ſimul motu impulſorum Burgun
dionum, ultro in arma ſolicitans, deterſo
ſemel Romani nominis metu, ſuſcitauit:
eas interim ripas Rheni quatere, & pul-
ſare Gallias uoluit, ſperans miſer ſub hac
neceſſitatis circũſtantia, quia & extorque
re imperium genero poſſet in filium, &
gentes barbaræ tam facile cõprimi quàm
commoueri ualerent. Itaq; ubi impera-
tori Honorio exercituiq; Romano hæc
tantorum ſcelerũ ſcena patefacta eſt, cõ-
moto iuſtiſſime exercitu, occiſus eſt Stili-
*Stiliconis interitus.* — co: qui ut unum puerum purpuram in-
dueret, totius generis humani ſanguinem
*Eucherij cædes.* — dedit. Occiſus eſt & Eucherius, qui ad cõ
ciliandum ſibi fauorem paganorum, re-



ſtitutione templorum & euerſione eccle
ſiarum imbuturũ ſe regni primordia mi-
nabatur, pauciq; cum iiſdem ſatellites tan
tarum molitionum puniti ſunt. Ita mini-
mo negocio paucorumq; pœna, eccleſiæ
Chriſti cum imperatore religioſo & libe
ratæ ſunt & uindicatæ. Itaq; poſt hæc tan
ta augmenta blaſphemiarum, nullamq;
pœnitentiam, ultima illa diuq; ſuſpenſa
urbem pœna conſequitur.

### *Quomodo Roma per Gothos irrupta fuerit, deprædata & incenſa, ſolis Chriſtianis tutis & liberis.* Caput XXIX.

*Alaricus Romam deprædatur.* — ADeſt Alaricus, trepidam Romam
obſidet, turbat, irrumpit. Dato ta-
men præcepto prius, ut ſi qui in ſancta lo
ca præcipueq; in ſanctorũ apoſtolorum
Petri & Pauli baſilicas confugiſſent, hos
in primis inuiolatos ſecuroſq; eſſe ſinerẽt.
Tum deinde inquantum poſſent prædæ
inhiantes, à ſanguine temperarent. Acci-
*Beatus Innocentius perinde ut Lot ſubtractus.* — dit quoque quo magis illa urbis irruptio
indignatione dei acta, quàm hoſtis forti-
tudine probaretur, ut B. Innocẽtius Ro-
manæ eccleſiæ epiſcopus, tanquam iuſtus
Lot ſubtractus à Sodomis, occulta proui

dentia dei apud Rauennam tunc poſitus,
peccatoris populi non uideret excidium.
Diſcurrẽtibus itaq; per urbem barbaris,
forte unus Gothorum idemq; potens &
Chriſtianus, ſacram deo uirginem iam
ætate prouectam, in quadam eccleſiaſtica
domo reperit: cumq; ab ea aurum argen
tumq; honeſte expoſceret, illa fideli con-
ſtantia eſſe apud ſe plurimũ, & mox pro-
ferendum ſpopõdit, ac protulit. Dumq;
expoſitis opibus, attonitum barbarũ ma-
gnitudine & pondere ac pulchritudine,
ignota etiam uaſorũ qualitate * uideret, **intelligeret.*
uirgo Chriſti ad Barbarum ait: Hæc Pe-
tri apoſtoli ſacra miniſteria ſunt. Præſu-
me, ſi audes, de facto tu uideris. Ego quia
defendere nequeo, *contendere non au- **tenere*
deo. Barbarus uero ad reuerẽtiam religi-
onis, timore dei & fide uirginis mot⁹, ad
Alaricum hæc per nuncium retulit, qui
continuo reportari ad apoſtoli baſilicam
uniuerſa, ut erant, uaſa imperauit: uirgi-
nem etiam ſimulq; omnes qui ſe adiunge
rent Chriſtianos, eõdem cum defenſione
deduci. Ea domus à ſanctis ſedibus lon-
go, ut ferunt, & medio interiectu urbis



aberat. Itaq; magno ſpectaculo omnium
diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper ca
pita elata palam aurea atq; argentea uaſa
portantur, exertis undiq; ad defenſionem
gladĳs, pia pompa munitur. Hymnis deo
Romanis barbariſq; cõcinentibus, publi
ce canitur. Perſonat late in excidio urbis
ſalutis tuba, omneſq; etiam in abditis la-
tentes, inuitat ac pulſat. Concurrũt undi-
q; ad uaſa Petri, uaſa Chriſti: plurimi eti-
am pagani Chriſtianis profeſſiõe, ſi non
fide, admiſcent: & per hoc tamen ad tem
pus, quo magis confundantur, euadunt.
Quanto copioſius aggregantur Romani
confugientes, tanto auidius circũfundun-
tur barbari defenſores. O ſacra & ineffa-
bilis diuini iudicĳ diſcretio. O ſanctum
iſtud & ſalutare flumen, quod *per arua **parua exortum domo, dum*
exortum, dum beato alueo in ſanctorum
ſedes tendit, oberrantes periclitãteſq; ani
mas in ſalutis ſinum pia rapacitate perue
xit. O præclara illa Chriſtianæ militiæ tu *Tuba Chriſtianæ militiæ oẽs inuitat.*
ba, quæ generaliter cũctos dulciſſimo ad
uitam modulamine inuitans, quos ad ſa-
lutem inobedientes non ſuſcitauit, inex-
cuſabiles reliquit ad mortẽ. Myſterium



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



hoc quod in transferendis uaſis, dicendis
hymnis, ducendis populis fuit, tanquam
magnum cribrũ fuiſſe arbitror, ꝑ quod
ex congregatione populi Romani tan-
quam ex magna maſſa frumẽti, ꝑ omnia
ex uniuerſo ambitu ciuitatis latebrarum
foramina effluxere grana uiua, ſiue occaſi
one ſiue ueritate commota, omnia tamen
de præſente ſalute credẽtia, ex horreo do-
minicæ præparationis accepta ſunt. Reli
qua uero ſicut ſtercora, & uelut paleæ, i-
pſa uel incredulitate uel inobediẽtia præ
iudicatæ, ad exterminium atq; incẽdium
remãſerunt. Quis hæc perpẽdere plenis
miraculis, qs ꝓdicare dignis laudib⁹ que-
at? Tertia die barbari, quam ingreſſi urbẽ
fuerãt, ſpõte diſcedunt, facto quidem ali-
quantarũ ædiũ incẽdio, ſed ne tãto qdem,
quantũ ſeptingenteſimo cõditionis eius
anno caſus effecerat. Nam ſi exhibitã Ne-
ronis imperatoris ſui ſpectaculis inflam-
mationẽ recenſeam, procul dubio nulla
cõparatione æquiparabit ſecundum id,
quod excitauerat laſciuia principis, hoc
quod nunc intulit ira uictoris. Neq; uero
Gallorum meminiſſe in huiuſmodi col-

*Incendiũ urbis.*



latione debeo, qui cõtinuo penè anni ſpa
tio incẽſæ euerſæq; urbis attritos cineres
poſſederunt. Et ne quiſquam forte dubi-
taret ad correptionem ſuperbæ laſciuiæ,
& blaſphemæ ciuitatis hoſtib⁹ fuiſſe per
miſſum, eodem tempore clariſſima urbis
loca fulminibus diruta ſunt, quæ inflam-
mari ab hoſtibus nequiuerunt.

*Roma de cælo tacta.*

*De irruptione uaſtationeq; Alanorum, Sue-
uorum & Vandalorum. Item de Gratiano ty-
ranno & Conſtantino imperatore apud Bri-
tannos. Deq; Didymi & Veriniani geſtis &
interitu. Caput XL.*

ANno itaq; ab urbe condita M. cen-
teſimo ſexageſimoquarto, irruptio
urbis per Alaricũ facta eſt: cu⁹i rei quã-
uis recens memoria ſit, tamen ſiquis ipſi-
us populi Romani & multitudinem ui-
deat, & uocem audiat, nihil factum, ſicut
etiam ipſi fatentur, arbitrabitur, niſi ali-
quantis adhuc exiſtentibus ex incẽdio rui
nis forte doceatur. In ea irruptione Placi-
dia Theodoſii principis filia, Arcadij &
Honorij imperatorum ſoror, ab Autal-
pho Alarici propinquo capta eſt, atq; in
uxorem aſſumpta, quaſi eam diuino iudi

*Placidia Theodoſij filia, Autalpho nupſit.*

Universidad de Deusto Biblioteca



cio uelut ſpeciale pignus obſidem Roma tradiderit, ita iuncta barbari potẽtiſſimi regis coniugio, multo reipub. commodo fuit. Interea ante biennium Romanæ irruptionis, excitatæ per Stiliconem gẽtes Alanorum, ut dixi, Sueuorum, Vandalorum, multæq; cum his aliæ, Francos proterunt, Rhenum tranſeunt, Gallias inuadunt, directoq; impetu Pyrenæum uſq; perueniunt: cuius obice ad tempus repulſæ, per circuniacentes prouincias refunduntur. His per Gallias bacchantibus, apud Britannias Gratianus municeps eiuſdem inſulæ tyrannus creatur, & occiditur. Huius loco Conſtantinus ex infima militia propter ſolam ſpem nominis, ſine merito uirtutis eligitur: qui continuo ut inuaſit imperium, in Gallias tranſiit. Ibi ſæpe à barbaris incertis fœderibus illuſus, detrimento magis reip. fuit. Miſit uero in Hiſpaniam iudices, quos cum ꝓuinciæ obediẽter accepiſſent, duo fratres iuuenes nobiles & locupletes, Didymus & Verinianus non aſſumpſere, ne aduerſus tyrannum quidẽ tyrannidem, ſed imperatori iuſto aduerſus tyrannum & bar-

*Gratiani tyran. interitus.*

*Conſtãtinus imperator Britannorum.*



baros, tueri ſeſe patriamq; ſuam moliti ſunt. Quod ipſo geſtæ rei ordine patuit. Nam tyrãnidem nemo, niſi celeriter maturatã ſecreto inuadit, & publice armat. cuius ſumma eſt, aſſumpto diademate ac purpura, uideri antequam ſciri. Hi uero plurimo tempore ſeruulos tantum ſuos ex proprijs prædijs colligentes, ac uernaculis alentes ſumptibus, nec diſſimulato propoſito abſq; cuiuſquam inquietudine ad Pyrenæi clauſtra tendebant. Aduerſus hos Conſtantinus Conſtantem filium ſuum, prohdolor, ex monacho Cæſarem factum cum barbaris quibuſdam, qui quondam in fœdus recepti atq; in militiam allecti, Honoriaci uocabantur, in Hiſpanias miſit. Hinc apud Hiſpanias prima mali labes. Nam interfectis illis fratribus, qui tutari priuato præſidio Pyrenæi alpes moliebantur, his barbaris quaſi in precium uictoriæ, primum prædandi in Palatinis campis licentia data: dehinc ſupradicti montis clauſtrorumq; eius cura permiſſa eſt, remota ruſticanorum fideli & utili cuſtodia. Igitur Honoriaci imbuti præda, & illecti abundantia, quo magis

*Tyrannidis natura.*

*Conſtans ex monacho imp.*

*Honoriaci qui.*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſcelus impunitum foret,atq; ipſis ſceleris plus liceret,ꝑdita Pyrenæi cuſtodia,clauſtrisq́; patefactis, cunctas gentes quæ per Gallias uagabantur,Hiſpaniarum ꝓuincijs immittunt,iiſdemq́; ipſi adiungũtur: ubi actis aliquãdiu magnis cruentisq́; diſcurſibus, poſt graues rerũ atq; hominum uaſtationes, quarum ipſos quoq; modo pœnitet,habita ſorte, & diſtributa uſque ad nunc poſſeſſione conſiſtunt.

*Dictorum uelut epilogus. Item omnes omnia iuſte ſuſtinuiſſe,ſiue pij ſiue impij fuerint.*

*Caput* XLI.

MVlta nunc mihi de huiuſmodi rebus facultas loquendi foret,ſi non ſecundum omnes homines apud uniuſcuiuſq; mentem conſciẽtia ſecreta loqueretur.Irruptæ ſunt Hiſpaniæ,cædes uaſtatiõesq́; paſſæ ſunt.Nihil quidem nouum. hoc enim nunc per biennium illud , quo hoſtilis gladius ſæuit,ſuſtinuere à barbaris , quod per ducentos quondam annos paſſæ fuerũt à Romanis,quod etiã ſub imperatore Galieno ꝑ annos ꝓpemodum duodecim,Germanis euertẽtibus exceperunt.Veruntamen quis non ſe,qui ſui ſu-



orumq́; actuum uel etiam cogitationum conſcius,iudicia dei metuit , iuſte omnia paſſum,uel etiam parua ſuſtinuiſſe fateatur?aut qui ſe non intelligit,deumq́; non metuit,quomodo non iuſte iſta & ꝗdem parua ſuſtinuit? Quæ cum ita ſint,illud tamen clementia dei eadem pietate qua dudum prædixerat,procurauit, ut ſecundum euangelium ſuũ, quo inceſſabiliter cõmonebat, Cum uos perſecuti fuerint in una ciuitate,fugite in aliã, *Matt. 10.* quiſq; egrediens quò abire uellet,ipſis barbaris mercenarijs miniſtris ac defenſoribus uteretur.Hoc tunc ipſi ultro offerebãt. Et qui auferre omnia interfectis omnibus poterant,particulam ſtipendij ob mercedem ſeruitij ſui & tranſuecti oneris flagitabãt. Et hoc quidem à plurimis factũ eſt. Qui autem non crediderũt euãgelio dei, quaſi contumaces,uel ſi etiam non audierũt, dupliciter contumaces, non dederunt locum iræ,iuſte à ſuperueniẽte ira comprehenſi & oppreſſi ſunt. Quãquam & poſt hoc quoq; continuo barbari execrati gladios ſuos, ad aratra conuerſi ſunt,reſiduoſq́; Romanos ut ſocios modo & ami-

Universidad de Deusto Biblioteca



cos fouent, ut inueniantur iam inter eos
quidam Romani, qui malint inter barba
ros pauperem libertaté, quàm inter Ro
manos tributariam ſolicitudinem ſuſtine
re. Quanquam ſi ob hoc ſolum barbari
Romanis finibus immiſſi forēt, quod uul
go per orientem & occidentem eccleſiæ
Chriſti Hunnis, Sueuis, Vandalis & Bur
gundionibus, diuerſisq; & innumeris cre
dentium populis replentur, laudanda &
attollēda miſericordia dei uideret: quan
doquidem & ſi cum labefactione noſtri,
tantæ gentes agnitionem ueritatis accipe
rent, quam inuenire utiq; niſi hac occaſio
ne non poſſent. Quid enim dāni eſt Chri
ſtiano ad uitam æternam inhianti, huic ſe
culo quolibet tempore & quoquo pacto
abſtrahi? Quid aūt lucri eſt pagano in me
dio Chriſtianorū aduerſus fidem obdu-
rato, ſi paulo diutius diē protrahat quan
doq; morituro, cui deſperata conuerſio
Roma. 11 eſt? Et qa ineffabilia ſunt iudicia dei, quæ
nec ſcire omnia, nec explicare quæ ſcimꝰ,
poſſumꝰ, breuiter expreſſerim correptio
nē iudicis dei, quoquo pacto accidat, iuſte
ſuſtinere q ſciūt, iuſte ſuſtinere q neſciūt.



*Recitat catalogum quendam tyrannorum, qui tandem omnes opera Conſtantij comitis deleti fuerint.* Caput XLII.

ANno ab urbe cōdita milleſimo cē-
teſimo ſexageſimoquinto, Honori
us imperator uidens, tot oppoſitis tyran
nis, nihil aduerſum barbaros agi poſſe,
ipſos prius tyrannos delere iubet. Con-
ſtātio comiti huius belli ſumma commiſ
ſa eſt. Senſit tūc demum reſpub. & quam
utilitatem in Romano tandem duce rece
perit, & quam eatenus perniciem ꝑ lon-
ga tempora barbaris comitibus ſubiecta
tolerarit. Igitur Conſtantius comes in *Catalo-*
Galliam cum exercitu profectus, Cōſtan *gus tyrā*
tinum imperatorem apud Arelatum ci- *norum.*
uitatem clauſit, cepit & occidit. Iam hinc,
ut de catalogo tyrannorum quambreuiſ
ſime loquar, Conſtantem filium Conſtan
tini, Gerontius comes ſuus, uir nequam *Geronti-*
magis quàm probus, apud Viennam in- *us.*
terfecit, atq; in eius locum Maximū quen *Maximꝰ*
dam ſubſtituit. Ipſe uero Gerontius à ſuis
militibus occiſus eſt. Maximꝰ exutus pur
pura, deſtitusq; à militibꝰ Gallicanis, qui
in Aphricam traiecti, deinde in Italiā re-

Universidad de Deusto Biblioteca



uocati ſunt, nunc inter barbaros in Hiſpa
nia egens exulat. Iouinus poſtea uir Galli
arum nobiliſſimus, in tyrannidem mox
ut aſſurrexit, cecidit. Sebaſtian⁹ frater ei-
uſdem, hoc ſolum ut tyrānus moreretur,
elegit. Nam continuo ut eſt creatus, oc-
ciſus eſt. Quid de infeliciſſimo Attalo lo-
quar, cui occidi inter tyrannos honor &
mori lucrum fuit? In hoc Alaricus impe-
ratore facto, infecto, refecto ac defecto, ci
tius his omnibus actis pene quàm dictis,
mimum riſit, & ludū ſpectauit imperij.
nec mirū ſi iure hac pompa miſer luſus
eſt, cuius ille umbratilis conſul Tertullus
auſus eſt in curia dicere, Loquar uobis pa
tres conſcripti conſul & pontifex, quorū
alterum teneo, alterum ſpero, ſperans ab
eo qui non habebat ſpem, & maledictus
utiq; qui ſpem ſuam poſuerat in homine.
Attalus itaq; tāquam inane imperij ſimu
lacrum cum Gothis uſque ad Hiſpanias
portatus eſt: unde *diſcedens naui, incer-
ta moliens, in mari captus, ad Conſtanti-
um comitem deductus, deinde impera-
tori Honorio exhibitus, trūcata manu, ui
tæ relictus eſt. Heraclian⁹ interea Aphri-

*Iouinus.* *Sebaſtianus.* *Attalus.* *Tertull⁹* **deſcendens* *Heraclianus alias Heracli⁹*



cæ comes miſſus, cum idem Attalus um-
bram geſtaret imperij, Aphricā ſtrenue
aduerſum iudices ab eo miſſos tutat⁹, cō-
ſulatum aſſecutus eſt: quo elatus ſuperci-
lio, Sabinum domeſticum ſuum, uirum
ingenio callidum, induſtriaq; ſolertē &
ſapiētem nominandū, ſi animi uires tran-
quillis ſtudijs accōmodauiſſet, generum
allegit: cū quo quorundam periculorum
ſuſpiciōes dum patitur, fecit; atq; aliquā-
diu Aphricana annona extra ordinē de-
tenta, ipſe tandē cum immēſa, certe tem-
poribus noſtris & ſatis incredibili claſſe
nauium, Romam contendit. Nam habu-
iſſe tunc III. M. DCC. naues dicitur: quē
numerum ne apud Xerxem quidē præ-
clarum illum Perſarum regem, nec Alex
andrum Magnum, uel quenquam alium
regum fuiſſe, hiſtoriæ ferunt. Is ſimul ut
cum agmine militum ad urbem pergēs
littore egreſſus eſt, occurſu comitis Mari
ni territus & in fugam uerſus, arrepta na
ui, ſolus Carthaginem redijt, atq; ibi con
tinuo militari manu interfectus eſt. Sabi
nus gener eius Conſtantinopolim fugit,
unde poſt aliquantū temporis retractus,

*Heracliani nauiū multitudo.*

Universidad de Deusto Biblioteca



exilioq; damnatus. Hunc omnem catalogum, ut dixi, uel manifeſtorum tyrannorum, uel inobedientium ducum, optima Honorius imperator religione & felicitate meruit, magna Conſtantius comes induſtria & celeritate confecit: merito ſane quia in his diebus præcipiente Honorio & adiuuãte Conſtantio, pax & unitas per uniuerſam Aphricam eccleſiæ catholicæ reddita eſt: & corp⁹ Chriſti, quod nos ſumus, redintegrata diſciſſiõe ſanatum eſt. Impoſita executione ſancti præcepti Marcellino tribuno uiro, in primis prudenti & induſtrio, omniumq; bonorum ſtudiorum appetentiſſimo, quem Marinus comes apud Carthaginem (incertum zelo ſtimulatus, an auro corruptus) occidit: qui continuo reuocatus ex Aphrica, factusq; priuat⁹, uel ad pœnam, uel ad pœnitentiam conſcientiæ ſuæ, dimiſſus eſt.

*Pax eccleſiæ reddita.*

*Quomodo Gothi expulſi, quid Autalphus rex eorũ inſtituerit. De Segerico & Vallia regibus Gothorum.* Caput XLIII.

·69· ANno ac urbe cõdita milleſimo centeſimo ſexageſimooctauo, Cõſtantius comes apud Arelatũ Galliæ urbem



conſiſtens, magna rerum gerẽdarum induſtria, Gothos Narbona expulit, atque abire in Hiſpaniã coëgit, interdicto præcipue, atque intercluſo omni commeatu nauium, & peregrinorum uſu commerciorum. Gothorum tunc populis Autalphus rex præerat: qui poſt irruptionem urbis ac mortem Alarici, Placidia, ut dixi, captiua ſorore imperatoris in uxorẽ aſſumpta, Alarico in regnum ſucceſſerat. Is ut ſæpe auditum, atq; ultimo exitu eius probatũ eſt, ſatis ſtudioſe ſectator pacis, militare fideliter Honorio imperatori, ac pro defendenda Romana republica impẽdere uires Gothoꝝ præoptauit. Nam ego quoq; ipſe uirum quendam Narbonẽſem illuſtris ſub Theodoſio militiæ, etiam religioſum prudentemq; & grauem apud Bethleem oppidum Palæſtinæ, beatiſſimo Hieronymo presbytero referente, audiui ſe familiariſſimum Autalpho apud Narbonam fuiſſe: ac de eo ſæpe ſub teſtificatione didiciſſe, quod ille cum eſſet animo, uiribus, ingenioq; nimius, referre ſolitus eſſet, ſe in primis ardẽter inhiaſſe, ut obliterato Romano nomine, Roma-

*Autalphus in regnum ſucceſſit.*

Universidad de Deusto Biblioteca



num omne ſolum, Gothorum imperium
& faceret & uocaret: eſſetq́;, ut uulgariter
loquar, Gothia, quod Romania fuiſſet: fi-
eret nunc Autalphus, quod quõdam Cæ- *Autalphi decretũ.*
ſar Auguſtus. At ubi multa experientia
probauiſſet, neque Gothos ullo modo pa
rere legibus poſſe propter effrenatã bar-
bariem, neq; reipub. interdici leges opor
tere, ſine quibus reſpub. non eſt reſpub.
elegiſſe ſe ſalutem, ut gloriam ſibi de reſti
tuendo in integrum, augẽdoq́; Romano
nomine Gothorum uiribus quæreret, ha
bereturq́; apud poſteros Romanæ reſti-
tutionis autor, poſtquam eſſe nõ poterat
immutator. Ob hoc abſtinere à bello, ob
hoc inhiare paci nitebatur, præcipue Pla- *Placidiæ probitas.*
cidiæ uxoris ſuæ, fœminæ ſane ingenio
acerrimæ, & religionis ſatis probatæ, ad
omnia bonarum ordinationũ opera per-
ſuaſu & conſilio tẽperatus. Cumq́; eidem
paci petendæ atque offerendæ ſtudioſiſſi-
me inſiſteret, apud Barcinonẽ Hiſpaniæ
urbem dolo ſuorũ, ut fertur, occiſus eſt.
Poſt hunc Segericus rex à Gothis crea- *Segeric⁹ rex Gothorum.*
tus, cum itidem iudicio dei ad pacẽ pro-
nus eſſet, nihilominus à ſuis interfectus



eſt. Deinde Vallia ſucceſſit in regnum, ad *Vallia rex Gothorum.*
hoc electus à Gothis, ut pacem infringe-
ret: ad hoc ordinatus à deo, ut pacem con
firmaret. Hic igitur territus maxime iu-
dicio dei, quia cum magna ſuperiore ab
hinc anno Gothorũ manus inſtructa ar-
mis nauigijsq́;, tranſire in Aphricam mo-
liretur, in XII. M. paſſuum Gaditani fre-
ti tẽpeſtate correpta, miſerabili exitu peri
erat: memor etiam illi⁹ acceptæ ſub Ala-
rico cladis, cum Gothi in Siciliam tranſi- *Gothi demerſi.*
re conati, in conſpectu ſuorum miſerabi-
liter arrepti & demerſi ſunt, pacem opti-
mam cum Honorio imperatore, datis le
ctiſſimis obſidib⁹ pepigit. Placidiam im-
peratoris ſororem honorifice apud ſe ho
neſteq́; habitam, fratri reddidit. Romanæ
ſecuritati periculum ſuum obtulit, ut ad-
uerſum cæteras gentes, quæ per Hiſpa-
nias conſediſſent, ſibi pugnaret, & Roma
nis uinceret: quãuis & cæteri Alanorum,
Vandalorum Sueuorumq́; reges eodem
nobiſcum placito depacti forent, mãdan-
tes imperatori Honorio: Tu cum omni-
bus pacem habe, omniumq́; obſides acci-
pe: nos nobiſcum cõfligimus, nobis peri-

Universidad de Deusto Biblioteca

mus,tibi uincim⁹:immortalis uero quæſtus erit reipub. tuæ, ſi utriq; pereamus. Quis hæc crederet,niſi res doceret? Itaq; nunc quotidie apud Hiſpanias geri bella gentium, & agi ſtrages ex alterutro barbarorũ crebris certiſq; nuncijs diſcimus, præcipue Valliam Gothorũ regem inſiſtere patrãdæ paci ferunt. Ex quo utcunque cõceſſerim,ut licẽter Chriſtiana tempora reprehendantur,ſi quid à conditione mundi uſq; ad nunc ſimili factum felicitate doceatur.

*Libri totius peroratio.*

Manifeſtauimus,ut arbitror,atq; oſtendimus non magis uerbo pene quàm digito innumera bella ſopita, plurimos extinctos tyrãnos,compreſſas, coãguſtatas,addictas, exinanitaſq; immaniſſimas gentes minimo ſanguine, nullo certamine,ac penè ſine cæde. Supereſt ut obtrectatores noſtros molitionũ ſuarum pœniteat,ueritatiq; erubeſcãt. Deum uerum & ſolũ,qui poteſt omnia,credant,timeant, diligant, ſequantur,cuius omnia, & quæ mala putant,bona eſſe didicerunt.

*Apoſtrophe ad Auguſtinum.*

Explicui, adiuuante Chriſto, ſecundum tuum præceptum, beatiſſime pater Auguſtine, ab initio mundi uſq; in præſen-



tem diem,hoc eſt,per annos quinque M. DC. X. & VIII. cupiditates & punitiones hominum peccatorum, conflictationes ſeculi & iudicia dei,quambreuiſſime & quãſimpliciſſime potui,Chriſtianis tamen tẽporibus,propter præſentem magis Chriſti gratiam,ab illa incredulitatis confuſione diſcretis. Ita iam ego certo & ſolo,quem concupiſcere debui, obedientiæ meæ fructu fruor. De qualitate autem opuſculorum tu uideris,qui præcepiſti:tibi adiudicanda,ſi edas: per te iudicata,ſi deleas.

FINIS.

*Impenſa & ære M. Godefridi Hittorpij ciuis Colonienſis, menſe Auguſto,*
M. D. XXXVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca